



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Pars Secvnda. Joseph Pater Jesu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500



SYNOPSIS MAGNALIUM
 DIVI IOSEPHI
 PARS SECVNDA.
 JOSEPH PATER JESU.



HÆC secunda Pars ut præcipua Magnalium Divi Iosephi, dividitur, ut Prima, secundum quod præfati sumus in Consilio seu Ideâ huius Operis, in tres Tractatus: quorum primus, quem nunc aggredimur, est de eodem sanctissimo Patriarchâ ut est Beatissimæ Virginis Matris IESU Sponsus: Licet enim Tractat. 2. huius partis cap. 10. dicturissimus non ideò Sanctissimo Patriarchâ

istud Patris IESU nomen competere, quod fuerit Sponsus Virginis Deiparæ, sed potius è contra, ideò fuisse in tempore factum Virginis sponsum, quod ab æterno electus fuerit primario ac directè ut esset Pater IESU: quia tamen non fuisset Pater IESU, nisi prius fuisset Sponsus Virginis Matris IESU: ideò ordo requirit, ut primo eum consideremus ut Sponsum Matris IESU; tum deindè Tractatu secundo ut Patrem IESU; ac demùm Tractatu tertio virtutes quibus ob istam præcipuè qualitatè Patris IESU copiosissimè donatus est.

TRACTATUS PRIMUS.
 Divus Iosephus Virginis Deiparæ
 Sponsus.



MEMINI aliàs me legisse apud Romanorum rerum historio-graphos, quod quãdo à Romanis inventum fuit Cybelis (quam

omnium Deorum Matrem esse existimabant) Idolum, Decreto Senatus sancitum est, ut quo tempore magnificentè ei extruètur templum, ipsum interim idolum probioris totum Reipublicæ viri fidei & custodiæ committe-

Y 2

retur,

retur, & ad hoc ab eodem Senatu electum fuisse Scipionem, qui Cybelem in domum suam asportavit, ac fidelissimè Religiosissimèq; asservavit. Quid sub hoc schemate? Audi: Beatissima *Theotocos*, idest veri ac unici Dei nostri Mater dignissima in caelum, ubi verum gloriae ejus templum, aliquando inferenda, non alteri quam Divo Iosepho à Deo ipse committitur. Eligitur, inquam, ut sit Sponsus, & tamen custos & testis Virginitatis Matris veri & unici Dei nostri Matris, omniumque Divorum Regina: debuit ergo esse omnium hominum Sanctissimus: atque hoc ipsum est hujus Tractatus argumentum.

CAPUT PRIMUM.

Cur Deus instituit matrimonium?

I. **M**ATRIMONIUM in suo conceptu duo omninò complectitur, unum implicitè, alterum explicitè: implicitè, dicit conjunctionem viri & foeminae ad procreationem prolis: explicitè, conjunctionem determinatam talis cum tali: nam cum homo possit considerari dupliciter, primo modo, secundum rationem generis, hoc est secundum rationem animalis, in qua convenit cum equo, bove, leone, & cæteris bestiis: Secundo modo, secundum rationem suae differentiae, per quam discernitur ab illis, in quantum scilicet est rationalis: Hinc est quod secundum quod est animal, habet quod sit generativus ut cætera animalia, & quod inclinetur ad conjunctionem & coitum, quod est illud quod matrimonium dicit implicitè: sed quia ista ratio animalis non eodem modo est in homine, quo in brutis (est enim in homine sub differentia rationalitatis, & sic determinata ad rationem) ideò in homine ista inclinatio naturalis ad coitum non est talis qualis est in brutis ex necessitate, sed completur movente ratione & libero arbitrio: Cum ergo natura non tantum intendat prolem, sed etiam illius productionem usque ad perfectum statum, qui in ho-

mine, quia rationalis est, est status virtutis, ad cuius acquisitionem tempus determinari nequit: hinc est quod ut in illis animalibus, quorum filii indigent utriusque parentis sustentatione & curâ ad aliquod tempus, invenitur determinatio maris ad foeminam à naturâ quantum ad illud tempus, sicut patet in quibusdam avibus: ita in hominibus quia indiget filius curâ parentum, ut perveniat ad perfectum illum suum statum, ad quem requiritur magnum tempus & indeterminabile, maxima debet esse, idest perpetua determinatio masculi ad foeminam, in qua consistit matrimonium secundum id quod dicit explicitè.

Ergo propositum dubium duo etiam complectitur: Primum, cur Deus voluerit homines per generationem ex Viro & muliere propagari, & multiplicari, cum aliter possent, scilicet per creationem ut Angeli? Secundum, cur voluerit per conjunctionem determinatam, idest talium individuum inter se sociatorum?

Et quidem visum est nonnullis quod melius omninò fuisset homines à Deo creari, quam per matrimonium procreari, ex rationibus sequentibus.

Prima, quia sic major esset & strictior dependentia nostra à Deo, atque ita Amor noster in ipsum major, quia minus divisus. quandoquidem præter ipsum nullum agnosceremus nostri esse, vitæ & cæterorum principium. Equidem ex contrariâ dispositione, quot amabo personis alligamur? & quam illæ nobis intimæ? nonne hinc fit, & heu quam frequenter! quod propterea Dei obliviscamur? & quomodo vir in uxorem, uxor in virum, parentes in filios, filii in parentes distrahantur? taceo de fratribus, sororibus & aliis.

Secunda ratio, quia sic magis assimilaremur Angelis, qui cum nec nubant nec nubantur, non habent nec Patrem nec Matrem: unde quemadmodum illi ab ipso suæ creationis instanti tam perfecti fuerunt, quam post centum annos existentiae, quia à Deo sunt, cujus omnipotens actio, est independens ab omni tempore, sic & nos minime cogemur per aliquot annos brutefecere, & prima vitæ nostræ rudimenta

rudimenta à nostrâ nugis & ineptiis infantiaè auspiciari.

VI. Tertia ratio, non essemus illis obnoxii malis tam culpæ quàm poenæ, non defectibus tam corporis quàm animæ, quos à parentibus hæreditamus. Nullus esset culpâ alienâ reus, nullus paternâ contagione amens, epilepticus, leprosus, &c. nullus maternâ impressione monstruosus, perfidia Patris filio, filiaè non præjudicaret & impudicæ lascivia Matris, &c. & hæc sunt præcipua contra institutionem matrimonii, ex parte ejus quod dicit implicitè, machinamenta. Ex parte verò ejus quod dicit explicitè, faciunt contra, tot insaufa matrimonia, quorum mala enumerare superfedo, tum quia illa infinita, tum quia omnibus nota, utpote singulis diebus, immò horis omnium sensibus ubique subjecta.

VII. Sed quamvis hæ rationes aliquid videantur habere apparentiæ, nihilominus cum Deus secus disposuerit, indubitanter credendum est contrarium esse omninò verum, ac melius omninò fuisse quod homines per matrimonium multiplicarentur, quàm per creationem: si enim aliud melius fuisset cum Dei providentia in sui dispositione non fallatur, illud utique fecisset: quæ ratio etsi sola suppeteret, nobis sufficere debet: *Etenim judicia Domini vera justificata in semetipsa.* Psalm. 18. vers. 10. Sunt tamen hujus rei & aliæ rationes, quarum aliquas hic proponemus, inter quas postrema faciet ad intentum nostrum in hoc Opere, & propter quam movemus hanc disputationem.

SECTIO PRIMA.

Sequuntur rationes aliqua cur Deus matrimonium instituit & per illud propagationem hominum fieri voluit.

VIII. PRIMA fundatur in ipsâ rerum naturâ, scilicet quia homo ex intrinsicis suæ naturæ principiis est, ut jam diximus, generativus, quemadmodum Ignis est calefactivus, Sol illuminativus,

&c. Non debuit ergò ille, vel istâ facultate privari, vel facultas ista in illo esse frustranca, & sine ac effectu suo carere. Deus enim etsi propriæ sit zelotes gloriaè, non tamen est invidus alienæ, quare etsi omnia per se facere potuerit tam facilitè, ac si cum omnibus totius naturæ brachiis, ut ita loquar, operaretur: licet, inquam, potuerit sine Sole illuminare, sine igne calefacere, sine viventibus procreare, &c. noluit tamen, quia equum fuit ut suis sua servaret jura creaturis: æquum, inquam, fuit ut sicut creaturas ad sui esse participationem admiserat, ita etiam ad potentiaè admitteret cõmunionem, atque adeò illis ejusdem participatæ à se potentiaè usum relinqueret: cum ergo natura humana ex se sit naturaliter secunda, propriisq; se possit sustentare viribus, non debuit Deus alias adhibere, & hominem illâ gloriaè destituere cujus erat capax. Atque hanc in rem facit, quod post Adamum à se conditum dixit Deus Gen. cap. 2. *Non est bonum hominem esse solum.* Et consequenter adjutorium simile sibi ei addidit: Enimverò per hoc ostendit Deus, ideò hominem solum non fuisse bonum, quia in ipso facultas ad generandum partialis & incompleta, fuisset inutilis, quæ per societatem mulieris ei addita perficitur, & fit potens exire in actum.

IX. Ex hoc verò quanta Dei gloria? Nonne enim hinc ejus potentia, bonitas, magnificentia maximè elucet, qui scilicet non tantum per se talia potuerit, & voluerit; sed etiam creaturis suis, ut & ipsæ talia possent, contulerit? Quale enim est illud quod homo, qui aliàs ne muscam quidem producere potest, potest tamen ex Dei munere hominem totius naturæ brevitarium?

X. Hinc etiam fit quod à magnitudine creaturæ potest Creator harum cognoscibiliter videri: ex hoc enim quod creaturæ infirmæ tanta possunt, quæ oculis cernimus, & experimur sensibus; colligimus quid possit ipse Deus, qui illis istud posse contulit, & discimus eum infinitè plus quàm illas seu timere, seu amare.

XI. Quare tantum abest ut exinde amor noster in Deum minuetur (quod erat primum

ynopsis

agnatio
D.
Josephus
SV
173

primum oppositæ sententiæ argumentum) quin potius multum juvatur ut crearet: Nam primò cum homo in se illud Dei donum considerat, quomodo non in tanti benefactoris amorem exardesceret? Secundò, cum illicium amoris potentissimum sit amor, voluit Deus, ut homo ex seipso intelligeret, quantum ipse nos amet, ut sic ad ipsum redamandum inflammaremur. Ita Salvianus lib. 4. de Providentiâ. *Ex hoc quoque affectu, inquit, quo amare nos fecit pignora nostra, intelligere nos voluit, quantum ipse nos amet, totum enim genus humanum pignus est Dei Creatoris sui.* Cur verò voluit hoc, nisi ut modo maximè naturali, quemadmodum igne ignem, sic amore suo amorem nostrum suscitaret? Hinc illæ ejus voces per Prophetas suos. *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non miseretur filio uteri sui? sed etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui: Ecce in manibus meis descripsi te.* Isaia cap. 49. vers. 14. Tertiò, & ipsi liberi amore quo in parentes suos naturâ pungente feruntur, manuducuntur quodammodo, ut intelligant illum quem Deo debent, à quo principaliter sunt: si enim me sentio tam fortiter, tam potenter à naturâ urgeri, ut amem parentes, qui corpus illud, quod mori debet, efformarunt, quos ex hac consideratione æstus in me accendi non sentiam erga illum, qui vitæ spiritum mihi insufflavit nunquam moriturum?

XII. Ad hæc undè quis certò scire potest an Pater sit, an Mater qui corpus hoc meum ossibus & nervis compegit, an Deus? Certè hoc mihi saltem dicere fas sit, quod si illi qui dicuntur Parentes, essent corporum nostrorum principales opifices, (nam de animâ, quæ pars est nostri potior, certum est illos eam non attingere) non possent ignorare operis sui initium, progressum & perfectionem: scirent an filius futurus sit, an filia quæ matris alvo concluditur: quomodo & quando foetus prodiretur in lucem, &c. omnia tamen ista illis sunt mysteria: Mater uterum gestat, & nescit quid in illo gerit, sæpèque contingit, quod foetus in eâ sit formatus antequam putet se imprægnatam.

tam. Dicendum igitur manum aliquam potiore in abdito operari, quæ nervos extendit, ossa indurat, carnem compingit, venas & arterias dividit, sensus fabricat, nempe Dei invisibiliter operantis: Illi ergo non tantum de animâ tenemur, sed etiam de corpore, & quidem principaliter ne dicam ex toto: quod totum cum homo cordatus recollit, colligit facillè ex amore quem naturaliter parentibus impendit, illum quem ei debet, à quo omnia habet.

Secunda ratio quare Deus matrimonium ad hominum propagationem instituit est pulchritudo universi; quæ consistit in ordine, qui nullus fuisset inter homines, si, ut dicitur in argumento secundo pro oppositâ sententiâ, à Deo ut Angeli immediatè fuissent creati. Nam juxta Alensem in textu 16. lib. 5. Metaph. *Ordo est species quadam diversitatis, adeoq; Philosophus ibi agit de modis prioris & posterioris, qui in ratione ordinis continentur.* Et definitur à Divo Augustino lib. 19. de Civit. Dei cap. 13. *Parium dispariumq; rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* Vel melius & generalius. *Debita dispositio plurium secundum prius & posterius.* Ad quem proinde tria requiruntur, ut constat. Primum, Pluralitas & multitudo rerum. Secundum, harum comparatio ad aliquod principium certum, sub quo ordinata dicuntur. Tertium, diversitas cum aliquâ subordinatione seu ratio prioris & posterioris inter ea ex quibus constat per comparisonem ad illud principium. Atqui si omnes homines à Deo immediatè creati fuissent, cum tunc omnes nascerentur æquales; & nullus quidquam haberet supra alium, nullus ab alio dependeret; nulla consequenter esset diversitas, nullus ordo prioris & posterioris, ac sic esset multitudo hominum sicut acervus lapidum.

Nec est simile de Angelis, tum quia XIV. ex D. Thomâ singuli Angeli distinguuntur specie: tum quia etsi plures essent ejusdem speciei, ac sic æquales inter se ut cohortes in aliquo exercitu, sunt tamen inæquales per respectum ad alios, ac sic bene stat inter illos ordo, idest diversitas cum relatione & comparatione ad unum principium: unde licet

licet ex contrariâ dispositione esset similitudo inter homines & Angelos quoad modum productionis, esset tamen maxima dissimilitudo in modo essendi, quia inter hos esset ordo non item inter homines.

XV. Tertia ratio, non solum voluit Deus inter homines naturæ similitudinem, sed adjecit etiam ejusdem sanguinis communionem, ut eos inter se ætiori amoris vinculo colligaret: Nam etsi diversitas omnino necessaria sit in multitudine ad ordinem, illa tamen diversitas si non adsit vinculum, quo inter se convenient, & sibi invicem uniantur, majorem faceret confusionem: Quare unicum condidit Deus hominem, & ipsum deinde cæterorum constituit proto-parentem, ut ex uno omnes propagati, & eodem (qui per omnium fuit venas) sanguine creti, fraterno sese complectantur amore, atque unum inter se fiant, quemadmodum unum sunt in eo ex quo prodierunt: Hinc D. Augustinus de bono conjugali cap. 1. *Ob hoc ex uno Deus voluit omnes homines condere ut in sua societate non solâ similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur.*

XVI. Quarta ratio, voluit Deus omnes ex uno propagari, ut sic omnes sibi in illo principio unitos in se summè exaltare posset: si enim Deus omnes immediate per se creasset, procul dubio non venisset Christus: Cur enim tunc hominem potius assumpsisset Deus quàm Angelum? sed etsi venisset, tunc quidem natura illa in individuo unita Verbo fuisset summè elevata; nil tamen inde elevationis cæteris obtigisset, quia cum tunc non essent omnes ex uno propagati, non essent illius naturæ à Verbo assumptæ, ut nunc consanguinei. Voluit ergo homines ex uno procreari, ut carnem ex eodem & ipse assumpturus, non tantum homo fieret ut illi, sed etiam illorum frater & consanguineus juxta illud ad Ephes. cap. 5. vers. 3. *Membra sumus de corpore ejus, de carne & de ossibus ejus.* Quàm pium hoc in Deo! quàm magnum & gloriosum pro nobis! sed quàm utile quis edicat: quàm magnum motivum amandandi: quàm magnum incentivum beneficiendi, fraternitas!

Hinc suppositâ Scoti sententiâ non improbabili, quod scilicet Verbum hominem assumpsisset, etsi Adam non peccasset; hinc, inquam, fit probabilissimum, quod si post Adæ peccatum carnem in quâ pati posset accepit, hominesque potius quàm Angelos redimere voluit, ad id principaliter per motus fuerit, quod incongruum videretur totam illam naturam, quæ ipsi adeo propinqua erat & consanguinea, quam liberare poterat, in damnatione, in quam miserè culpâ alienâ lapsa fuerat, relinquere: hinc alia post istud (quod omnium origo est) infinita bona quæ ab eo accepimus, nunquam accepturi sepositâ illâ fraternitate, & sanguinis communicatione.

Ex quo facilis est responsio ad argumentum tertium oppositæ sententiæ: Nam quod spectat culpam alienam, quâ per generationem seu propagationem ex Adamo rei facti sumus (quod est omnium inconvenientium contra nos adductorum præcipuum,) dico culpam illam non esse malum ipsarum nuptiarum, ut argumentatur D. Augustinus libris duobus de Bono Conjugali, sed inobedientiæ & rebellionis Adæ. Quod si tamen contigit postea quod per viam generationis peccatum Adæ unâ cum naturâ propagatum sit, & per illam tanquam per fistulam seu canalem in ejus posteros transfusum, hinc magis mirare sapientissimam Dei providentiam, quæ illud prævidens, non mutando consilium, invenit modum aptè eo utendi: ex eodem enim ipso remedium ipsi malo providit tale, quod malum suâ bonitate longè superaret, Christum scilicet ex ejusdem proto-parentis carne propagatum, qui & ipsum peccatum delevit, & majorem gratiam, naturam extollendo, addidit.

Quod verò spectat morbos, quos à parentibus hæreditamus, & defectus cum quibus nascimur, præterquam quod sunt tantum mala pœnæ, & de cætero materia virtutis, quod ex illorum oppositione bona opposita magis elucescant; & quod conferant ad pulchritudinem universi, ut umbra in picturâ: dico illos abundè compensari per nostram elevationem ad fraternitatem & consanguinitatem Dei.

SECTIO

ynopsis

agnatio
D.
septim
SV
an

SECTIO II.

Ultima hujusce rei ratio ad propositum nostrum.

XX. Quod Sanctissimi Patriarchæ Josephi Deiparæ Sponsi singularis magnitudo, quam adstruere mihi propositum est in hoc opere, ex matrimonio cum eadem Deiparâ proveniat, ita pervulgatum est, ut nemo jam inveniat pius & fidelis, qui non ita sentiat. Cum enim per illud matrimonium factus sit verus ejusdem Deiparæ Sponsus & Conjux, consequenter nequæ omninò necessario factus est Pater Christi Domini ex suâ Conjuge de tempore sui cum illâ Conjugii, nec ullatenus à se divisâ, concepti & geniti: vel ut melius ac congruentius loquamur, per illud matrimonium executus est Deus voluntatem suam, secundum quam ab æterno decrevit D. Josephum elevare ad strictam Paternitatem respectu Filii sui: ex quâ Paternitate, summa ejus post Sponsam suam ad eundem Dei Filium Christum Dominum omnium fontem gratiarum copiosissimum propinquitas, & ex hâc earumdem participatio largissima gratiarum.

XXI. Verùm enim verò non illud est quod hic volo: non enim hic tantum contendunt D. Josephum per matrimonium cum Virgine exaltatum, quasi Deus solum ex præsuppositâ prius in mente suâ matrimonii institutione ansam arripuerit D. Josephum per illud exaltandi ad paternitatem filii sui: hoc enim etiam magnum sit, & hætenus satis fuerit cæteris D. Josephi Encomiasticis, non tamen mihi & rei veritati: sed præterea aio ipsammet matrimonii institutionem ad multiplicationem generis humani ex hoc à Deo primitus fuisse volitam, quia voluit per illud, non tantum extollere totam naturam humanam, & singula hujus individua usque ad fraternitatem, & consanguinitatem cum Deo Incarnato, ut diximus Sectione præcedenti, sed maxime & prius, quia hac viâ vidit duo ejusdem naturæ humanæ individua,

Divam scilicet Virginem Deiparam, & Castissimum ejus Sponsum Divum Josephum posse summo quo poterat & fieri decebat modo, exaltari; illam quidem ad Maternitatem Dei; hunc verò ad ejusdem Paternitatem: ita ut ex hoc quod viderit Deus, si ad multiplicationem hominum institueret matrimonium, fore ut & tota natura in singulis individuis posset per Incarnationem Verbi exaltari ad fraternitatem & consanguinitatem cum eo (quomodo non fuisset exaltata si omnes homines creasset, etiam si tunc hominem assumpsisset) & Virgo evehi usque ad Maternitatem Dei, & Divus Josephus usque ad ejus Paternitatem, motus sit ut vellet potius homines hæc viâ multiplicari, quàm per creationem: & quia Deus plures fecit exaltationem istius Virginis & istius Viri, quàm cæterorum omnium, idcirco dico maxime & prius Deum voluisse instituire matrimonium ob illorû exaltationem, Virginis ad Maternitatē, & D. Josephi ad Paternitatem, quàm ob cæterorum ad fraternitatem & consanguinitatem, quamvis & horum exaltationem per hoc voluerit, & omnia demum ad summam sui nominis gloriam ordinari, ut proinde dixerim nos aliquo modo duabus illis excellentibus creaturis post Deum debere, quod ad Dei fraternitatem & consanguinitatem evecti sumus, quodque ea dona quæ nobis hujus intuitu propinquitatis divinitus collata sunt acceperimus: cum ergò bona quæ ex matrimonio proveniunt tanta sint, ut multum prævaleant omnibus infauktis, ut constat, satisfactum est quarto & ultimo oppositæ sententiæ argumento.

CAPUT II.

De variis Beatissima Virginis Sponsis.

NOMINA Sponsus & Sponsa dicuntur à spondere: Spondere autem secundum aliquos est quasi sponte dare: secundum alios sponte dicere, eo quod spondere ex institutione vocis sit idem quod promittere, quod fit non dando, sed

- sed dicendo, quamvis futuram respiciat rei promissæ dationem.
- II. Quoad rem Sponsus & Sponsa potissimum dicuntur de contrahentibus in ordine ad matrimonium: eoque potius nomine contrahentes in hac materiâ exprimentur quàm alii, quia verbum spondeo, à quo derivantur explicitè, importat spontaneitatem; quæ si in ullo contractu requiritur, id maximè verum est in hoc, ubi contrahentes non de quolibet alio, sed de seipsis alteri tradendis contrahunt.
- III. Ufus propriusistarum vocum in Jure duplex est, idque secundùm utramque acceptionem præactam nominis: primò enim sumitur pro illis inter quos est tantùm promissio futuri matrimonii: Secundò, sumitur etiam pro illis inter quos est matrimonium & traditio mutuò facta, ita cap. *Accepisti, & cap. tuas*, Extra. *de sponsa duorum*, & cap. *Conjuges* 27. quæst. 2. tum quia tunc maximè sponsus & sponsa se invicem, mutuò & sponte dant: tum quia hæc sponsio in celebratione matrimonii completur, adjectione etiam aliarum sponsionum, quæ ad ejus complementum faciunt, ornatur; qualis est sponsio perpetuæ fidelitatis, societatis, mutuorum obsequiorum, &c. Hisque duobus modis nullus præter Divum Josephum fuit Beatæ Virginis Deiparæ Sponsus; nulli enim alteri fuit vel promissa, vel tradita in matrimonium.
- IV. Attamen quia matrimonium quod contrahitur inter virum & sceminam, signum est non tantùm illius unionis quæ est inter Christum & Ecclesiam, quæ est in carne; sed etiam illius quæ est in spiritu inter Deum & animam, ut notavit Hugo de S. Victore tomo 3. lib. de Mariæ Virginit. perpet. cap. 4. circa med. Dico Spiritum Sanctum alio excellentiori & diviniore modo fuisse ipsius Sponsum. Enimverò tunc ei desponsata est, non cum Virgo esse proposuit, non enim ad desponsationem nisi Virginem admisisset, sed cum per Virginitatis sponsionem seu votum se ei ita tradidit & addixit, ut nullum præter ipsum Amatorem esset admissura.

Porro hoc spirituale Conjugium tam admirabile extitit, ut in eâ cum habuerit effectum, quod ipsum carnale, quia ex eo à Spiritu Sancto imprægnata suscepit filium, Christum scilicet Dominum nostrum: Quare hæc sola propriè Spiritus Sancti Sponsa. Ne ergò quidquam timeas, ô Virgo Sacratissima! dum tibi ab Angelo dicitur: *Ecce concipies in utero & paries Filium qui Filius Altissimi vocabitur*, nevé quæras: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Sanè propter hoc ipsum fiet.* Ex Chrylostomo loquor homil. 49. in Genesim. *Quoniam virum non cognoscis, nam si cognosceres, non fuisses digna habita ut huic Mystério servires.* Quia verò virum non cognoscis, sed animam & corpus tuum Spiritui Sancto consecrasti & tradidisti, ideò prior ille tuus Sponsus Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, & nascetur ex te qui vocabitur Filius Dei.

Si fortè fuere aliqua conjugia majori cum pompâ, apparatu & solemnitatibus externis, quàm hoc, celebrata; nullum tamen hoc sanctius aut felicius: sive enim Conjuges spectes, sive causam, sive effectum Conjugii, quid hoc sanctius? Si Conjuges, quinam Sanctiores Josepho & Mariâ? Si causam? copulantur hi non ut commisceantur corpore, sed ut copulentur Spiritu: Si effectum? ex hoc prodiit Deus homo.

Sponsos ergò duos simul & semel habuit Beatissima Virgo, unum è cælo, è terrâ alterum: è cælo Sanctum habuit Spiritum: è terrâ D. Josephum: & quidem quisque illorum in eo, quod in ipsâ operatum est, divinisimo Incarnationis mysterio suum habuit locum, quia enim in Conjugio duo sunt, Sacramentum Conjugii, & Sacramentum Conjugalis officii, seu quod idem est, Conjugium, & Conjugii officium, quorum primum est in fœdere dilectionis, secundum in productione prolis: hinc ut cuique illorum suum jus servaretur, illa duo inter eos ita divisa sunt, ut D. Josephus Virginem Sponsam possederit in fœdere dilectionis, in quo stat conjugii Sacramentum: Spiritus

V.

VI.

VII.

ynopsis

agnabile
D.

Josephus

SV
an

Spiritus sanctus verò in eâ filium altissimi produxerit, in quo stat conjugii officium.

VIII.

Quare velut puella inquit noster Christophorus Avendano serm. de Sancto Ioseph, quæ duos habet Amasios quorum alter est dives, alter tenuis: sæpè depilat opulentiorē, ut habeat quod det pauperi: ita Beatissima Virgo Deipara cum duos prædictos sponfos haberet sui amantissimos, quidquid à Spiritu Sancto habere potuit, ejus participem fecit Divum Iosephum. Quid autem Beata Virgo à Spiritu Sancto non accepit? quantum potuit ille? quantum merebatur ista? Cùm ergo tanta acceperit, quid non contulit huic prædilectissimo sponso suo? In eo sensu dicebat D. Bonaventura in speculo. *Cùm ea que sunt uxoris sint & viri, ideo purissima Virgo totum thesaurum sui cordis, quantum Ioseph capere poterat, ei libentissimè effundebat.*

IX.

His duobus purissimis purissimæ Virginis Deiparæ sponfis primariis non possum quin subnectam alios, qui & ipsi ejusdem purissimæ Virginis sponfi dicti sunt per aliquam similitudinem & analogiam: quemadmodum enim Christus Dominus nonnullas selectas Virgines post Matrem suam plus cæteris adamavit, atque in istius singularis signû amoris aliquo sensibili signo, puta annulo, ciclade, torque, sive monili, eas sibi æterno fœdere copulavit, ut S. Agnetem, S. Catharinam Martyrem, S. Catharinam Ordinis Prædicatorum, S. Theresiam, & S. Mariam Magdalenam de Pazzi utramque Ordinis nostri, quarum ultimam adhibitis duobus testibus è coelo, sancto scilicet Patre Augustino, & præfata Sancta Catharina Senensi annulo in ejus digitorum illato desponsavit, cui deinde cor proprium contradidit, & stigmata sua impressit, ex ejus vitâ à Patre nostro Leone conscriptâ & aliis: ita idem privilegium suæ Sanctissimæ Matri communicatum esse voluit, ut scilicet aliquos sibi singulariter devotos simili ratione sibi desponsare posset in signum specialis amoris.

X.

Ex illis fuere plures, inter quos fuit S. Robertus primus Pater & Abbas Monasterii, & Ordinis Cisterciensis

apud Surium ad 29. Aprilis: Beatus Alanus Ordinis Prædicatorum ab eâ electus ut collapsam Sacri Rosarii devotionem restitueret, quod & fecit apud Michaëlem Insulanum, Quodlibeto de Rosario, & Carthagenam tom. 4. & alii quàm plurimi.

Sed in his maxime enituit S. Hermannus Candidi Ordinis Præmonstratensis Canonicus & Religiosus, inde deinceps dictus Iosephus: de quo Surius ad septimam Aprilis, & Author vitæ ejus cap. 22. & 23. hic Hermannus erat in Steinveldensi Monasterio non degener Divi Patris Norberti filius, Virginis cultor eximius, eximiusque amator & admirator: nihil eo castius, purius nihil: Placebat Dominæ servus, non jam servus, sed sponfus ei per Angelum Paranympum, annuente coelo, traditus: Quâdam ergo nocte apparens ei purissima Virgo, è duobus, Angelis, qui ei tunc aderant unus, dexteram Hermannii apprehendens, & Beatæ Virginis manui innectens, his cum illi despondit verbis. Hermanne, inquit, ecce hanc Virginem, eam tibi trado in sponsam, quæ olim fuit desponsata Ioseph, ut nomen sponfi pariter cum sponsâ accipias, ac de cætero non aliter quàm Ioseph voceris: & exinde non tantum Ioseph vocatus, sed insuper ei à Beatissimâ & Sacratissimâ Virgine jam sponsâ suâ sæpiculè concessus, & datus ad manus infantulus Jesus, ut cum Iosephi more, Ioseph jam factus, in ulnis deportaret, ac in gremio fovens in ejus amores totus exardesceret.

Hos si assequi non detur, licebit tamen sequi alios, qui cum has Cæli blanditias sibi promittere non audent, seque indignos existimarent, quibus similia concederentur, eam ipsi in sponsam spectis aliis terrenis delegerunt. In illis unus fuit Sanctus Edmundus Cantuariensis in Angliâ Archiepiscopus apud Surium ad 16. Novembris.

Hic adolescens, hujus purissimæ Virginis, ac sanctæ virginitatis captus amoribus, coram ipsius imagine prostratus, ei se devotissimè commendans & Deo castitatem vovens, eam sibi sponsam deligit, & ut hoc fœdus stabile

bile sit, novo modo eam annulo suo, quem eam ob causam præparaverat, sibi despondet, cumque annulum ejusdem imaginis digito infigit, in quo etiam erat inscripta Angelica salutatio. Atque ex eo tempore quoties Beatæ Virginis Mariæ expetiit opem, toties eam sensit: habuitque & ipse in digito suo alium priori similem annulum, cui itidem cunctis admirantibus Angelica salutatio insculpta erat, ut Beatissima Virgo ipsum suum sponsum & habere, & agnoscere dignaretur, cum quo cum sepultus fuisset, à quodam Abbate ablati est, quo & plurima miracula patrata sunt.

XIV. Præteritis aliis quàm plurimis, adhuc unum accipe ex Vincentio Bellovacensi lib. 7. spec. cap. 87. apud Henricum Engelgrave Cælestis Pantheon part. 1. in Festo S. Josephi §. 1. Adolescens cum inter suos prope Ædiculam Marianam in suburbio sitam pilâ lustraret, paulò quàm cæteri terrior delicatiorque, cum pilam semel iterumque non male redditam repulisset, sensit ab eo repercussu manû infortescere: ac fortè annulum in digito gestabat, quem auro faberrimè factum, & palâ gemmaque venustum à nescio quâ Parthenope incautus acceperat, eoque impensè charum, ne quâ in ludo rumpere, aut certè cum manu reliquâ macularet, vel excuteret, decrevit exuere, subitque in facello latebras quarere: quo dum è turba ludoque se proripit, conspicit in arâ virginis insigne, in cujus complexu divinissimus infans hiantibus labellis suavissimè renidens: Ergo adolescens dum inter manus gemmantem annulum versat creber rotatque, videt opportunè digitum indicem in Virginis effigie præter cæteros arrectum ita rigere, ut videretur ejus articulis gemmâ percommodè inseri posse, & in hoc ostentari. Ille hinc jam sui, & ludi, & sociorum oblitus, ab imaginis aspectu paulatim ad cælestia meditanda abreptus, cœpit ibidem in genua procumbere, & alias curas de aliis amoribus vertare. Equidem sic ipse secum: quem amo annulum? cui rei circumfero amens? & ne inquinetur hic, aut deperdatiur, tam caute asservo, nisi ut

vanâ me pulchritudine vanus ipse delectem. Nempe donum id puellæ est, & puellæ cuius? mecum utique, aut etiam ante me brevi morituræ: Quid si carnales nuptias cælestibus commutem? & omnium Virginum speciosissimæ me Virginem hoc annulo despondem?

Dixit, & aspecta miratus imaginis ora,

Hæc, ait, hæc auro est digna puella meo.

Simul annulum sibi detractum expedit, eoque extentum Virginis digitum gaudens induit, nec annulum dumtaxat suum commendat, sed se quoque totum in custodiam ei clientelamque tradit.

Id autem donum Virgini gratum accidisse, eventus ostendit duplex. XV. Primus, vix enim digito Virginis annulum indiderat, cum ecce primores manus articulos cœpit paulatim imago velut adductis nervis contrahere, digitoque introrsum reflexo annulum acceptum sic includere, ut nisi vis fieret, indexque rumperetur, elabi manu, eximique porro nequiret. Quod insigne spectaculum ut oculos adolescentis insperatè rapuit, facilè persuasit, ut in animum induceret donum Virgini placuisse. Igitur nihil ultra cunctandum ratus, hanc sibi Sponsam præ omnibus mortalibus formâ ac gratiâ longè excellentissimam acceptat, annulumque suum in æternum consignat,

— Serva aurum, ait, optima serva:

Pulchrior in digitis sit mea gemmatuis: quæ ipsa si prius gemma non fuisset, jam certè contactu tuo fieret.

Secundus eventus est ille quem addit P. Toffanus Bridoul Jesuita libro Gallicè conscripto, cui titulus *Triomphe Annuel de N. Dame*, (non enim Vincentium Bellovacensem primum hujus Historiæ Authorem habeo ad manum) quod scilicet ut lubrica est & versatilis voluntas humana, abinde mundo & diabolo ludificante prioris propositi oblitus, aliam partem accepit: Sed ipsâ nuptiarum nocte Virgo, cui se ut præfertur prius tradiderat, ei apprensus sciscitatur quid ipsi in se displicuisset, quod ad eam sperendam & deserendam induxisset: quâ reprehensione totus in se confusus, & ad mentem reversus, eâ ipsâ nocte adinstat Sancti

Z z

Alexia

Alexii clam se furripuit, ut fidem prius Virgini Deiparæ reposcenti datam servaret.

XVII.

Horum exemplo vos qui hæc legitis, & adhuc liberi estis, proficite: liberi autem estis non tantum quamdiu necdum de nuptiis cogitastis, sed etsi alteri mortali fidem fortè dederitis. Cogitate seriò & vobiscum ipsi perpendite antequam quidquam in re tam gravi agatis, quid vobis magis expediat: an non vobis melius futurum sit, si spretis carnalibus illis nuptiis, in quibus (quod de fide est) tribulationem inventuri estis, utinam non æternam, vos vestraque omnia, corpus & animam, affectus & amores omnes in Deum transferatis: quod si hoc ardeat, vos ò viri! Mariam exemplo Josephi Sponsam accipite: & vos ò virgines! exemplo Mariæ Josepho desponsari ne timete, utrique virginitatem vestram commendate, Viri Mariæ Virginum Regina & Protectrici: Virgines Josepho, cujus fidei & custodiæ Virgo Virginum commissa est. Utrumque annulo isto, quem nuptiis transituris fortè parastis, aut parare possitis, vobis despondete: cum eis spirituales nuptias agite, à Deo mille benedictionibus, utriusque intuitu & meritis cumulandas, & demùm æternâ beatitate coronandas.

CAPUT III.

An Divus Josephus ante Beatam Virginem alias duxerat uxores? an verò Virgo fuerit quando ei nupsit?

I.



ANTIQUA est admodum hæc quæstio, & habuit suos olim utraque pars, affirmans & negans, fautores & assertores. Ita porro quantum quidem reor hæc in re primitus discrepatum est quod cum in antiquâ Lege non vellet Deus, nec etiam oporteret ordinariè homines esse castos, id est sine conjugio, constaretque Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moysen, Samuelem, & ceteros istius legis Patres & Prophetas, perfectio-

nem animi etiam in matrimonio attigisse, non existimarunt tantopere curandum an Virgo extiterit, vel Viduus D. Josephus, quem sub antiquâ sciabant fuisse lege natum, quandoquidem omnimodam perfectionem in conjugio juxta illius temporis exigentiam assequi potuerit.

Verumtamen quia omninò certum est Divum Josephum licet natum sub antiquâ lege, ad novam pervenisse, imò ad Incarnationis mysterium (quod legis gratiæ uterus est) contribuuisse, ac propterea ad ordinem unionis hypostaticæ evehctum fuisse, Continentiam quoque virginalem Conjugali semper, etiam tempore legis antiquæ prævaluisse; hinc est quod difficultas hæc semper majori indagine digna fuerit: quæ initio non fuit adhibita, quia tunc omnium intentio in aliis magis necessariis seu ad fidem tunc novellam plantandam seu jam radices agentem, ab hæresibus defendendam, occupata erat: & idè eam postmodum Patres & Doctores diligentius examinarunt, ex quorum sententiâ quid hæc in re sentiendum sit determinabimus.

SECTIO PRIMA.

Innuptum eò usque fuisse probatur.

Bigamum qui dixerunt atque ex priore uxore plures suscepisse proles recensentur à Cardinali Baronio in Apparatu ad Annales cap. 46. Ex Græcis, D. Hippolytus Portuensis apud Niceph. lib. 2. cap. 3. D. Epiphanius hæres. 28. 51. & 78. & in Ancorato Euseb. histor. lib. 1. D. Gregorius Nyssen. homil. de Resurrect. Christi. D. Chrysostomus homil. de Annuntiat. Virg. Theophylactus in Matth. cap. 27. Euthymius in Matth. cap. 2. Et ex Latinis D. Hilarius in Matth. can. 1. & D. Ambrosius in epist. ad Galat. cap. 1. in fine.

Duplex fuit hujus Sententiæ verius erroris fundamentum, primum traditio quædam Hæbreorum sumptâ occasione ex Evangelio sub nomine Petri, & altero sub nomine Jacob, quæ olim

olim circumferebantur. Ita Origenes in Matth. cap. 13, ubi sic ille: *Frates autem IESU putabant nonnulli esse (ex traditione Hebraeorum sumpta occasione ex Evangelio, quod titulum habet iuxta Petrum, aut ex libro Iacobi) filios Ioseph ex priore uxore, quæ convixerat ipsi antequam duceret Mariam.* Ex hoc fonte Hippolytus Portuensis citatus potus est, qui ait: *Ioseph ex uxore sua Salome, genuit quatuor masculos, Iacobum, Simonem, Iudam, & Ioseph: duas itidem & feminas, Esther, & Thamar.*

V. Secundum fundamentum sumitur ex veris Evangeliiis Matthæi & Marci, ubi fit mentio fratrum & sororum Domini: Cùm enim evidenter omnibus constaret, illos quos præmemorati Evangelistæ vocant fratres & sorores Domini, non esse tales ex Beatâ Virgine, interpretati sunt illi eos esse tales, per D. Iosephum ex aliâ priori uxore. Atque ex hoc fonte Divus Epiphanius Hæres. 78. quæ est adversus Antidicomaritas, asseruit idem, quod Hippolytus ex priore hauserat: ait enim, *Habuit hic Ioseph primam suam uxorem ex Tribu Iudâ, & peperit hæc ipsi liberos numero sex, quatuor masculos & duas femellas, quemadmodum Evangelium secundum Matthæum, & secundum Marcum declaraverunt: non quod Matthæi aut Marcus dicant Ioseph habuisse illam priorem uxorem, & ex eâ sex illas proles; sed quia existimavit Epiphanius cum aliis, eos quos fratres vel sorores Domini Evangelistæ illi nominant, esse ex Ioseph & primâ, quàm putat habuisse uxore, progenitos.*

V I. Sed seipsâ cadit tam ruinosis superædificata fundamentis opinio: ut non mirum videri debeat quod notavit citatus Baronius; cæteros Patres Latinos Orthodoxos, qui post D. Hieronymum & Augustinum vixerunt eivaledixisse, adeo ut Beatus Cardinalis Petrus Damianus suorum temporum scriptor nobilissimus epist. 11. cap. 4. ad Nicolaum Romanum Pontificem dicat magnâ fiduciâ, *Ecclesie fidem in eo esse, ut non modò Deipara, verùm etiam putaretur Pater atque nutritius Virgo habeatur.*

VII. Resellitur ergo error ille à funda-

mētis quibus innititur: ac primùm quidem, quia ut ante nos notavit D. Hieronymus illius impugnator acerrimus & primarius in Matth. cap. 12. in fine, & constat etiam ex Origene citato, ex Cæneso fonte Pseudo-Evangeliorum Petri & Iacobi minoris haustus est; quæ Evangelia ut adulterina, Ecclesia damnavit semper: nam illa non à Petro, aut Iacobo scripta, sed à Leucio quodam, seu Seleucio Hæretico fuisse, conficta & comprobata sunt, & testatur Innocentius Papa epist. 3. ad Exuperium cap. 7. de quibus Gelasius Pontifex in Concilio Romano tit. de Script. Apocriph. pronunciat. *Evangelium nomine Petri apocriphum, Evangelium Iacobi minoris apocriphum:* Quin etiam ipsi Centuriatores Magdeburgenses licet Hæretodoxi Centur. 1. lib. 1. cap. 10. admonent fabulosum videri Iacobi Protevangelion, ubi Ioseph viduum fuisse, ac plures habuisse liberos, antequam Maria ei desponsaretur, exponitur.

VIII. Secundum fundamentum penitus suffodit & subvertit observatio verissima ejusdem D. Hieronymi ibidem: sed maximè lib. adversus spurcissimum Heluid. hæreticum paulò ante finem, ubi observat ex Scripturâ factâ quatuor modis aliquem dici alterius fratrem: scilicet naturâ, gente, affectu, & Cognatione. Natura dicuntur fratres, qui eisdem Patre & Matre, vel saltem illorum alterutro geniti, ut Esau & Jacob, ut Ruben & Ioseph: gente, quomodò Judæi inter se fratres vocati sunt, ut Deuteron. cap. 15. vers. 7. *Si unus de fratribus tuis qui moratur intra portas Civitatis tuæ ad pauperiam devenit, non obdurabis cor tuum, & vers. 12. cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus aut Hebræa, & sex annis servierit tibi in septimo anno dimittes eum liberum, & c. 17. ubi decernitur de Rege eligendo, constituens eum, inquit Deus, Regem, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum: & Apostolus ad Rom. cap. 9. vers. 3. *Optabam ego ipsè anathema esse à Christo pro fratribus meis, cognatis secundum carnem, qui sunt Israëlita, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, &c.* Dicuntur tertio, fratres affectu, primò*

Z 3

spiritua-

ynopsis

agnatio
D.
Ioseph
SV
am

spiritualiter, quomodo Christiani in Christo fratres dicuntur, quomodo Religiosi unius Ordinis: hinc illud, *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*, & istud, *narrabo nomen tuum fratribus meis*. Secundò, etiam carnaliter, quomodo omnes homines fratres dici possunt, quia omnes uno proto parente procreati, pari inter nos affectu conjungi convenit. Hinc illud *dicite his qui oderunt vos, fratres nostri estis*: tandem cognatione dicuntur fratres, qui sunt de unâ familiâ; cum ex uno stipite non nimis remoto multa generis turba diffunditur. Sic Loth (quem filium fuisse Aram fratris Abrahamæ constat ex Genes. cap. 11. v. 27. & 28. *Thare genuit Abraham, Nachor, & Aram: Porro Aran genuit Loth*,) dicitur Genes. cap. 13. vers. 8. frater Abrahamæ: Laban frater Rebecæ Matris Jacob Genes. cap. 28. v. 2. frater appellatur Jacob Genes. cap. 29. v. 15. imò morem fuisse apud Palestinos, ut omnes cognati fratres dicerentur notant Thomas Anglicus in Genes. cap. 24. vers. 37. & Canus de locis Theolog. lib. 11. cap. 5. apud nostrum Sylveiram in Evang. tom. 3. lib. 5. c. 25. expolit. 1. num. 2.

IX. Itaque Jacobus & Ioseph, Simon & Judas à Matthæo & Marco fratres dicuntur, non naturâ, quod fuerint eadem Matre Mariâ, vel eodem Patre Iosepho geniti, non etiam quod solum fuerint gente fratres, quia absurdum est, inquit D. Hieronymus, quod illi pauci ex Judæis vocati fuissent hoc modo fratres, cum omnes Judæi hâc ratione fuerint tales; non etiam solum affectu, cum sic spiritualiter omnes Apostoli, carnaliter omnes homines fuerint ejus fratres, restat ergo ut fuerint cognatione.

X. Nec mirum quod sacri Evangelistæ fratres dixerint illos, qui ejus cognati erant, seu consobrini, cum eos ex vulgi more tunc locutos pateat, vel quia referunt ipsissima verba vulgi ut Matthæi cap. 13. vers. 55. vel quia eò tendunt ut referant interpellationem alicuius è vulgo, qui Christo adhuc ad turbas loquenti in Synagogâ nunciavit, *Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te alloqui*, Matth. c. 12.

Marci cap. 3. & Luc. cap. 8.

Refellitur terriò, hâc efficacissimâ & evidentissimâ Cardinalis Baronii demonstratione: quia usitata est in divinis scripturis consuetudo, ut nomini proprio filii nomen etiam proprium Patris subjungatur: sic Jacobus dicitur Jacobus Zebedæi, sic Petrus Simon dicitur Simon Ioannis: ex quâ regulâ mille exëplis in Scripturâ roboratâ, inferendum omninò, quod qui dicuntur fratres Domini in Evâgelio Matthæi, & Marci, & alibi, qui & per nomina sua propria recensentur, scilicet Jacobus, & Ioseph, Simon, & Judas, qui & Thadæus, non alium habuerunt Patrem, quàm eum cujus esse dicuntur. Cum ergò Jacobus qui Matthæi cap. 13. vers. 55. & Marci cap. 6. vers. 3. inter Fratres Domini recensetur, idem Matthæi cap. 10. & Marci cap. 3. & Luc. cap. 6. & Actor. cap. 1. Jacobus Alphæi dicatur, eum utique alio Patre quàm Alphæo genitum non est credendum: Similiter Ioseph ille qui dictis locis Matthæi & Marci inter Fratres Domini numeratur, idem Matthæi cap. 27. vers. 56. & Marci cap. 15. vers. 40. dicitur cum præfato Jacobo filius Mariæ illius, quæ fuit una ex illis mulieribus quæ sequebantur Dominum à longè: Ergò nec hic filius D. Iosephi: aliàs cum illa viveret tempore Passionis, sequeretur D. Iosephum eodem tempore duas habuisse uxores, nempe hanc Mariam Matrem Jacobi & Ioseph, & Sanctissimam Dei Genitricem, quod vel cogitare impium: Tandem Judas, aliàs Thadæus, qui ex quatuor fratribus Christi apud Matthæum & Marcum recensitis unus est Luc. c. 6. vers. 16. & Actor. cap. 1. vers. 13. vocatur Judas Jacobi, ergo nec hic ex præfatâ regulâ Iosephi filius sed Jacobi.

Restat de quarto dicamus scilicet Simone: Duos invenio hujus nominis, unum qui dictus est Simon Zelotes Christi Apostolus, alter qui aliter Simeon dictus est, Jacobo in Sede Hierosolymitanâ subrogatus Episcopus: Quis verò illorum duorum veniat sub nomine Fratris Domini intelligendus apud Matthæum & Marcum, non constat ex Evangelio, nec etiam liquet per Evangelium quo uterque sit Patre genitus.

nitus. Quare Ecclesiastica Historiæ fidei est standum.

XIII. Si ergo Simonem Zelotem fuisse contenderis, Hegesippus Apostolorum temporibus proximus, & Author fidelissimus, dicit hunc fuisse filium Alphæi & Mariæ Cleophæ; atque adeo Jacobi præmemorati fratrem germanum: Sin verò volueris fuisse Simeonem in Episcopatu Jerosolymitano Jacobo suffectum, patet ex Eusebio lib. 3. Histor. Eccles. cap. 26. quem sequitur Breviarium Romanum ad 18. Februarii, & Baronius ad annum Christi 68. fuisse filium Cleophæ fratris S. Josephi. Vide à nobis dicta superius Part. 1. Tract. 2. cap. 14. sect. 2. num. 38. 39. 40. 46. 47. & 48.

XIV. Refellitur quartò & iterùm efficacissimè ex sine hujus matrimonii Divi Josephi cum Virgine: Cùm enim Divus Josephus fuerit principaliter à Deo Sponsus & Conjux Virgini delectus & datus, ut illius & ex eâ nascituræ prolis totam curam susciperet, eam & Matrem aleret, in Ægyptum deportaret, eum eis ibi aliquot annis maneret, &c. quomodo apta fuisset illius ad hoc ministerium electio, si proles illæ ejus fuissent ex altero conjugio? An enim illarum tunc pupillarum, ac sic maximè ejus ope indigentium (erant enim tunc illæ infimæ atatis) curam Deus abdicari voluisset, & eum ab illis quibus tam necessarius erat avelli, ut sibi provisum esset? An sollicitus fuit Christus, vel docuit unquam sua commoda quarere cum alterius dispendio & incommodo tanto? maximè cùm facilis illi esset alius modus magis connaturalis sibi providendi, scilicet eligendo sibi Patrem & Tutorem Virginem & Cælibem, eiq̃ue illam virtutem inspirando & infundendo? Enimverò minimè conveniebat juxta ea quæ dicit Apostolus 1. Corinth. cap. 7. D. Josephum filiorum sollicitudine divisum esse, qui Domini Matrisque ejus inter pericula persequentium & itinerum totus esse debebat: quin etiam indignum erat viro non virgini Virginem tantam, immaculatamque ejus filium tradi: omnino verò decebat virginitatis liliam cum cum Deiparâ Conjuge suâ existere, ut qui inter lilia pascitur, & de

utero virgineo nasceretur, & in sinibus virgineis portaretur & nutrireretur.

Et quomodo homini non virgini Deus Virginem pubescentem ex quâ carnem suscepturus erat tradidisset, qui factus homo, & ex hoc mundo migraturus ad Patrem, eandem jam senescentem non nisi Virgini commendare voluit.

*Corrupto nunquid fuerat socianda puella
Quæ grandæva fuit soli commissa Joâni?*
Inquit Joannes Gerion Cancellarius Parisiensis in suâ Josephinâ.

Tandem cùm Christus ita amet virginitatem, cum illius ipse extiterit feminator, cùm eam tot aliis contulerit; quomodò eam non dedisset illi, quem elegerat in Patrem suum, in Sponsam Matris suæ, quæ est Virgo Virginum, & cum quâ tot annis usque ad mortem convicturus erat?

Post hæc argumenta ad hunc tam manifestum errorem refellendum congesta, quamvis certum sit nihil amplius desiderari posse; addo tamen & hoc minimè contemnendum, quod Christus Dominus filius utriusque, Virginis, inquam, & Divi Josephi, annexurus erat bigamiæ nonnullam infamiam, ob quam Apostolus 1. ad Timoth. cap. 3. Bigamos à Sacerdotio removendos pronuntiat, & removen- tur ab Ecclesiâ ex his causis: Primò, quod præstantia & dignitas hujus Sacramenti Ordinis id meretur, cap. *una*, dist. 26. Secundò, quia bigamia est signum incontinentiæ, cap. *proposuisti*, distinct. 82. quæ à statu Clericali planè remota & aliena esse debet. Tertiò, quia ad castitatem persuadendam idonea, dist. cap. *una*. Si ergò bigamia defectus legalis est, & tantus, ut ea propter Apostolus & Ecclesia judicaverit bigamos esse ab Ordinibus Sacris accendos, & declaraverit irregulares. Quis non videt Christi Domini parentes dedecere? & ideo ab illis omnino amovendam? Non ergò Diva Virgo No-verca, non D. Josephus Pater Christi futurus & eum aliquando tam familiariter amplexurus, gestaturus, osculaturus, bigamus: nec si fuisset talis unquam Divæ Virgini, à quâ vel ipsa incontinentiæ umbra amovenda cõjungendus.

Hinc

ynopsis

agnatio
D.

Josephus
SV
am

XVIII. Hinc Beatus Petrus Damianus epist.

II. mox adhuc citatâ ad Nicolaum Romanum Pontificem. *Nunquid ignoras Dei filium ad eam carnem elegisse munditiam, ut ne de pudicitia quidem conjugali, sed de clausula potius incarnatus sit Virginali? Et ne hoc sufficere videatur ut tantummodo Virgo sit Mater, Ecclesia fides est, ut Virgo fuerit, & is qui simulatus est Pater.*

XIX.

Atque hinc ita ad mores formandos argumentatur idem Sanctus Cardinalis. *Stigitur, inquit, Redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de virgineo utero nasceretur, sed etiam a virgineo Nutricio tractaretur, & hoc cum adhuc puerulus vagiret in cunis: à quibus nunc obsecro tractari vult corpus suum, cum jam immensus regnat in caelis? Si mundis attingi manibus volebat in praecipio positus, quantam corpori suo nunc vult adesse munditiam jam in Paterna Majestatis gloria sublimatus? Magnum magni Patris documentum, primò pro Sacerdotibus, qui divina illa Mysteria quotidie atrectant: Cui assuo quod ore verè auro D. Chrylostomus homil. 61. ad populum Antiochenum. *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum hanc carnem dividendam? os quod igne spiritali repletur, linguam quae tremendo nimis sanguine rubet? Secundò, magnum quoque pro maritalitatis documentum, ut quando ad hæc Sacramenta accedere volunt, studeant non animi tantum puritate, sed etiam corporis munditia nitere, abstinentes saltem eo die quo communicaturi sunt ab omni opere carnis, Si enim David & pueri ejus, ut panem sanctificatum in veteri lege, qui tantum hujus Sacramenti umbra erat, comedere possent, mundi esse debuerunt, maximè à mulieribus I. Reg. cap. 21. An tu mi Christiane pollutus? an à sordibus ad hanc munditiam accedes? Si ex Apostoli consilio I. Corinth. cap. 7. Oratori vacaturus, ad tempus à commercio isto carnali abstinere debet, quanto magis quando ad Sacrosancta illa Mysteria accedere intendit? quo die quis dubitat quod ferventius & diutius orandum? Pascitur Christus inter lilia, in-**

quit Sponsa Cantic. cap. 2. num. 16. *Idest, inquit Rupertus in illum locum, inter Mariam & Joseph, at nunc pascit lilia, quia suo corpore & sanguine eos nutrit qui puritatis candore lilia imitantur.*

SECTIO II.

Non Innuptum tantum, sed etiam Virginem tunc fuisse D. Josephum probatur.

Divus Hieronymus epistolâ 22. ad Eustochium de Custodiâ Virginitatis. *Statim, inquit, ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in caelis, haberet & Angelos in terris. Mariam primò & Joseph, qui verè fuerunt Angeli, non naturâ, sed professione, non conditione sed virtute; scilicet propter virginitatem quam colebant. Nam ut D. Cyprianus tract. de Habit. Virgin. Virginibus ait, *Cum casta perseveratis ac virgines, Angelis Dei estis aequales. Imò quod pace tuâ, ô Angeli! dixerim, etiam te superiores, ex hoc quod docente D. Petro Chryologo serm. 143. Angelicam gloriam acquirere, majus est quam habere, esse Angelum felicitatis est, Virginem esse virtutis; Virginitas enim hoc obtinet labore, quod habet Angelus à naturâ.**

Hujus gloria virtutis nimia est, & XII. noster ad D. Josephum purissimæ Virginis Sponsum charissimum, & immaculati Agni Patrem prædilectum affectus nimis pronus, ut illam ab ejus Coronâ detrahi patiamur: illam ergo ei adstruimus, primò ex cõmuni SS. Patrum à temporibus SS. Augustini & Hieronymi sententiâ tantâ concordia, ut Beatus Cardinalis Petrus Damianus sui temporis Scriptor nobilissimus, qui florebat sæculo undecimo epist. II. cap. 4. scribens ad Nicolaum Romanum Pontificem, ex tunc magnâ fiducia affirmet fuisse Ecclesiæ fidem, quod non tantum Deipara, sed etiam ille qui à Judæis Pater ejus putatus est, fuerit Virgo. Vide ipsius verba hic supra num. 18.

Cum ergo docente D. Augustino XXII. epist. 18. *Quod universa tenet Ecclesia disputare*

disputare an ita sit, impudentissima sit insania. Hæc Sanctorum Patrum & Ecclesiarum concordia omnibus cordatis sufficere debet: sed quia monente Divo Petro Apostolo epist. 1. cap. 3. *Parati semper esse debemus ad satisfactionem omni poscenti, nos rationem de eâ quæ in nobis est spe.* Idem dic de fide. *Fides enim est sperandarum substantia rerum.* Hebræor. cap. 11. vers. 1. Hinc rationes hanc veritatem probantes placuit subijcere.

XXIII. Probatur ergo amplius hæc veritas, ita ut præfertur recepta, primò ex Scriptura Isaiæ cap. 62. vers. 5. ubi Propheta futura sub Christo prospiciens, ait: *Habitabit juvenis cum virgine. Hoc est,* inquit utraque Glossa Interlinearis & Ordinaria, quas sequuntur Gerson serm. de Nativit. B. Virg. confid. 3. & alii Recentiores, *Ioseph cum Maria:* qui locus significat non tantum cohabitationem & convictum castum, illibatam & incorruptam juvenis cum virgine, qualem fuisse Iosephi cum Mariâ constat ex Sacra Scripturâ, & fatentur omnes Patres, nemine negante nisi impuro Helvidio Hæretico & aseculis; sed significat præterea cohabitationem castam incorrupti cum incorruptâ, quod hic intendimus: nam terminus ille *juvenis*, quando in Scripturâ conjungitur cum *virgine*, non tantum accipitur pro sexu diverso ab illo quæ significat virgo, & ut denotat illum qui est in ætate florida, & ætâ juvare, à quo juvenis, sed insuper significat eum qui talis est in sexu masculino, qualis est virgo, cum quâ componitur, in sexu foemino: cum ergo hic virgo accipiatur pro eâ quæ est incorrupta, omninò sequitur quod etiam juvenis, qui hic cum eâ componitur, pro eo qui incorruptus est accipi debeat.

XXIV. Probatur tertio, ratione D. Hieronymi lib. adversus Helvidium calculo Doctoris Angelici D. Thomæ 3. part. quest. 28. art. 3. ad 5. approbatâ, ubi ita Sanctus Pater. *Si in Virum Sanctum fornicatio non cadit. Et aliam eum uxorem habuisse non scribitur,* (quod enim ex Scripturâ adduci potuit in contrarium refutatum est à nobis Sectione præcedenti,) *Maria autem Custos potius fuit quàm Maritus, relinquatur eum virginem mansisse*

cum Mariâ qui Pater Domini meruit appellari.

Probatur quartò ex præstructis per nos fundamentis: Cum enim, ut docuimus in præcedentibus, ab æterno à Deo electus sit, ut esset Pater Christi Filii sui, & idèd Sponsus Virginis factus, ac propterea ex utero tantâ fuerit sanctitate donatus, ut & per illam fomes in eo repressus sit, & in gratiâ confirmatus; unde quæso poterit cogitari corruptio ad eum aditum invenisse.

Probatur quintò argumento Gerson. XXVI. nis serm. de Nativit. B. Virginis habito coram totâ Ecclesiâ in Concil. Constant. consider. 3. quod commune est inter Recentiores. Si Dominus Mariæ suæ jam ætatis provectæ nullum Custodem nisi Virginem, Joannem scilicet Evangelistam, qui virgo electus à Domino, virgo in ævum permansit, adhibere voluit; quanto magis existimare debemus eandem adhuc juvenulam non alteri quàm virgini, & omninò incorrupto, custodiendam tradidisse?

Roboratur hoc argumentum hæc XXVII. consideratione, quia Diva Virgo jam provectæ ætatis, tradita est Joanni à Christo expirante in Cruce, non ut virginis Custos, sed ut ei esset loco filii, eam consolaretur & juvaret, *Ecce mater tua, ecce filius tuus:* Divo autem Iosepho in ætate efflorescente tradita est ut sponsa, ut scilicet ejus virginitas fecunda, sub ipsius umbrâ celaretur, & hominibus & diabolo: si ergo ille cui Virgo jam fenescens tradenda fuit non in custodiam virginis, sed in solatium senectutis, tamen ob reverentiam tantæ Virginis, nonnisi Virgo probatus esse debuit, an Divus Iosephus cui illa adolecens in sponsam tradita est, idest cum potestate & Dominio in corpus ejus, ut tamen virginis eam servaret, potuit non esse purissimus? an amabo Divus Iosephus qui in aliâ virginitatem illibatam custodire electus est, in seipso prius eandem servare non est edoctus?

Probatur sextò, quia recta ratio omninò dictare videtur, quod non decuit tantam Virginem à Deo tradi in sponsam & conjugem homini non virgini &

& corrupto, maximè cum ex tali conjugio puriſſimus & immaculatus agnus, quem nonniſi virgines ſequuntur quocumque ierit, proditurus eſſet. An non enim filium lectiſſimum ſequetur amantiſſimus Pater quocumque ierit? vel quomodo ſequetur quocumque ierit ſi non Virgo? Igitur ſecundùm hoc debuit fuiſſe caſtiſſimus D. Joſeph.

XXXIX. Probatur ſeptimò, quia Deus Sancto Prophetæ Eliæ Patri noſtro, cæteriſque filius Prophetarum ejus ſucceſſoribus, & anteceſſoribus noſtris, etiam ſub veteri Teſtamento inſpiravit & contulit virginitatem intuitu hujus Sanctiſſimæ Virginis, quia ſcilicet illos elegerat ut eſſent ipſi, & ejus honori ac obſequio ſpecialiſſimè conſecrati, ac illam in moribus ſuis referrent, ut ex Scripturâ latè probant infiniti Authores domeſtici & externi. Quantò ergo ampliori jure Divo Joſepho eam inſpiravit & contulit puritatem, qui futurus erat aliquando ejus ſponſus & unus cum ipſa?

XXX. Lipſius in monitiſ politiciſ cap. 17. refert de Carolo VIII. Galliarum Rege, quod cum Oppidum quoddam Italiæ (Toſcanellam vocat Duplexius) expugnâſſet, in militum direptione & excuſu, Virginem perhoneſtâ formâ ad pedes ſuos proſtratam habuit, quæ ejus tutelam à militum petulantia, pudicitiaque cuſtodiam eſſagitabat. Ille à militibus eam ſervavit immunem, ſed ut juvenis erat, ſtatim ut oculos in eam conjeçit, tum libidinem adjeçit, ac demùm in lectum abjeçit jam immi-nuendam. Tunc illa toto animo anxia, tabulam in pariete ſuſpenſam, in quâ Deipara Virgo puerum mundi Salvatorem geſtabat, intuita, ita ad eum: ô Rex! per intactam hanc Virginem, inquit, oro & adjuro te, mihi virgini parce. Monuit ita Regem (non ſine Divæ Virginis ope) ut libidinem jam exilientem coereret. Mira res! Rex lachrymiſ profuſiſ eam amplexatus, liberam dimiſit cum dote quingentorum aureorum, & propinquis omnibus ac affinibus ejus captiviſ libertate donatiſ. Quod ſi homo aliâs libidine uſtuſ, ob illam puriſſimam & immacu-latiſſimam Virginem, huic puellæ eam in-clamanti, virginitatem ſervavit, an

non Deus, cujus numine, hoc ille fecit, D. Joſephum ob eandem puriſſimam Virginem, cum quâ unus aliquando per immaculatum connubium futurus erat, omni corruptione immunem præſtitit? fuit ergo ille Cæli favor, & Dei in Joſephum amor, ut nô hominem in carne mortali diceret, ſed Angelum in corpore humano.

Hanc porrò virtutem cæleſtem, quam docente D. Ambroſio lib. 1. de Virginitibus, paulò poſt inquit. *Non facile invenimus in terris, niſi poſtquam Deus in hac terreni corporis membra deſcendit,* videtur D. Joſephus quaſi à naturâ hauſiſſe, cum Deus eum gigni diſpoſuerit parentibus à concupiſcentiâ carniſ deſœcatis, qui nimirum ad ejus productionem proceſſerunt, non ut ſolet in aliarum prolium generatione, movente eos ad id concupiſcentiâ & lidine, ſed lege divinâ Deuteronomii c. 25. ut diximus in præcedentiſ.

Gaude igitur, verbis utor D. Auguſt. in Append. ſer. de diverſiſ ſer. 25. *O Sanctiſſime Joſeph! gaude, inquam, nimiumque congaude Virginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti virginalem affectum poſſidere conjugii, quia per meritum virginitatîs, ita ſeparatuſ eſ à concubitu uxoriſ, ut Pater dicariſ Salvatoriſ: ac deinde, Habe cum Mariâ conjugem tuâ communem virginitatem membrorum, quia de virginis membris naſcitur virtus Angelorum: ſit Mariâ Mater Chriſti virginitate ſervatâ: ſis autem & tu Pater Chriſti curâ caſtita-tiſ & honorificentiâ virginitatîs, ut de virginis membris genitriciſ ſaculiſ Chriſtianiſ nulla ſit zelotypia.*

CAPUT IV.

An Divus Joſephus ſemper Virgo permanſerit?

CUM certum ſit ex infra dicendis Divam Virginem Deiparam Sancto Viro ſuo Joſepho ſupervixiſſe: vivente vèrò virgine aliam ſuperduxiſſe uxorem nefas ſit cogitare: viſo, Sectione præcedenti, quod incorruptuſ Virginem duxit, reſtat, ut probeatur fuiſſe ſemper cæleſtîſ & Virgo, oftendere, quod cæli.

caelibem semper ac Virginem cum Virgine sponsâ suâ vitam duxerit. Hoc verò tam multis est executum à SS. Patribus, ut nihil superfit, quod à nobis hâc in materia addi possit.

- II. Verumtamen ut nihil quod ad propositum nostrum facit omisisse videamur, ea quæ de hac re à SS. Patribus contra Ecclesiæ hostes desudata sunt, quasi historicè perstringere, non erit abs re. Circa quam duo fuerunt errores, primus eorum qui dixerunt Divum Iosephum copulam habuisse cum B. Virgine: & ex eâ copulâ Christum genitum. Secundus est illorum qui fatentur quidem ante Christi partum Beatæ Virginis integritatem, & in partu, sed post Christi Natiuitatem volunt Beatam Virginem à Sancto Iosepho cognitam, & inde prodiisse illos & illas, qui in Evangelio dicti sunt fratres & sorores Domini, de quibus erroribus hic sigillatim.

SECTIO PRIMA.

Referuntur & confutantur illi, qui Divum Iosephum negant casse cum Virgine vixisse ante Christi conceptionem.

- III. **P**rimò, id negaverunt Ethnici eorum solum capite, quod à ratione alienum videatur mulierem sine viro concipere. Hi cum nec Propheticas recipiant Scripturas nec Evangelicas, propriis expugnati sunt armis à SS. Patribus & Doctoribus nostris.
- IV. Primò, Poëtarum suorum commentis, quibus eorum Theologia constat, multumque semper tribuerunt authoritatis, qualia sunt illa quæ de Vulcani, Minervæ, Bacchi, Veneris, Castoris & Pollucis, ac Myrmidonum ortu, & de reparatione generis ex Deucalionis & Pyrrhæ lapidibus docent: si enim tam portentosa & adeò cum naturâ & ratione pugnantia admittunt in illis, cur eis verbum hoc impossibile videtur quod Virgo divinum germen Deo operante conceperit? ita Rufinus in Exposit. Sym-

bol. Apost. & alii.

Secundò, decem Sybillarum suarum (quas ut orbis Magistras, & divinitus illustratas venerati sunt,) vaticiniis & oraculis, quæ omnes tam clarè huic veritati attestatæ sunt trecentis ante Christi ortum annis, ut non tam rem tantum post aliquot annorum centurias futuram prædicere, quàm gestam referre, seu præsentem digito demonstrare videantur: vide illarum circa hanc materiam Carmina apud P. Canisium lib. 2. de Deip. cap. 7. & alios, quæ etiam extant in Bibliothecâ Sanctorum Patrum. Quid enim habebunt Ethnicæ cur nobis non credant de Virgine Matre id asserentibus, quod illæ eorum Mulieres fatidicæ: aut cur in hoc tantum, in quo illæ conveniunt cum nostris Prophetis, illis non credent? Efficacissimum fuit hoc medium contra illos, & usitatissimum antiquis Ecclesiæ Patribus: unde factum ut Christiani ab illis vocati sint Sybillistæ apud Origen. lib. 5. contra Celsum.

His annexi possunt Druides, Antiquorum Gallorum Magi, seu Sapientes, immò & Sacrorum Antistites, de quibus Nicolaus Perottus in Cornucopiis verbo *Druides*, qui Carnuti in Gallia consistebant: ubi Aram quandam posuerunt hoc titulo insignem VIRGINI PARITURÆ: quo in loco nunc in honorem Deiparæ templum extractum est magnificentissimum.

Item illud quod refert Divus Thomas secunda secundæ Quæst. 2. art. 7. ad 3. ex historiis Romanorum, tempore scilicet Constantini Magni Imperatoris, & Helenæ Matris ejus, inventum fuisse quosdam sepulchrum, in quo jacebat homo auream laminam habens circa pectus, in quâ antiquis litteris erat scriptum, *Christus nascetur ex virgine, & ego credo in eum. O Soli sub Helenæ & Constantini temporibus iterum me videbis.*

Tertiò, exemplis à rebus naturalibus petitis, quò illis minus incredibile videatur in Mariâ Deiparâ fieri potuisse sine viro Dei virtute, quod naturæ vi in mutis animantibus fieri experientia commonstrat, quorum sexum masculi non violant, & de Alceæ &

A a 2

Anguillâ

ynopsis

agnatib

D.

Septim

SV

am

Anguillâ docet Aristoteles lib. Problem. de Ormomegiâ Ave Arabia idem Arist. lib. 5. Animal. de vulture D. Basilius Magnus Orat. 19. de Provid. & in c. 7. Isaia, & D. Ambros. lib. 5. Hexameron: de Phœnice Rufinus in Exposit. Symbol. Apostol. De equis aliquibus in Lusitaniâ & Cappadociâ Plinius lib. 8. cap. 42. Varro lib. 2. de re Rusticâ. Columella lib. 6. cap. 27. & D. Augustinus lib. 21. de Civit. Dei: de vermibus & insectis, Physiologi: de Salamandriâ alii: maximè tamen de ape Virgilius lib. 4. Georgic. Naturalistæ, & ipsa Ecclesia in Benedictione Ceræi Pâschalis Sabbatho Sancto: quod ultimum exemplum Patribus semper maximè placuit: tum quia Apis, ut communior, ita omnibus notior: tum quia, ut Apis commixtionem nesciens, habet tamen consortem marem, non ad generationem, sed ad sui tutelam & Alvearis Custodiam: ita planè Maria etsi viri expers, habuit tamen Divum Josephum conjugem, ad sui tutelam, & pueri curam.

IX. Ex quibus exemplis sic argumentati sunt SS. Patres contra Ethnicos. Quid ergo impossibile Virginis, cujus pudorem nulla viri consuetudo temerari, existimant partum? impossibile ne putabitur in Dei Matre, quod in animalibus, quod in avibus, quod in apibus, possibile non negatur? Avis, Apis, sine masculo parit, & nullus refellit, & quia desponsata viro Maria peperit, pudoris ejus faciunt quæstionem? Nonne advertimus quod Deus ex ipsâ naturâ plurima exempla ante præmisit quibus susceptæ Incarnationis decorem probaret, & adstrueret veritatem? Hoc ergo incredibile videbitur divinâ virtute ad totius mundi reintegrationem factum, cujus exempla etiam in animalium nativitate cernuntur? ita passim SS. Patres.

X. Quartò, ratione hoc modo, quis enim homini hoc dedit, qui ne muscam quidem aliâs producere potest, quod in muliere hominem generare possit? Nonne Deus à quo omnia, in quo omnia & per quem omnia? si ergo Deus hoc dedit homini, cur ipse non possit? & si Deus id non potest, quomodo illud dare potuit homini?

Quintò, Respondendo ad illorum argumenta, quorum primum est quod Principium passivum sine activo nullo modo potest producere effectum. Cum igitur mulier sit principium passivum, vir autem activum, non potest sola sine viro foemina formare prolem: quibus respondetur quod illi ad supradicta exempla de animalibus: Replicant illi, in generatione istiusmodi animalium non deesse principium activum, non quidem marem consortem, sed solem & astra, quæ eminenter suppleant virtutem principii activi: sed hi suâ hæc capiuntur Responsione; nam in Christi conceptione, non dicimus defuisse principium activum, sed ordinarium tantum, scilicet virum, & Altissimi virtutem supplese istud principium activum, Et verò si, illis fatentibus, Sol & Astra per eminentem suam virtutem possunt illis supplere virtutem Principii Activi, cur non poterit hæc Deus per suam omnipotentiam? aut si hoc non potest Deus, quomodo poterunt illud Sol & Astra?

Dicunt primò, hoc ita insolitum ut nunquam fuerit visum: Respondeo & ita esse oportuit. Si enim Religio Christiana, quæ Christum docet Deum esse simul & hominem, illum tamen doceret non aliam quam ceteri homines habuisse conceptionem, quid dicerent Ethnici de tali Deo nostro? Vide D. Ignatiû Martyrem in epist. ad Heronem, & D. Augustinum lib. 10. de Civit. Dei.

Secundò, id ipsum negant Iudæi, quos quia Evangelicas Scripturas non recipiunt, Propheticas, quas venerari se fingunt, ex quibus Messiam expectant, insectantur SS. Patres.

Primò typis seu figuris, Lex enim est umbra futurorum, & omnia in figuris contingebant illis: Ex quibus aliquas accipe. Primò, in formatione Adæ ex terrâ solâ, Evæ ex latere Adæ, apud S. Maxim. Taurinensem homil. 3. in Natali Domini, Tomo 5. Biblioth. Sanct. Patrum part. 1. Secundò, in Melchisedech quem sine Patre, sine Matre, sine Genealogiâ refert Scriptura, & ideò assimilato Filio Dei ex mente Apostoli ad Hebr. cap. 7. qui, ut Deus, fuit sine Matre; ut homo, sine Patre. Tertio, in illis qui concepti sunt

ex Matribus sterilibus apud S. Cyrilum Hierosolym. Cateches. 12. Quarto, in Rubo Moysis ardentis, & tamen incombusto ex sensu Ecclesie in Officio Circumcisionis. Quinto, in Velle Gedeonis ad stipulante ipsa Scriptura Psalmi 71. Ubi loquens Propheta de ortu Messie, ait alludens ad istam figuram: *Descendet sicut pluvia in vellus.* Et ex sensu Ecclesie in eodem Officio Circumcisionis, cujus applicationem & appropriationem vide apud D. Petrum Chryzologum serm. 145. & D. Ambrosium serm. 13. de Natali Domini. Sexto, in Nubecula illa Sancti Prophetæ Eliæ Patris nostri, de qua 3. Regum cap. 18. ad finem, ex mente nostri Joannis Sylvani XLIV. Patriarchæ Hierosolymitani lib. de Institut. Monach. & omnibus ferè Patribus ac Doctoribus recentioribus, & Sacra Congregatione in Lectionibus secundi Nocturni pro Festo Commemoratur. Solemni. Beatæ Mariæ Virg. de Monte Carmelo. Septimo, in Lapide illo qui Danielis cap. 2. de monte sine manibus abscissus, immanem illam statuam quam vidit in somnis Rex Nabuchodonosor comminuit: Et sexcentis aliis similibus apud Nates & Interpretes; quæ utinam quàm Christianè proponuntur à Patribus, & pie repetuntur ab omnibus Orthodoxis, pro summâ Sacratissimæ Virginis Deiparæ adstruendâ integritate, ita religiosè, & animo ab omni præoccupatione & passione libero ab induratis Judæis recipiantur.

XV. Sed quoniam illi, ut sunt perveraces, eas probationes dicent esse tantum ex sensu mystico & allegorico, qui literalis longè imbecillior est ad probandum, ideo ne Judæi (qui interim quos volunt Scripturis suis sensus affingunt) fortiores nobis deesse cavillentur: probant Sancti Patres.

XVI. Secundò ex Prophetarum vaticiniis quorum duo tantum hic assero: Primum est illud Jeremiæ cap. 31. vers. 22. *Utsquequo deliciis dissolueris filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum.* Hoc est, etiam ex interpretatione Rabbi Hacados, quem iidem Judæi Sanctum Magistrum nostrum vocant, aliorumque Rabbiorum apud Galatin. lib. 7.

cap. 14. *Virgo circumdabit, & utero suo claudet Messiam, qui cum Deus sit, nullis locis terminisve concludi potest.* Ita illi, quid clarius? Novum ergò hoc quod promittit hic Propheta à Domino creandum super terram, ex ipsomet sensu Rabbiorum antiquiorum est novus homo, quia homo & Deus; ex novâ Matre, quia Mater & Virgo: novâ generatione, quia Spiritus Sancti obumbratione. Nec dissentit Rabbi Hunna, qui hunc locum intelligit de Messia, cui ad stipulatur Rabbi Addarsan, qui in cap. 1. Genes. hunc locum quemadmodum & plurimâ alii Judæorum Rabbini ita legit. *Creavit Dominus Novum super terram, alma circumdabit virum.* Cujus versionis vim intelliges statim dum secundum vaticinium quod est Isaia cap. 7. explicabimus.

Nihil magis vim hujus loci manifestat quàm fuga Judæorum modernorum, qui pro *Femina circumdabit virum*, volunt cum Rabbi Judâ apud Rabbi Salomonem vertendum, *Femina convertetur in virum*: hoc est, ut ipsi explicant, Synagoga seu Gens Judæa, quæ in captivitate erat infirma & debilis ut femina, fiet fortis ut vir, quia scilicet circumdabit virum, id est obfidebit Chaldæos, à quibus victa fuerat, & prævalebit eis: quid enim magis ridiculum, quàm ejusmodi commentum?

Deinde audi mi Judæa, promittit hic Deus, quid? novum: hoc est admirabile, nunquam amplius visum, vel auditum: hoc enim significat istud *Novum*, totiusque naturæ vires longè excedens, hoc significat illud *creavit*. Est ne autem tale quod femina circumveniat virum, & illi aliquando prævaleat? Nunquid ante hanc Prophetæ promissionem Debbora jam Sisaram Principem vicerat: & Jahel uxor Haber Cinei clavo caput ejus terræ affixerat? Iudicum cap. 4. Nunquid Judith victoriosissimum Holofernem proprio pugione jugulaverat? &c. ut mille ex Gentilium historiis similia exempla de mulieribus Amazonibus omittam. Quod ergo Synagoga seu Gens Judæa in captivitate infirma & debilis ut femina, Chaldæis prævaleat, non est illud novum quod hic promittit Pro-

ynopsis

agnatio
D.
Septim
SV
118

pheta, quandoquidem quod femina viro praevalcat, ad quam fit comparatio, non est tam novum.

XIX. Sed & aliud audi, nonne centies alias Gentiles à Iudæis victi & caesi, ut Chananaei, Pherezæi, lebuzæi, Amalechitæ, Ammonitæ, Moabitæ, Philistæi, idque adeo mirabiliter, ut aliquando unus persequeretur mille, & duo fugarent decem millia, Deuteron. cap. 32. Quomodo ergo hoc erit illud novum & inauditum quod promittit Ieremias? Tertiò, tandem quia fallum est, ut notaverant Interpretes in hunc locum quod Iudæi temporaliter praevaluerint Chaldæis post istam promissionem.

XX. Nec melior secunda illorum evasio, quã dicunt novum hic à Propheta promissum consistere, non in hoc quod femina salvã integritate concipiat, sed quod virum concipiat, virum inquam, non ætate vel corporis mole, sed moribus & iudicii maturitate. Nam cum nomen illud femina abstrahat à corruptã & incorruptã, nec illam magis significet quã hanc, sed sexum tantum, quomodo bonã fide possunt Iudæi illud hic contrahere ad significandam corruptam, cum de foeminã illã agatur quæ circumdabit virum, ut objecerunt, id est (juxta veterum Iudæorum Scholia ad hunc locum) Messiam seu Deum & Hominem? quomodo, inquam, hoc possunt sustinere, cum ratio tam evidenter suadeat Deum decere aliam Conceptionem & Nativitatem quã ceteros homines?

XXI. Ceterum non sine magnã ratione hoc loco usus est Propheta voce *Faminiæ* potius quã *Virginis*: Cum enim & virgo, & ea quæ habet prolem sit femina, voluit insinuare Propheta se loqui de eã quæ esset utrumque, & Virgo per integritatem, & tamen Mater per fecunditatem, quã circumdata erat (utero suo) virum, ut sic manifestum fieret quod dicimus, ipsum loqui propriè de conceptione Messia in Virgine, non verò ut volunt Iudæi de conversione foeminæ in virum, quod est mirè metaphoricum.

XXII. Secundum Vaticinium, & potissimum est illud Isaia: cap. 7. *Eccè virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quod est inter-

pretatum Nobiscum Deus, quem locum nunquam Iudæi eludent: quod enim aiunt in Hebræo pro *virgo* haberi *haalma*, non verò *Bethula*; quorum primum significat adolescentulam tantum, seu juvenem: Secundum verò virginem, fucus est: Nam primò hæc versio vocis Hebræicæ *haalma* in *partenos* Græcè, quod Latine est *virgo*, est ab ipsismet Iudæis; nec à quibullibet, sed à præcipuis illorum Magistris & Rabbis; neque à paucis, sed à Septuaginta duobus illis famosis Interpretibus, qui tamen facilitatis causã Septuaginta tantum ordinariè nominantur, qui ab Eleazaro Pontifice ex 12. Tribubus, sex scilicet ex qualibet Tribu, teste Iosepho lib. 12. cap. 2. & idè in univèrsu 72. non sine summo delectu, ob gravitatem negotii, assumpti fuerunt trecentis circiter annis ante Christum, atque Alexandriam ad Regem Ægyptii Ptolemæum Philadelphum missi, ut ex voto illius Divinas Scripturas ex Hebræo in Græcum traducerent: qui licet ab invicem separati, ita per omnia re absolutã convenisse comperti sunt, ut factã diligenti collatione, ne unius quidem verbi inter illos omnes discrepantia deprehensa sit: quã hoc mirabile! Quã ergo fronte Iudæi moderni tantam, tot, & tantorum Magistrorum suorum (quos tanti fecerunt Patres eorum) auctoritatem temerare audent, ut perfidiam suã colorem adificiant.

Secundò, esto in Hebræo sit *haalma*, & significet adolescentulam, non tamen quamcumque, sed absconditam: Radix enim *Alam* à quã *Alma*, ut docent periti, significat abscondere, ut proinde *haalma* ex suã derivatione & origine, idem sit quod abscondita: si ergo illa adolescentula abscondita, quomodo corrupta? quin immò ex hoc colligitur non solum corpore, sed etiam mente ac proposito Virgo; ut quid enim adolescentula se abscondit, nisi ut viro etiam ex visu incognita sit? & quando melius virgo, quã quando sic abscondita viro? Quia & in linguã Punicã, quæ de Hebræorum fontibus manat, & illi affinis est teste D. Hieronymo lib. adversus Iovinian. Virgo vocatur *Alma*.

Tertiò,

XXIV. Tertio, quia & Rabbi Jonathas Uffielis filius, Paraphraſtes Chaldaeus vir apud Judæos magni nominis, eodem modo textum illum legit & vertit quos & Septuaginta Interpretes. Quarto, quia Uxor Achaz, de qua illud explicant Judæi moderni, non erat juvenula aut ſterilis, ut aiunt, & patet evidenter ex Scripturâ: Nam Achaz regnavit tantum ſedecim annis, 4. Regum cap. 16. verſ. 2. Ezechias autem filius ejus erat 25. annorum cum regnare cœpiſſet 4. Regum cap. 18. verſ. 2. Ergo Ezechias habebat ut minimum novem annos, quando Pater ejus Achaz pervenit ad regnum: Cùm ergo verbum iſtud Prophetæ factum fuerit ad Achaz jam regnantem, uxor ejus nec erat adoleſcentula, nec ſterilis, ut illam concipere & parere ſignum ſeu miraculum ab Iſaiâ dici poſſet. Quinto, quia hæc dicitur conceptura & paritura filium, qui vocabitur Emmanuel, non ſono, ut ait Tertullianus, ſed ſenſu: quia ſcilicet talis erat futurus, idque uſitatâ phraſi Hebræorum ſecundum quam vocari frequentiffimè ſumitur pro eſſe, ut ex aliis Scripturis patet Iſaiâ cap. 1. verſ. 26. cap. 4. verſ. 3. cap. 9. verſ. 6. cap. 60. verſ. 14. Jeremiæ cap. 3. verſ. 17. Zachariæ cap. 8. verſ. 13. & alibi paſſim. Si enim Domina noſtra peperit Hominem Deum, profecto non ordinario, ſed novo & inſolito modo. Sexto, in utraque voce *Alma* & *Bethula* Judæos falli, ſeu quod verius eſt, fallere velle conſtat: non enim tam imperiti quàm mendaces; Nam quoad vocem *Alma*, ex aliis Scripturis, illis conſtat & nobis, paſſim uſurpari pro eâ adoleſcentulâ, quæ non eſt à viro cognita, ut Genef. cap. 24. verſ. 16. ubi Rebecca antequam deſponſaretur Iſaaco, dicitur quidem *Bethula*, Sed eâ voce non contenta Scriptura, addidit tanquam expreſſius, *Alma*; eoque addito, mox adjunxit *vir non cognoverat eam*, tanquam id quod importatur per vocem *Alma*. Et libro Exodi cap. 2. verſ. 8. Maria ſoror Moyſi vocatur puella in Hebræo verò *Alma*, non autem *Bethula*: illam autem tunc fuiſſe intactam liquet, tum quia tunc annos tantum quindecim nata, tum quia nunquam nupſiſſe aſſerunt pluri-

mi Doctores. Tandem Cant. c. 1. & c. 6. legimus in textu Hebræo vocem *Almath*, ubi nonniſi virgines intelligi poſſunt: Denique impuberes, ſeu ipta impubertas, Iſaiâ cap. 54. Pſalmo 89. Job. cap. 20. & 33. in textu Hebræo exprimitur (ut obſervant illius linguæ periti) per vocem *Alumach*.

Quare Sanctus Hieronymus omnium Patrum peritiſſimus in hæc linguâ, & verſatiſſimus in Scripturis, lib. adverſus Jovinian. & quæſt. 1. in Genef. urget Judæos obteſtando eos ut locum unum proferant ex totâ Scripturâ ubi vox *Alma* uſurpetur quando nupta aut corrupta adoleſcentula ſignificatur, quod hæcenus præſtare non potuerunt: Quod enim obtrudunt primò ex Genefi cap. 34. Dinam jam per Sichem Principem violatam dici *Alma*, iterum fallunt Judæi: Sciunt enim hunc locum fuiſſe corruptum, & verum ac primitivum textum habere *Hanaar*, quod ſignificat *puellam*, qualis erat Dina ibi, licet per vim corrupta. Nec etiam quod obtrudunt ſecundò, ex Proverb. cap. 30. verſ. 19. ubi pro eo quod habetur quartum penitus ignoro, ſcilicet viam viri in adoleſcentulâ, habetur iniquum in Hebræo *Alma*. Reſpondeo enim illum locum intelligi litteraliter de Chriſto in Virgine, quemadmodum etiam cenſuerunt Rabbi Haccados & alii apud Galatin. citatum. Reſpondent ſecundò alii & hunc locum fuiſſe corruptum & primitivum textum non habere *Alma*, ſed *Alamush* quod ſignificat *Adoleſcentiam*, ut ſcilicet legendum ſit cum Septuaginta Interpretibus & noſtrâ vulgatâ. *Quartum penitus ignoro viam viri in Adoleſcentiâ.*

Quod verò ſpectat vocem *Bethula*, XXVI. è contra uſurpatur in ſcripturâ etiam quando de adoleſcentulâ corruptâ eſt ſermo. Nam Ezechielis cap. 23. v. 3. dicitur *fracta ſunt ubera illarum, & ſubactæ mammae pubertatis earum*, Hebraicè *Bethularum*: & tamen ibi eſt ſermo de meretricibus *Oolâ* & *Olubâ*, quæ licet nondum exceſſiſſent adoleſcentiam, ut ad viri congreſſum vix aptæ videri poſſent, jam tamen in proſtitulo quæſtum ex corporibus ſuis faciebant. Similiter Joëlis cap. 1. v. 8. dicitur *Plange quaſi Virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis*

ynopſis

agnatio
D.
ſephi
SV
at

pubertatis suae. Ubi in hebraeo pro *Virgo* habetur *bethula*, & concordant Chaldaeus & Veteres Rabbinj apud Galatin. lib. 7. cap. 15. & tamen ibi sermo est de adolescentulâ quæ nupserat, & brevi orbata marito suo, eum jam defunctum luget, ac suum dolorem etiam lugubri veste testatur.

XXVII. Ex quibus omnibus patet evidenter contrarium ejus quod dicunt Judæi, idest quod licet verum sit *Bethula* significat adolescentulam, sicut & *Alma*: Est tamen hæc differentia quod *Bethula* possit dici, & de facto dicatur etiam de eâ quæ corrupta est; *Alma* verò nunquam, sed de illa duntaxat quæ incorrupta & intacta, & hæc quidem ex propriis adversantium Judæorum instrumentis.

XXVIII. Sed objicies, quomodo in Christum & Mariam potest convenire hoc Isaiæ vaticinium? ratio dubitandi est, quia hoc signum eo sine promissum est ab illo Propheta, ut confirmaret domum David, ne desponderent animum, sed auxilium sperarent à Domino contra Razin & Phacèè, qui cum magnâ potentia jam illis imminebant. Quam autem vim haberet hoc signum, quod nunquam Achaz, nec ullus eorum qui tunc præsentis erant videre poterant cum non nisi post octingentos annos esset futurum? Ad hoc Respondeo virgineum partum non promitti hinc tanquam signum prognosticum aut demonstrativum liberationis Achaz & Judæorum de manu Razin & Phacèè, sed è contra, liberationem Achaz proponi tanquam miraculum, ex quo certo expectare deberent virgineum partum, per quem liberatio eorum à potestate diaboli; quàm illa liberatio ex manu Razin & Phacèè significabat, futura erat: unde hic avolat Propheta more suo à typo ad antitypum: Cum enim obtulisset regi impio & incredulo signum liberationis de manu inimicorum illorum, illo petere recusante, eum relinquit in suâ incredulitate brevi per eventum futurum confundendâ: & à præsentibus ad futura, transfert animum & sermonem: solent enim Prophetae ut observavit Divus Hieronymus sub initium Commentarii in cap. 2. Nahum & in cap. 1. Malachiae

conjungere prophetias diversorum temporum, ut ex eo quod ipsimet audientes vel eorum proximi successores viderent impletum, cautionem tenerent certam futurorum; & certo etiam crederent implendum, quod in posterius tempus promittebatur futurum: Quare etiam hoc loco signum non datur Achaz, qui illud ex incredulitate respuerat, sed domui David: Non enim dicit Propheta audi Achaz, sed audite ergo domus David, quasi diceret, tu Achaz non vis signum, non habebis: Accipe verò tu domus David aliud signum, scilicet istius liberationis quàm illa significat, à me Regi Achaz promissa.

Tertiò, ex aliis Scripturæ locis eandem clarè veritatem elicerunt SS. PP. & Doctores ut inter alia. Primò, ex illo Genes. cap. 3. vers. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum & semen illius.* Dicant enim mihi Judæi causam cur dictum sit semen mulieris? si enim Christus qui ibi promittitur, de viro, sive de Viri semine nasci debebat, profectò illius feminis, & non feminis mulieris mentio faciendâ erat: Cum igitur semina mulieris dictum sit, utique mulier futura erat, quæ sine viro, de Deo Deum conciperet, & hæc profectò Deipara est: ita D. Cyprianus lib. 2. contra Judæos. Secundò, ex illo Levitici c. 12. v. 2. *Mulier si suscepto semine pepererit masculum.* Cur quæso ò Judæi hæc lex ita cavet? cur limitatur ad eam quæ suscepto semine parit, nisi quia futura erat aliquando mulier, quæ non suscepto semine erat paritura? consequenter nec immunditiæ legali subiecta, nec huic legi ad eam immunditiam tollendam lata obnoxia: sanè superfluum fuisset illud *si suscepto semine*, si Moyses non prævidisset mulierem sine susceptione seminis parituram. Ita Origenes homil. 8. in Levitic. Cyrill. lib. 8. in Levit. Theophylactus in Luc. cap. 2. D. Basiliius in Isaiæ c. 7. D. Chrylostom. homil. 1. de occursu Domini, D. Ildefonsus serm. 1. de Purificat. D. Bernardus serm. 8. de Purificat.

Tertiò & ultimò, idem negarunt antiquissimi Hæretici *Ebionitæ* apud D. Clementem l. 6. consist. cap. 6. *Cherintiani*

rintiani apud Irenæum l. 2. cap. 25. & *Carpocratæ* apud D. Epiph. hæres. 27. contra quos eadem arma, quibus contra Ethnicos & Judæos hæc supra pugnatum est, inserviunt: ac præterea Evangelicæ Scripturæ, quas repudiare non possunt ut Ethnici & Judæi: Ac primò, ex Matthæi cap. 1. vers. 16. ubi dicitur, *Jacob autem genuit Ioseph virum Mariæ de qua natus est IESVS*, ubi non dicit Ioseph autem genuit JESUM, quemadmodum de præcedentibus dixerat: per quod manifestè insinuat Evangelista JESUM non de Iosepho, sed de solâ Virgine genitum. Secundò, ibidem v. 18. *Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata Mater IESV Mariæ Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*: quia enim superius dixerat, *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, &c. Iacob autem genuit Ioseph*, ne aliquis existimaret sic esse Christi generationem & nativitatem, quomodò præcedentium in Genealogia, mutat stylum dicens: *Virum Mariæ de qua natus est IESVS qui vocatur Christus*. Additque ac dicit, *Generatio autem Christi sic erat*, quod idem est ac si diceret: generatio quidem eorum quos recensuimus Patrum sic fuit ut jam expositum est: Christi autem generatio non ita, sed sic. Quomodo? *Cum esset desponsata Mater IESV Mariæ Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, idest ex Virgine sine Patre; Ita ut ejus generationem enumerans, de femine David cum descendisse ostendat secundum Dei promissâ: & extra consuetum modum nativitatem ejus exponens factam, mysterium Deitatis ejus aperiat. Ita noster Imperfectus in Matthæum ad illum locum. Idem v. 20. *Ioseph fili David nolite timere accipere Mariam conjugem tuam, quod est in ea natum est de Spiritu sancto est*. Idem Lucæ c. 1. vers. 34. 35. 36. & 37. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? & Respondens Angelus dixit ei, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei, &c.* Item Lucæ cap. 3. vers. 23. *Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta ut putabatur filius Ioseph.*

Idest vulgi opinione & famâ non naturâ & rei veritate: Sed de hoc errore factis, veniamus ad secundum.

SECTIO II.

Recensentur illi & confutantur, qui dicunt D. Iosephum post Christum natum, Virginem carnaliter cognovisse.

Secundus itaque error eorum est, XXXI.
Squi fatentur quidem D. Iosephum & Beatam Virginem ante Christi partum in conjugio castè convixisse, post verò negant: ita impurissimus Helvidius D. Hieronymi & D. Epiphani tempore, cujus Sectarii & vulgò à suo Authore *Helvidiani*, ita ab objecto erroris sui vocantur à Divo Epiphanio hæresi 78. D. Augustino lib. 1. de hæresibus, & D. Damasceno lib. de hæresibus & Eccles. Dogmat. cap. 69. *Antiaicomarita.*

Hanc tamen hæresim non ab XXXII.
Helvidio primùm excitatam, ut existimaverunt multi, inde liquet quod Origenes longè ante illum homil. 7. in Lucam, & D. Hilarius in cap. 1. Matthæi doceant ipsorum ævo non defuisse, qui Mariam filios ex Ioseph peperisse asseruerint, contra quos dicti Patres Origenes & Hilarius locis citatis dimicarunt, uti Divus Hieronymus contra Helvidium libro speciali contra ipsum.

Post ducentos deindè annos à morte Helvidii, tres maximè viri eandem XXXIII.
apud Hispanos cramben recoxerunt, quam Sanctus Ildephonus Archiepiscopus Toletanus peculiari edito de perpetuâ virginitate Mariæ Commentario penitus profligavit.

Prostratâ igitur à tantis Patribus, XXXIV.
maximè verò à Sanctis Hieronymo & Ildephono sepulta jacuisset execranda hæresis, nisi venissent novi nostrorum temporum Sectarii, qui eam in pedes erexerunt, & novam aciem ad Deiparâ semper Virginis Mariæ, ejusque Sanctissimi & Angelici Sponsi illibatam Virginitatem obscurandam instaurarunt, quos inter Petrus Martyr ausus

B b

est

est hoc effutire. *Inter alia quæ Christiani confitentur, non esse recipiendum quod Maria semper virgo permanserit.* O os blasphemum! Cui consonat ejusdem farinae Novator Chitreus, imò fortè eò nequitior, quò modestius agere videtur causa Helvidiana Patronum, qui docet non lædi Christianam pietatem, etiam si Maria post quam Christum enixa est, Mariti congressum admisisset credatur: ut proindè juxta illum modestum Virum, liberum sit etiam piis Mariæ Virginitatem perpetuam non credere. O modestiam sceleratissimam!

XXXV. Petulantius adhuc in verba Helvidii juravit horum Synchronus impius Lucas Stenbergerius ipsummet Helvidii vomitum deglutitum regerens, Mariam scilicet non adeò perdurasse Virginem, quin etiam duos vel tres ex Marito suo Josepho susceperit filios. Quid impurius? quid impudentius ab ipsis Judæis, quàm quod ab illo scurrâ, qui Christianus audiri vult, unquam dictum?

XXXVI. Neque illi soli his postremis temporibus in Germaniâ, sed & alii plurimi in Poloniâ & Hungariâ sepultos istos damnatos cineres denuò excitant, teste Canisio lib. 2. de Deiparâ cap. 10. Quo verò animo? non est difficile conjectare: Persuaserunt nimirum sibi illi omnes impuri, multum existimationi castitatis, quam averfantur, detractum iri, si Mariæ Deiparæ pudicitia istam fuliginem aspergerent.

XXXVII. Hi autem impii hanc suam perfidiam his colorarunt prætextibus. Primo quod Matthæi cap. 1. vers. 18. dicitur: *Cum esset desponsata Mater IESU Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Quo significatur, inquiunt, quod postea convenerint. Secundò, quod ibidem vers. 25. dicatur de Josepho: *Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum.* Ex hoc loco sic Helvidius: Apparet, inquit, cognitam esse post partum, cujus cognitionem filii tantum differebat generatio. Tertio, cum Christus dicatur Mariæ primogenitus, ergo, inquit, secuti sunt illum alii, ut sic possit dici inter illos primogenitus. Quarto, quod in

Evangelio inveniat Christus habere fratres & sorores secundum carnem, & recensentur per nomina ut Matthæi cap. 12. Marcii cap. 3. & 6. Lucæ cap. 8. & Joannis cap. 7. Tandem si Maria Virgo semper mansit, quid est ergò quod nunquam alio nomine post Christum genitum quàm mulieris, etiam ab ipso filio appellatur?

Sed quàm imperita & hæretica per-versitas, quæ tam infirmis armis tam firmam veritatem concuti posse putet: non illa arma sunt, sed puerorum terribulamenta. Nam ad primum respondeo particulam illam *antequam* hîc & aliàs frequētissimè non significare quid secutum sit post illud quod factum dicitur, sed quid non præcesserit, cum tamen juxta consuetum ordinem vel usitatum modum præcedere debuisset. Sic dicimus v. c. ille mortuus est antequam pœnitentiam egisset. Ille Judex illum condemnavit antequam causam cognovisset. Ille Medicus Petro præbuit potionem unde mortuus est antequam ipsius morbum cognosceret. Quemadmodum ergo in his & aliis sexcentis similibus, non significatur, quod ille postquam mortuus est pœnitentiam egerit; quod ille Judex post sententiam, causam; ille medicus post mortem, morbi genus cognoverit: sed tantum quod iste sine pœnitentiâ mortuus sit, illi non cognitâ causâ vel morbi genere processerint: ita omninò hîc dum dicitur: *antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*, non significatur quod postquam de Spiritu Sancto habuit convenerint, quis nisi impurus ita inferat? sed innuitur, quod sine congressu maritali, qui juxta consuetum morem præcedere solet, conceperit.

Et verò rem hanc digito tange. *XXXIII* Causa hîc ab Evangelistâ suscepta quænam est, nisi referre modum quo Christus genitus est? patet ex Textu: ait enim, postquam cæterorum Progenitorum Christi generationem retulit ex uniuscujusque Patre, *Generatio autem Christi sic erat.* At quæ impertinentia si Evangelistâ hoc facere volendo & hoc solum facere habenti, prius quam id faceret, aliud nihil ad rem faciens obtrusisset, inculcando prius, Mariam

Mariam cum viro suo Iosepho, cui desponsata erat, aliquando convenisse, & exinde filios peperisse, ac deinde Christum, tamen ante illos, non ex Iosepho, sed ex Spiritu sancto concepisse.

XL. Ad secundum quid aptius reponere possem quam quod noster Imperfectus in Matthæum ad eum locum. Itaque sic ille ibi, *Hoc quod fieri potuit dicit Evangelista quia factum non est: illud autem quod nec fieri potuit, quid necessarium fuit dicere factum non esse? Nam sunt quedam que naturaliter possunt fieri: sunt autem que impossibilia sunt per ipsam naturam: volo tibi referre: ille, nescio quis, cum illo litem commisit. & donec vixit non est ei locutus. Nunquid ex hoc quod dixi (donec vixit non est ei locutus) ex eo signavi quia post mortem illi locutus est quod fieri non poterat? sic & Ioseph ante partum credibile fuerat ut cognosceret eam: quia nondum cognoscebat mysterii dignitatem: postquam vero cognovit, quia facta est unigeniti Dei templum, quomodo poterat hoc usurpare? Quod antea facere noluerat vir Religiosus expectans nuptias suas, postea facturus erat ut habitationem Dei carnalibus concupiscentiis sordidaret? hæc secundum rationem: veniamus autem ad auctoritatem Scripturæ dicit enim Apostolus secundum exemplum Prophetæ de Christo, oportet eum regnare donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus ejus. Ergo Paulus hoc significavit ut tamdiu regnet Christus, quamdiu fiant omnia sub pedibus ejus, postea autem cesset regnare? Stulte: qui regnat antequam illi omnia subiecta sint: multo magis regnat postquam fuerint ei omnia subiecta. Hæc noster Imperfectus.*

XLI. Sed & David in quarto Graduum psalmo inquit, *Sicut oculi ancille in manibus Dominae suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Ergo ne tamdiu tantum Prophetæ oculos habebit ad Dominum quamdiu misericordiam impetret, & post impetratam misericordiam oculos ab eo avertet & torquet in terram? Itaque hinc *to donec* exprimit quid ante partum evenerit, de quo dubium esse poterat: quid verò post, quia erat apertum & manifestum, tuæ intelligentiæ dereliquit.

Quod verò Christus dicitur Mariæ ^{XLII.} primogenitus, in hoc pari inscitia laborant Helvidiani & omnes Antidicomarianitæ illius sequaces: Nam primogenitus in Scripturâ dicitur, non relatione ad alios subsequentes, sed ille antequam nullus, & si alii non subnascantur. Sic enim Exodi c. 12. legimus Dominum percussisse omne primogenitum in terrâ Ægypti, quodq; domus non erat in tota Ægypto, in qua non jaceret defunctus: at nullo modo probabile in quâlibet domo fuisse plures filios: sic etiam in lege Exodi c. 13. mandatum fuit omne primogenitum Deo offerri, num ut hoc fieret secundò genitus expectandus erat? & si ille secundò genitus non venisset, an ille primogenitus offerendus non erat?

Quoad tertium, nequitiam suam ^{XLIII.} produunt illud objicientes, cum ignorare non possint nomen *Frater* in Scripturâ, non semper sumi pro eo qui ex eodem Patre vel Matre immediatis cum illo, cuius dicitur frater, genitus est, sed etiam pro aliis contobrinis seu consanguineis. Vide à nobis dicta in præcedentibus.

Ad ultimum de nomine mulieris, ^{XLIV} quo, non alio, ab ipso etiam Christo filio suo Maria sacratissima compellata dicitur: quàm frigidum & inane est illud argumentum! similiter enim inferrem non alio eam nomine Christus compellat quàm mulieris, ergo non fuit ejus Mater, quid admittat hæc argumentandi rationem? Cæterum imperitissimus Helvidius & socii non intelligunt nomen *Mulier* esse generale, quod universum sexum femineum complectitur, Virgines scilicet & nuptas, quantò magis ergo Mariam quæ etiam Mater erat & jam in majori ætate erat. Hinc Divus Ambrosius lib. de Instit. Virgin. cap. 6. *De mulieris nomine quid movemur? ad sexum retulit: non enim corruptela, sed sexus vocabulum est: vulgi usus non præjudicat veritati, denique virginitas primum hoc nomen accepit: nam cum sumpsisset Deus unam de costis Adæ, & supplevisset carnem in locum ipsius, edificavit eam in mulierem.* Genes. c. 2. v. 22.

Hæc porrò veritas Catholica sic ab ^{XLV.} hæreticorū insultibus defensa probatur,

primò authoritate Scripture, esto enim in illius litterà non ita clarè & expressè sonet, continetur tamen certissimè in ejus sensu. Ac quidem primus locus est ille Ezechielis c. 44. vers. 1. & 2. *Porta hæc clausa erit & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam.* Hæc enim verba nullo modo possunt literaliter accommodari templo materiali, ad quod tamen de primo videtur Propheta respexisse, ut patet, nulla enim talis porta fuit in eo: necesse est igitur illam intelligi de ejus figurato, scilicet Beatâ Virgine, per quam Christus Dominus ingressus est in mundum: quare D. Augustinus serm. 14. de Natali Domini, qui est 18. de tempore non longè à principio, quem sequitur D. Thomas 3. p. quæst. 28. art. 3. *Quid est, inquit, porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? & qui est homo non transibit per eam, nisi Joseph non cognoscat eam? & quid est Dominus solus intrat & egreditur per eam, nisi quod Spiritus sanctus prægnabit eam, & Angelorum Dominus nascetur per eam? & quid est clausa erit in æternum, nisi quod Maria Virgo est ante partum & Virgo in partu & Virgo post partum?*

XLVI. Secundus locus est ille Lucæ c. i. v. 34. *Dixit autem Maria ad Angelum, quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Ubi purissima Virgo ab Angelo nunciante eam concepturam, & parituram Altissimi filium, sciscitatur modum, quo id in ipso fieri poterit, rationem suæ sciscitationis addens scilicet, *quia virum non cognosco*: quod non potest intelligi tantum de præsentis, futillis enim esset sciscitatio; quia posset in futurum cognoscere: nec etiam de nudâ consuetudine, sicuti dicimus non bibo vinum: quia posset consuetudinem pro re tanti momenti dimittere: igitur intelligendum de proposito ita firmato, ut non posset resilire; ut idem sit ac si diceret; non possum, aut non licet mihi virum cognoscere: ita omnes Patres & Interpretes.

XLVII. Non ergò hîc dubitans de veritate promissi Angelici ita inquit, ut blasphemiat Calvinus, sed de modo quo id fieret sollicita, ne scilicet hic conceptus & partus fieri deberet cum virgini-

tatis suæ, quam firmiter servare proposuerat, detrimento. Hinc D. Gregorius Nyssenus orat. de Nativit. Christi ita in hæc verba. *Audi puticam Virginis vocem, Angelus partum nunciat, at illa virginitati inheret, & integritatem Angelice demonstrationi (ecce concipies & paries filium) anteponebam judicat.* Et post nonnulla. *Verum quia carnem Deo consecratam, tanquam sanctum al quod oblatum munus oportebat intactam integramque præstare, idcirco licet, inquit, Angelus sis, licet è caelo venias, licet id quod ostenditur naturam superet humanam; tamen me virum cognoscere nefas est. Quomodo sine viro Mater ero? Joseph enim Sponsum novi, sed virum non.* Si ergò ante Christi conceptionem tantum in ea fuit Virginitatis studiù & amor, an quæso post Christi conceptionem quando ejus animæ tota se gratiæ plenitudo infudit, & caro ejus novo modo Deo per ipsius attactum & inhabitationem dicata & consecrata fuit, illud propositum abiecit?

Quod si addideris cum Patribus à nobis inferius capite sequenti citandis etiã ex hoc loco bene colligi propositû voto firmatum, quantum robor adjicies huic ineluctabili argumento? Quis enim cogitare poterit, Deum talem elegisse Matrem, quæ carnem sibi ex voto consecratam, post ipsius attactum & inhabitationem tam sacrilegè incestasset?

Addunt nonnulli è Patribus, ut Divus Ambrosius in Luc. cap. i. & epist. 79. D. Epiphanius hæresi 78. & Divus Hieronymus lib. contra Helvid. tertium locum ex Joannis cap. 19. ubi Christus in Cruce pendens Matrem Virginem Joanni commendavit, dicens *Ecce Mater tua.* Ex hoc enim non obscurè colligitur, inquirunt, Beatam Virginem non habuisse ex D. Josepho alios filios, nam si habuisset non fuisset necesse illi alium filium dari cui commendata esset.

Licet verò hæc probationes ex Sacra Scripturâ magnæ sint efficacitatis, ut patet, præcipuum tamen apud omnes obtinet locum illa quæ sumitur ex Verbo Dei, non scripto, seu traditione, & summo illo torius Ecclesiæ, omnium Patrum, & gentium, ubique terrarum, & omni sæculo consensu; Sacrorum denique Conciliorum Oecumenicorum

rum oraculis ac definitionibus, à quibus omnibus referendis ablineo, quia hoc ab innumeris actum est.

L.I. Sed dices hæc quidem probare de Virgine Deiparâ, non verò de D. Josepho, quod tamen hic suscepimus: Respòdeo licet tantum probent de Virgine directè, probant tamen etiam de Divo Josepho indirectè: Namque si Beata Virgo ante & post partum castè cum illo vixit, sequitur nexu necessario Divum Josephum etiam perpetuò virginem vixisse, & recurrit D. Hieronymi argumētum, scilicet quod cum alias uxores habuisse non legatur, nec probetur, & fornicatio, multò minus adulterium non cadat in virum justum & sanctum, qualem fuisse Josephum, evidenter constat ex Evangelicâ Historiâ, restat ut ipse virgo semper permaneret. An enim ille ex proposito castitatis, uxore abstinuisse & cum alienâ fuisset scortatus, & interim Sanctus? Ista non coherent.

L.II. Probatur tertio quadruplici ratione, quarum prima se tenet ex parte Christi: Secunda, ex parte Spiritus Sancti: Tertia, ex Virginis: Quarta, ex parte Divi Josephi, apud D. Thomam 3. part. quæst. 28. art. 3. Canisium libr. 2. de Deipar. cap. 10. Justinum Michoyensem super Litan. Lauret. disc. 168.

L.III. Prima ergò ratio ex parte Christiita deducitur, si Maria post editum Christum Dominum in lucem, Viri sui Josephi congressum admisit, ac multos ex illo filios procreavit, erravit ergo in eligendâ Matre, quæ diu continens esse aut nollet, aut non posset: Erravit ille qui in aliis mille virginibus exorandis tam mirè studiosus fuit, in hæc verò unâ conservandâ, quam tamen pluris facere debebat quàm ceteras, tam incuriosus fuit ut non curarit si ipsa talem tantumque virginitatis thesaurum, Deo, Angelisq; tam gratum, sibi à mortali viro eripi pateretur: Erravit denique carnem suam tam puram, tam sanctam ex eâ capiendo, quæ summam inhabitantis Dei gratiam, dulcedinemque degustata spiritualem, ad ea quæ carnis sunt & desideriorum ejus adeo tandem sese abjecit, ut quod spiritu tam benè coeperat, in carne demùm consummaret. Vide etiam pro hac ra-

tionem D. Ambrosium lib. de Instit. virg. cap. 6.

Secunda desumitur ex parte Spiritus Sancti, cujus Sacrarium fuit uterus virginis Mariæ, in quo ipse Christi carnem formavit; & permisisset ille illud Sacrarium violari? aut per commixtionem viri, in illud aliud quàm Sacram novi Fœderis Arcam, Christum, inquam, Hominem & Deum introduci? De Sanctâ Ceciliâ in Actis ejus legimus eam hæc ad Valerianum Sponsium suum verba habuisse. *Angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum: hic si vel leviter senserit, quod me polluto amore contingas, statim circa te furorem suum exagitabit, & florentiæ juventutis amittes.* Multarum quoque aliarum Sactarum Virginum pudicitiam Angeli tam strenuè propugnarunt, ut eam illæsam & inviolatam ab omni vi & petulantia tyrannorum servaverint; undè & procos eam labefacturos, alios cæcitate, alios paralyti, alios infania, alios morte multarunt, ut in Actis Sactarum Virginum Agnetis, Lucie, Theophylæ, & aliarum legimus, adeo ut, quod mirum & notatu dignissimum est, nulla unquam Sactarum Virginum ab impurissimis illis violata fuerit: Si ergo Spiritus Sanctus in aliis Virginibus conservandis, etiam à sponsis tam studiosus fuit, an in istâ unâ, quæ erat ejus Sacrarium, Filii Dei speciale habitaculum, ac totius Trinitatis nobile Triclinium, minus diligens fuisset? permitteret temerari aut imminui à mortali eam, quam ipse de Deo imprægnando tam sanctè consecravit? Absit tam indigna de Spiritu Sancto castorum consiliorum semina, tore cogitemus.

Tertia ratio est ex parte ipsius Virginis: quàm levis enim illa fuisset, & inconstans, quæ novo & infano consilio ab eo studio resiliendum putasset, quod prius tam sanctè cogitaverat & proposuerat, nunquam scilicet virum cognoscere? Quis post Christum Spiritus sancti virtute in utero de suâ carne conceptû, puret studium puritatis in eâ decrevisse, non verò potius crevisse? Quis in animum suum inducere possit quod illa quæ ante Deum conceptû omnem carnalem affectum exuerat, quæ

inopis

agnatit
D.
Joseph
SV
at

suum corpus ad summam puritatem comparaverat, quæ denique illud velut nitidissimum Deo domicilium exhibuerat, eo jam concepto, & corpore suo per ejus inhabitationem summam quæ fieri potuit ratione consecrato, viri complexum & carnale commercium vel amaverit, vel sustinere voluerit.

LVI. Quarta ratio, etiam in Divum Josephum contumeliosi sunt, qui eum quem Evangelium tam sanctum declarat, ad eum malè castum volunt, ut libidine nescio quâ incitante in sacrosanctum illud templum polluendum involaverit, quod certissimè sciebat à summo Deo mirabiliter electum, plenissimè inhabitatum, amplissimè sanctificatum, & æterno Dei filio unice fuisse consecratum? *Esset*, inquit D. Thomas loco mox citato, *ei ad maximam presumptionem imputandum, si eam quam revelante Angelo de Spiritu sancto Deum concepisse cognoverat polluere attentasset.* Et verò cum tam sanctus esset, tam castus, ut etiam ignarus ejus mysterii, quod Deus in uxore suâ operari decreverat, ab ejus tamen complexu ex solo virtutis motivo abstinere propoierit, de factoque abstinuerit, ut patet ex Evangelio Matth. cap. i. v. 18. *Antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu sancto, & vers. 25. & non cognoscebat eam donec peperit, &c.* quomodo credibile esse posset, quod post Christum in eâ conceptum, & ex eâ natum, & tanti conscius mysterii, attentare præsumperit, ut quam aliàs Virginem servare decreverat, ad carnale commercium sollicitaret? Quis nisi impius & vecors talem unquam admiserit cogitationem? Quomodo enim si tale quid attentasset, laus ei constaret quam ei divinum defert Evangelium, Virum illum vocans justum, hoc est sanctum, divinis revelationibus dignum, in Patrem, Nutritium, Custodem, Tutorem, & Salvatorem Christi electum?

LVII. His quatuor rationibus ex iis qui supra decerptis, duas alias subnecto non minus prægnantes: quarum prima sumitur ab exemplo non paucorum conjugum, de quibus brevi infra, qui post Mariam & Josephum, stupente mundo, stridente diabolo, etiam in ipso

Connubio, hoc est in mediis flammis, ut Rubus Moysis, vel pueri in fornace Babylonis, servatâ perpetuâ & illibatâ integritate, inusti viventes, admirabiles omnibus sæculis facti sunt: Ex quo sic argumentor si rem æquâ lance perpendimus. Quod in tot aliis conjugibus etiam juvenibus, & in summo vitæ splendore ac deliciis viventibus, admittimus, an id Mariæ & Josepho concessum inficiabimur? Isti sponsalia contraxerunt, nuptias celebrarunt, vitamque omnem, alii diuturniorem, alii curtioiorem in conjugio & continuo convictu exegerunt, invictis in continentia studio animæ: & Virginem sacrosanctam, ac Deiparam omnium supremam, & Joseph Sanctissimum, illiusque sponsum purissimum, ac Christi Domini Patrem, Nutritium, Tutorem, Salvatorem, tam infeliciter nupsisse putabimus, ut tam multi illis palmam præripuerint, ipsam & illum in puritatis proposito anteverterint? Quasiverò non illi Principes, decus, ac trophæum totius castimonie existant? quorum vitam non solum Virgines sed & Conjuges tanquam omnis pudicitia exemplar debeant intueri & imitari. Etsi ergo illi omnibus omnia facti sunt, utpote omnium uterque virtutum perfectissimum speculum, attamen in eo maximè excellunt, quod primi omnium insuetam hanc omnibus retro sæculis rationem & viam virginitalis ingressi sunt, quodque primi in Conjugio supra humanum morem vixerint, nullo carnis usu, Angelicâ vitâ, ut frater & soror, non ut Conjuges: quæ quoniam miracula erant, idèo majore miraculo stupente naturâ, illa mundo filium edidit, hic suscepit.

Ultima ratio talis est, quod si Dei-^{LVIII} para Virgo congressum Divi Josephi post Christi nativitatem admisisset, & cum eo filios alios procreasset, magnum haberent Judæi & Hæretici fundamentum negandi non ex Josepho cui desponsata tunc erat genitum; quandoquidem constaret ex sequentium procreatione liberorum cum illo non fuisse continentem?

Maneat ergo inconcussa hæc veritas, quam docent Divus Hieronymus in cap. 12, Matthæi, & lib. contra Helvid.

D. Au.

D. Augustinus serm. 14. de Nativit. Domini. D. Anselmus in cap. 12. Matthæi. Rupertus in cap. 1. Matthæi, Beda in c. 3. & 6. Alcuinus in cap. 2. Joannis, Hugo de Sancto Victore quæst. 5. in ad Galatas, & Artic. 4. ad 3. Scholastici cum Magistro in 4. sentent. dist. 30. & cum illis jam omnis Theologorum Chorus, Divum Josephum non tantum ante Christi partum Virginem fuisse, sed etiam post, & perpetuò castè cum castissimâ & purissimâ Coniuge suâ convixisse.

CAPUT V.

An illam quam in Coniugio semper servarunt Continentiam Divus Joseph & Beata Virgo servarint ex voto?

I. **U**OC Sacrum Par Coniugum, licet sub lege vixerit veteri, ex tunc tamen Evangelico plenos Spiritu, supra legem philosophatos fuisse, ac vixisse, quis dubitet? In his enim eas deprehendimus virtutes, quas non solum antiqua Lex (quæ nihil ad perfectum adducit) non vidit, sed etiam quas nec ferè Evangelium docet, quia nimirum extra omnem aliarum creaturarum ordinem tam veteris quam novi fœderis, ob specialissimam ad Christum relationem & connexionem constituti, ad altiorem alterum, scilicet unionis hypostaticæ, quemadmodum alibi dicimus, evecti sunt.

II. Enimverò, ut ne longius huius asserti probationem quæramus, certum est nec etiam in Evangelio vel vestigium inveniri ejus continentia, quam in his sacris Coniugibus admiramur, & prædicamus, Virginalis dico in Coniugio, & per votum Deo dicatæ & consecratæ: Licet enim verum sit Apostolum 1. Corinth. cap. 7. exhortari ut qui habent uxores tanquam non habentes sint. Id est juxtagentuinam D. Augustini lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 14. in sine interpretationem, ut pari consensu vir cum uxore, si fieri potest, ab invicem abstineant, & castitatem

illibaram servent: nihil tamen ibi, nec alibi in omni Evangelicâ & Apostolicâ Scripturâ de tali abstinentiâ & castitate ex voto.

Itaque ordinaria antiquæ legis continentia erat, quod quis in coniugio propriâ contentus uxore, extraneæ non commiseretur: novæ legis quod Virginitas ex voto, sed in Cœlibatu, & extra matrimonium colatur: In his verò sacris Coniugibus Virginitas cum coniugio ita maritata est, ut hanc Deo voventes, seipsos ei purissimum & omnibus holocaustis acceptabilis sacrificium obtulerint: quæ propositio ita constans est apud omnes fideles, ut jam nemo sit qui illam neget, nec ullus unquam quantum spectat Beatam Virginem, nisi Antidico-Marianitæ, de quibus supra, & Novatores aut Vorifragi, aut certè votorum, aut præcipuè continentia hostes impuri, ex quibus Calvinus, ita pro omnibus clamat in suâ Harmoniâ. *Existimabimusne, inquit, Virgine passam fuisse se marito collocari, ut eum luderet? fuisse profectò perfidia gravi reprehensione digna, si sanctum Coniugii fœdus, non sine ludibrio Dei suscepisset.* Quasi verò ut ne virum luderet Virgo virginum, debuerit dum Josepho nupsit aut ei nupta convixit, perpetuò parata esse ad copulam carnalem, ac sic mente & proposito Virgo esse deluisse; sin minus, gravis perfidia & ludibrii Dei in sancto Coniugii fœdere suscipiendo realit: & non potius dicendum pro honore tantæ Matris & tanti Filii, ipsam viro suo propositum suum aperuisse, ac illum aliunde satis ad Angelicam virtutem dispositum, verbis & exemplo suo, divino præsertim adspirante Numine perduxisse.

Nec solâ authoritate nititur hæc veritas, sed etiam rationibus, & probatur primò quoad Beatam Virginem: Nam si dum nupsit, & etiam nupta debuit semper esse parata ad congressum virilem, quomodo ergò Virgo, cò sensu quo semper credidit Ecclesia, quæ teste D. Augustino in Enchiridio cap. 34. nomen Virgo absolute & sine additò prolatum, de solâ Deiparâ, uti per Antonomasiâ tali, semper & ubique usurpavit? ideoque ab eadem Ecclesiâ in Litanis, & à Sanctis Patribus in suis scriptis

III.

IV.

scriptis *Virgo virginum* nuncupata, hoc plus virgo, seu excellentius virgo, quàm ceteræ omnes quæ Virgines sunt & dicuntur. Nam ut norunt periti genitivus pluralis reflexus supra nominativum in eodem genere, facit quod nominativus æquiparetur gradui superlativo, & significet summum gradum illius in eo genere: Sic enim Deus verus dicitur, *Deus Deorum*, Psalm. 135. vers. 5. Sic Christus *Rex Regum & Dominus Dominantium*, Apoc. cap. 19. vers. 16. Sic Cælum Empyreum, *Cælum* dicitur *Calorum*, Psalm. 148. vers. 4. & sic de aliis. Ac proindè dicendum, ideò Beatam Deiparam dici Virginem Virginum, quia ejus virginitas superat omnium aliarum virginitatem.

V. Quod ut ista sit, propositum ejus de servandâ Virginitate (in quo consistit ratio formalis virginitatis ex D. Augustino lib. de Virginit. cap. 13. in principio, & D. Thomâ 2. 2. quæst. 152. art. 1. quos sequuntur omnes Theologi) debuit esse cæteris perfectius, firmitus & nobilior, & porrò fuit. Perfectius quidem, quia ex majori gratiâ & perfectiori amore Dei, & affectu istius Angelicæ virtutis: Firmitus verò, quia voto firmatum, & ab omni cõtrario seu repugnante liberum: caruit namque Deipara omni carnis rebellione. Tandem fuit nobilior, quia ad altiorem finem ordinatum, nempe ad hoc ut fieret Mater Dei: sicut ergò ita ex rectâ ratione concludimus de B. Virgine, ex hoc quod electa est ut esset Mater Dei, ita à pari, sub illâ tamen, de ejus suppare D. Josepho, Virgineo suo Sponso concludere par est, ut & dignus esset Pater Christi, & tantæ Virginis conjugio ac convictui aptus.

VI. Illud quoque ipsum ex sequentibus eruitur principis: Primum est, quod omnes Theologi constantissimè docent cum D. Thomâ 2. 2. quæst. 88. art. 6. melius esse ac magis meritum cæteris paribus quod fit cum voto, quàm quod sine voto, ut constat ex sexcentis Scripturis, quæ vota commendant, exhortantur ad illa faciendâ, & cum facta fuerint adimplenda: Roboraturque triplici ratione, prima ex parte votantis, tum quia ille qui vovet aliquid, & illud facit, magis se Deo

subjicit, quàm ille qui solum facit: subjicit enim se Deo, non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cætero non potest aliud facere: tum quia per votum figitur voluntas & immobiliter firmatur in bono: facere autem bonum ex voluntate firmata in bono, ex Aristotele 2. Ethic. cap. 4. pertinet ad perfectionem virtutis. Et patet primò à contrario, quia ille qui peccat mente obfirmatâ in malo, gravius peccat; ergo etiam qui mente stabili & immobili facit bonum, auget meritum. Secundò à simili, quemadmodum ille melius scribit vel pingit, qui firmâ manu id facit, quàm qui tremulâ, ita etiam quod fit ex voluntate firmata in bono, fit perfectius quàm quod fit ex voluntate titubante & mobili.

Secunda ratio sumitur ex parte objecti, quia opus quod fit ex voto, non tantum elicitur à propria virtute, v. g. Castitatis, cujus proprium est opus, sed etiam à nobiliori virtute, puta Religionis, à qua imperatur. Votum enim est pars quædam Religionis, quæ virtus est inter morales præcipua, quia pertinet ad Divinum cultum, & magis immediate Deum respicit, immò est pars illius nobilissima, quia reducitur ad laetiam, ut docet D. Thomas ibidem artic. 5. Quemadmodum ergo in virtutibus Theologicis & aliis, actus melior est si imperatur à charitate quæ illarum est Regina, quàm dum præcisè à propriis habitibus elicitur: Ita etiam actus Moralium virtutum (qualis est continere) sunt meliores & magis meritorii si fiant ex voto, quia sic sunt quædam sacrificia, & pertinent ad Religionem, quæ illarum omnium caput est: & continere cum voto est virtutis Temperantiæ & Religionis, sine voto solius Temperantiæ. Tertia ratio ex parte modi, quia quod procedit ex voto, procedit ex majori affectu ad illud, quàm quod fit sine voto: Opus autem virtutis ex majori affectu procedens, indubitanter est melius & majoris meriti.

VIII. Secundum principium est quod cum nobis constat de virtute aliqua istorum duorum factorum Conjugum, præcipuè verò si sit communis inter illos, & ad eundem finem, nulla reus est

est ambigendum illam ab eis exercitam, & possessam perfectiori modo quo potuit, aut saltem quam ab ullâ aliâ creaturâ, hoc enim exigit illorum supra illas electio, dignitas, ac meritum.

IX. Tertium principum. Constat autem ex supradictis illos semper servasse Virginitatem usque ad mortem: ac deinde aliquos Sanctos eam etiam in matrimonio post illos vovisse, & observasse quos in magno numero, vide in sequentibus capite octavo per totum.

X. Rarum quidem istud Conjugii genus, sed quò rarius eò laudabilius Deoque charius, quod non caro, sed sincera in Christo dilectio conciliavit, sanctaque animorum conjunctio in Evangelicâ castitate confirmavit, ut ambo veluti sacrum preciosumque munus ex communi proposito Deo reverenter offerrent, fideliterque persolverent. Quis verò his fundamentis suppositis, neget parem, imò majorem D. Virgini Deiparæ, virgineoque ejus Sponso Josepho mentè & consilium incidisse? utpote qui toti è Christo casti Concilii seminatore penderent, ac divinâ illius gratiâ fortius quam illi subnixi essent.

XI. His efficacissimis rationibus ultimam vim & robur addit Authoritas Scripturæ Luc. cap. 1. vers. 34. à SS. Patribus explicatæ, ubi Angelo de cælis nuncianti, & dicenti Mariæ jam Iosepho conjunctæ, *Ecce concipies in utero & paries filium, &c.* Respondet illa non ut incredula de nuncio, sed ut sollicita pro voto, *quomodo fiet istud?* rationemque sui scrupuli subdit dicens: *Quoniam virum non cognosco*, ubi illud, *non cognosco*, non potest intelligi tantum de præsentî, sic enim nullus fuisset admirandi aut scrutandi locus, sed in eo acquiescere poterat quod promiserat Angelus, cogitando promissum filium ex maritali sui Sponsi complexu, ut cæteris conjugibus, sibi quoque nasciturum. Non etiam intelligi potest de nullâ consuetudine, aut etiam proposito quocumque excluso voto: sicuti dicunt v. c. abstemii non bibo vinum, vel ex simplici proposito continere volentes, non nubo, quia posset, imò deberet talem consuetudinem, aut tale propositum pro re tanti momenti, qualis erat illa ipsi ab Angelo tunc pro-

posita, propriâ & prudenti voluntate mutare: intelligitur ergo de proposito voto firmato, à quo resilire non licet; ut idem sit ac si dixisset, non possum virum cognoscere: Quemadmodum ergo illi qui Religioni, voto, aut publicâ professione, ad aliquid servandum nomen dederunt; dicunt in præsentî v. c. Christianus, Jovem non adoro, Carthusianus carnes non edo, Capucinus pecuniam non tango, & hoc est idem ac si diceret non possum adorare Jovem, edere carnes, tangere pecuniam, quia impediatur Religione Christi, quam profiteor, Regulâ quam vovi. Ad eundem planè modum Religiosa, & sui voti conscia, piique propositi tenax Virgo, verbis illis Angelicis affata, non immetitò hæret & quærit, quomodo promissi filii mater erit futura, quandoquidem virum non cognoscit? quod perinde est ac si diceret; non diffido verbis tuis Gabriel, qui haud dubiè Dei nuncius es: sed quomodo, seu quâ ratione fiet id quod dicis, ut tanti sum mater filii? etsi enim Iosepho nupsit, tamen ab eâ cogitatione, ut mater fiam, sum proptus aliena, quandoquidem viri consuetudinem mihi jam ante penitus interdixi, meamque Virginitatem Deo consecravi: Quæ interpretatio & verbis Scripturæ, & rationi consentanea, nullum reformidat censorem etsi rigidissimum.

XII. Neque hic hujus loci sensus tantum noster est, eodem modo illum intellexerunt & interpretati sunt ante me SS. Patres, quos inter D. Gregorius Nyssenus orat. de human. Christi Generat. ubi hæc habet: *Si Maria liberorum causâ ducta fuisset à Ioseph, quomodo parituram Angelo prænuncianti, se rem novam & alienam audire præ se tulisset, cum ipsa quoque sese obstrixisset nature lege ut aliquando mater esset? Verum quia carnem Deo CONSECRATAM tanquam sanctum aliquid oblatum munus oportebat intactam, integrâque perstare, idcirco licet, inquit, Angelus sis, licet è cælo venias, licet id quod ostendis naturam superet humanâ, tamen me virum cognoscere nefas est. Quomodo sine viro mater eris? Ioseph enim Sponsum novi, sed virum non, &c.* ubi S. Pater ex his Mariæ ad Angelum verbis, colligit Mariæ carnem Deo consecratam

secratam, & eius votum, per quod fuit Deo consecrata; ob cuius Religionem virum agnoscere illi nefas fit, nec ab illâ virginitate, quam voverat, ob ingentia illa Angeli promissa discedere voluisse, sed his istani omninò prætulisse.

XIII. Divus Gregorius, Divus sequitur Augustinus lib. de Sanctâ Virginitate cap. 4. Ipsa quoque, inquit, virginitas Mariæ idèo gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conservaret ipse præripuit, sed priusquam conciperetur jam Deo dicatam de qua nasceretur elegit: Hoc indicant verba que sibi factum annuncianti Angelo Maria reddidit: Quomodò, inquit, fiet istud quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret nisi Deo Virginitatem se ante vovisset. Sed quia hoc Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat. Quamquam etiam si hoc solum dixisset, Quomodò fiet istud? nec addidisset, quoniam virum non cognosco, non quæsisset utique sibi promissum filium quomodò femina paritura esset, si concubitura nupsisset. Poterat & juberi Virgo permanere, in qua Dei Filius formam servi congruenti miraculo acciperet, sed exemplo sanctis futura Virginibus, ne putaretur sola Virgo esse debuisset, que prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, virginitatem Deo dicavit cum adhuc quod esset acceptura nesciret, ut in terreno mortaliq. corpore celestis vite imitatio, voto fieret non precepto; amore eligendi, non necessitate serviendi. Vide eundem homil. 14. de Nativit. Domini. Ex quibus Augustini verbis manifestè colligitur: Primò, Mariam non modò virginitatem suam Deo vovisse, sed etiam propter hoc votum Deo gratior rem fuisse, quod scilicet se totam Deo dedicasset, atque adhuc sub Moyse lege vivens, liberè & ex amore consecrasset; eaque ratione id assecuta esset, ut eximio seculuris postea virginibus præluceret exemplo.

XIV. Divus Anselmus homil. in hæc verba: Intra vit IESVS in quoddam Castellum; in eadem verba ita quoq. ut Gregorius & Augustinus ratiocinatur. Si, inquit, cuiuslibet virginis desponsata diceretur

filium habebis, non miraretur, neque interrogaret quomodo istud fieret: ut potè que se desponsatam à viro gravidari usu natura speraret. Hoc autem Maria non immerito mirata est, & quomodo fieret quod promittebatur sciscitatur? quoniam quamvis desponsatam, tamen se nunquam virum cognituram certò sciebat.

Quibus ad stipulatur D. Chrysostomus homil. 40. in Genes. ubi sic ille. Ne queras, inquit Angelus, nature modum & ordinem, quando super naturam sunt que fiunt: Nam si cognosceres virum, non fuisses habita digna ut huic mysterio servires, non quia malum nuptiæ, sed quia melior virginitas: Hunc enim ingressum nostri omnium Domini digniorem esse oportet quàm nostrum. Regius enim fuit introitus: Oportebat autem & partim cum nostra nativitate communicare, & partim alienum esse, & utraque hæc fuerunt. Nam de utero prodire commune habet nobiscum: absque nuptiali autem congressu nasci supra nostram est nativitatem. Similia habent D. Bernardus serm. 1. in Signum magnum. Item serm. in Nativit. Mariæ Ven. Beda homil. in illud Evangelii Missus est Angelus. Rupertus lib. 3. in Cantic. & alii.

Porro ut ex hoc Scripturæ loco Mariæ Virginitatem concludamus voto firmatam, ita ex eodem pariter pro Divo Iosepho ejus Sponso Virginico argumentamur: Nam votum illud quo obstricta fuisse colligitur Beata Virgo, vel factum est post ejus cum D. Iosepho desponsationem, vel ante. Si post desponsationem, quomodò tunc illud facere potuit, nisi monito & consentiente Sponso, in cuius jam transierat potestatem per matrimonium? Et potuit ne ille consentire, & quod se ab illa perpetuò contineret promittere, & non ipse ita castus, idem quod illa, ejus exemplo, hortatu Dei impulsu voveret non capio. Si autem ante desponsationem, quomodò potuit illi nubere, si non fuisset certa de simili proposito ex parte Sponsi? Certè si aliter processisset, periculo se exposuisset. Quare & ne hoc sibi contingeret, & ne Iosepho Sponso injuriam pararet, eum de voto à se nuncupato præmonere debuit, & ne votum suum in discrimen adduceret, cum explorare, & vel jam ejusdem secum

secum propositi, invenisse, vel facere, obstericante Dei gratiâ.

XVII. Stat ergo & stabit in æternum quod docet Eximius Hugo de S. Victore sui temporis alius Augustinus lib. de Conjugio Mariæ, D. Thomas in Annotat. super Epist. ad Galat. cap. 1. & part. 3. quæst. 28. artic. 4. ad 3. Gerson serm. de Nativit. Beatæ Mariæ confid. 3. noster Waldensis tomo 1. lib. 3. cap. 22. Quos jam sequitur omnis Theologorum Chorus, Divum Josephum unâ cum Sponsâ suâ lectissimâ in nuncupando & solvendo virginittatis voto sanctè convenisse, Divino scilicet id providente Numine, ut ad grande illud Arcanum, à quo mundi salus pendeat, Virgini Matri talis Coniux adhiberetur, qui, ut in cæteris virtutibus, sic etiam in summâ pudicitia, illi concors esset & conformis.

CAPUT VI.

Quando ab illis votum illud de servandâ Virginitate emissum?

I. **D**UO sunt circa hoc certa ex jam dictis: primò: votum illud ab utroque emissum. Secundo, emissum ante Annuntiationem Mariæ, ut patuit evidenter ex interrogatione illâ Mariæ ad Angelum, *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Restat nunc quærendum an etiam ante desponsationem?

II. Et quidem de Beatâ Virgine videtur omninò certum: sicque censent post D. Augustinum mox citatum omnes Theologi, qui dum disputant an verum intercesserit inter Mariam & Josephum matrimonium, supponunt ante illud fuisse in illis castitatis votum maximè verò in Mariâ. Probatum primò ex quæst. 2. cap. Sufficiat, ubi Nicolaus Papa ait. *Si Beata Maria contra suum propositum consensit in carnalem copulam, rea facta est voti virginittatis mente, etsi non opere violati, quod de eâ sentire nefas est.* In hac etiam sententiâ fuit noster Doctor Resolutus Joannes Bacchionius in 4. dist. 32. quæst. unicâ art. 3. ubi in Responsione 2. ad difficultatem in artic.

propositam sentit non obstare veritati Matrimonii votum Beatæ Virginis, quod illud antecessit: Nam, inquit, illud subiecit Divinæ dispositioni, quia proposuit se virginittatem servaturam, nisi Deus sibi aliter revelaret, & sic, ut dicit Glossa ibidem, Deo revelante potuit licitè matrimonium contrahere supposito quod vovisset etsi solemniter, quia quantumcumque sit votum excipitur auctoritas majoris, tit. *de jure jurando*. Venientes.

Probatum secundo, quia cum constet quod ante Annuntiationem voverit, quid asserri potest cur illud fecerit tempore solum quod mediavit inter illam & desponsationem, & non ante? Quinimmò nisi dicamus illam ante desponsationem vovisse, non removeretur sufficienter ab illâ suspicio, quod non nupsit ut cæteræ puellæ, hoc est liberorum causâ, ut voluerunt post Calvinum citatum Cap. præcedenti num. 3. Centuriatores centur. 1. lib. 2. cap. 10. ut quid enim admittetur in eâ votum ante Annuntiationem & non ante desponsationem, nisi quia voto obstricta non potuisset nubere? Ex quo scilicet vel non potuisset consentire in copulam ne violaret votum, ac sic matrimonium fuisset nullum: vel si consensisset, mente violasset votum, ac sic matrimonium licet validum, fuisset tamen sacrilegum.

Sed præmitur illud ipsum argumentum contra adversarios: Nam vel Beata Virgo quando nupsit, consensit in copulam, vel non: si non consensit, ergo nullum contraxit matrimonium: si consensit, ergo vera Virgo non permansit. *In eo ipso namq.* inquit eleganter Hugo à Sancto Victore tomo 3. lib. de Mariæ Matris Dom. Nost. Virginit. perpet. cap. 1. paulò post inquit. *propositum virginittatis deseruit, quo se per consensum debito carnalis commercii in conjugali Sacramento sponte subiecit. Ac per hoc, quod virginittatis propositum in consensu copule carnalis deseruit, jam mente virgo esse desit, etiamsi carne virgo permansit. Quæ est igitur hæc Virgo virginum, singularis integritate, unica castitate, excellens dignitate? Quæ sunt ista præconia & assidue laudationes, immò potius quæ sunt quotidiana ista adulationes quibus singu-*

lariter laudabilem, & excellenter super omnes gloriosam Mariæ virginitatem predicamus, quæ non solum omnibus virginibus præferenda non est, sed multis etiã postponenda, quæ & carne virgines probate sunt, & virginitatis propositum usque in finem mente castâ atque devotâ inviolatum tenuerunt? Comparetur nunc virginitas Agnetis & Mariæ, & quæ fuerit in merito probata sublimior, dignè etiam in laudibus excelsior teneatur: illa se in custodia virginitatis tam invictam exhibuit anno decimo-tertio, ut eam à proposito suo, nec ipsa mors illata dejiceret: Hac se tam mobilem demonstravit, ut unius eam viri & pauperis affectus ad consensum sui inclinaret. Illa in tantum virginitatem dilexit, ut quidquid in ejus comparatione pretiosum promitteretur, contemnendum crederet, quidquid pro ejus defensione durum inferebatur non timendum judicaret: Hac virginitatem tam facile despexit, ut eam & sine præmio promisso desereret, & sine pœnâ illatâ abdicaret. Quid igitur restat nisi ut dicamus, inferiorem habere gradum in merito ac laude virginitatis illam, quæ à proposito conservanda virginitatis sponte cecidit, etiam si carne virgo permansit: Superiorem verò illam, quæ cum carnis integritate propositum virginitatis usque in finem inviolatum custodivit.

V.

Dices non idem est nubere cum voto, ac nubere cum proposito castitatis, quia qui nubit cum solo proposito castitatis non peccat; peccat verò qui cum voto. Undè D. Augustinus lib. de bono Viduitatis cap. 8. & 9. & de Adult. Conjug. cap. 15. & cap. 24. ait in iis qui voverunt castitatem, non tantum nubere, sed etiam nubere velle damnabile est: Et colligitur ex Apostolo 1. ad Timoth. cap. 5. vers. 11. Quare cum Beata Virgo nuptura esset, potuit habere propositum castitatis, non votum: sed hæc instantia fuga est argumenti, non evasio, quia hæc differentia est tantum accessoria ad consensum matrimonii: nam quoad entitatem ipsam consensus de quo hic, eodem modo se habent nubens cum proposito virginitatis & nubens cum voto. Neuter enim consensum illum præbens in copulam virgo permanet. Plura de his alibi, ubi de veritate matrimonii.

Probatur tertio, cum desponsatio Beatae Virginis cum D. Iosepho fuerit ultima quasi dispositio executionis illius æterni Consilii, quo filius Dei ante tempora sæcularia decreverat fieri filius hominis, consequenter eadem sacratissima Virgo in matrem suam elevari, oportuit quod tunc essent in illa omnia prærequisita ad hoc, ut in illâ Deus magnum illud opus dignè exequi posset: sed ut in eâ opus illud dignè Deus exequeretur, requirebatur sùma virginitas, & qualis nulla talis, quare antequam desponsaretur, debuit omninò caro ejus, ex quâ Deus suam sumpturus erat, esse per votum Virginis sanctificata, & Deo consecrata. Primò quia docente D. Augustino lib. de Sanctâ Virginitate cap. 8. Neque ipsa virginitas quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur, qualicet in carne servetur, spiritus tamen Religione ac devotione servatur, ac per hoc etiam virginitas corporalis spiritualis est, quam voverit & servat continentia pietatis. Secundò, quia virgo eo castior est, quo majorem habet affectum ad Virginitatem, sed vovere virginitatem, est ex affectu majori ad virginitatem, ergò Diva Deipara jam voverat, quando Sponsa tradita est ut mater jamjam fieret. Tertio, quia cum Beata Virgo indè ab ortu suo fuerit semper & in omnibus speciali Spiritus Sancti unctio imbuta, & cælesti sapientiâ perfusa, cur non scivisset ante, ut post suam desponsationem, votum virginitatis esse Deo gratum & acceptum? an hoc illi occultandum fuit donec nupsisset? & si occultatum, quare? sin verò, cur distulisset illam vovere? Ad hoc quid responderi poterit?

Dices in lege maledicta erat sterilis quæ non pariebat: Respondeo primò, intelligitur de sterili quæ in conjugio generationi vacans, sterilis & infocunda erat, non autem de eâ quæ voluntariè castitatem servabat. Constat hoc sexcentis exemplis ex Scripturâ, præcipuè verò in Filiis Prophetarum, idest discipulorum & sequacium Sancti Patris Noltri Eliæ Prophetæ, qui virgines non mansissent, si virginitas sub hoc maledicto comprehensa fuisset. Quin è contra Sapientiæ cap. 3. dicitur.

Felix

Felix sterilis & incoquinata, que non novit thorum in delicto, habebit fructum in respectu Animarum sanctarum. Et Isaia cap. 56. vers. 5. promittit Deus Eunuchis, intellige illis qui se castraverunt propter Regnum cœlorum (quod fit per votum inducens impotentiam moralem) *In domo sua locum & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum quod non peribit.*

VIII. Instabis, locus ille ad litteram intelligitur de Eunuchis qui sic nati sunt, vel qui ab hominibus facti sunt, quos nec Deus ab Ecclesiâ repellit. Respondeo, maximè tamen intelligit Eunuchos voluntarios, de quibus Christus Matthæi cap. 19. vers. 12. qui seipso castraverunt propter Regnum Cœlorum. Et certè si illis erit in Ecclesiâ & in cœlo nomen gloriosius & diuturnius quàm possent habere à filiis & filiabus, quanto magis his qui ita se propter Deum castraverunt? Ita hunc locum explicant Sanctus Augustinus lib. de Sanctâ Virginitate cap. 24. & lib. 14. contra Faustum, Sanctus Hieronymus in hunc locum, Sanctus Ambrosius Exhortat. ad Virgin. Sanctus Gregorius Papa 3. part. Pastoral. cap. 29. & alii Sancti Patres, idque fusè probat Doctissimus Franciscus Forerius Ordinis Prædic. suis in hunc locum Commentariis. Primò, ex verbo Hebræo *nivra*, quod plenè illis solis cõpetit qui ideò se castraverunt propter regnum cœlorum, ut perfectius Deo servire possent. Secundò, *ex to qui custodierint sabbatha mea*: hi enim præ omnibus perpetuum Deo Sabbathum celebrant, dum noctes & dies orationi, Meditationi, factæ lectioni, in summâ quiete transigunt; uti Esæos fecisse narrat Philo Judæus, qui fuerunt Monachorum Parentes & S. P. N. Eliæ Successores. Tertiò, ex verbis *elegerint quæ ego volui*: Qui enim ea magis eligunt quàm tales, qui ut plurimum non tantum præcepta Dei, sed etiam consilia complectuntur? Quartò, ex verbis *immediatè præcedentia sequentibus, & renuerunt fœdus meum*. Quinam enim sunt qui non violant ne vel in minimis fœdus Dei, nisi illi qui arctiori se vinculo ad illud servandum adstrinxerunt, quales sunt spirituales illi Eunuchi? quæ omnia non ignorabat

illuminatissima Virgo, electa (etsi hoc tunc nesciret) ut esset illa quæ filium Dei, manens Virgo, utero suo concipere, gestare per 9. menses, & parere debebat, cuius & vel ipsa pedissequa esse gestiebat?

Respondeo secundò, Deus inter alias benedictiones populo Judaico datas hanc unam ponebat quod inter illos nullus utriusque sexus sterilis esset: quare Judæi à contrario sensu inferebant steriles maledictos, utpote qui ab illâ divinâ benedictione alieni erant, cum tamen major semper fuerit benedictio utrique sexui sterilem esse seu Virginem ex electione propter Deum: nec aliud Judæi, ex Scripturâ proferebant testimonium contra hanc sterilitatem, quàm illud à contrario sumptum: Ergo illud maledictum à solâ pendebat hominum opinione, quàm Beata Virgo non curabat, utpote unicè à Spiritu sancti ductu pendens. Quare sic illa secum loquebatur teste Divo Bernardo homil. 2. in Missus est: *Melius est mihi maledictum incurere quàm castitatem violare; nam licet video maledictum, sed non peccatum. Hec enim maledictio quid est nisi hominum exprobratio?*

Objicies capite *Beata Maria 27.* Quæst. 2. ex Divo Augustino legimus eam decrevisse servare virginitatem nisi Deus aliter revelaret, non ergo vovit. Respondeo caput hoc D. Augustino attributum, non reperit inter opera ejus, ut notat Rebellus lib. 2. de Matrim. quæst. 13. sect. 2. num. 6. Ubi etiam ait non esse verosimile illud ex variis Augustini libris fuisse decerptum, ut quibusdam placuit, quia continet sententiam cum Doctrinâ S. Augustini minimè coherentem, & falsam, nempe quod immaculatissima Virgo cum nupsit, in copulam cõsenserit, non quidem illam appetendo, sed divinæ voluntati se submittendo; qui consensus mentalem virginitatem excludit, quod de eximiâ & summâ virginitate nefas est cogitare, illam enim virginitatem ei debemus attribuere; quâ nulla major. Igitur qui caput illud collegit, Gratiano & Magistro, & aliis imposuit, qui propter illud moti sunt ut ita de Virgine sentirent.

Cc 3

Respondeo

IX.

X.

XI. Respondeo secundò, potest & illud caput si sit ex D. Augustino, explicari sic: dicendo quod cum Beata Virgo dicitur decrevisse servare virginitatem nisi Deus aliter revelaret, quemadmodum etiam loquitur noster Bacchoni-
 XI. nus hic supra num. 2. non id dicitur quod ejus propositum seu votum fuerit propriè conditionatum: sed per id significatur quousque purissima Virgo voti sui obligationem extenderat, ut scilicet nullatenus unquam ab illius observatione libera foret, nisi Deo dispensante & manifestè manifestante se velle ut illud relinqueret: Cum quâ interpretatione stat nostra sententia de veritate matrimonii ut infra capite undecimo per totum, nec ei contrarius erit noster Bacchoni-
 XII. us.

XII. Dices, D. Thomas 3. part. Quæst. 28. art. 4. & in 4. sentent. dist. 30. Quæst. 2. art. 1. docet ante desponsationem vovisse, non simpliciter, sed sub conditione, si Deo placeret. Respondeo intelligendum S. Doctorem juxta prædicta, non de conditione quæ suspendat voti obligationem donec impleatur, ita ut voverit servare virginitatem si Deus illi revelaret hoc sibi placere, sed potius loquitur de conditione non suspendente, donec de contrariâ Dei voluntate constaret; juxta doctrinam num. præcedentis.

XIII. Tandem docent multi, quia Beata Virgo ab instanti suæ Conceptionis cum gratiâ accepit usum rationis, eodè etiam momento, saltem corde, vovisse, ut nunquam non ejus caro Deo dicata fuerit: Alii verò quando in Templo ut cum virginibus Deo ministraret præsentata fuit: sed hæ sententiæ mihi non placent, quia toto tempore quo in utero Matris delituit, ac etiam pluribus annis à suo ortu non fuit capax saltem externorum actuum istius virtutis: Quare probabilius dico ut sequitur. Cum maximè credibile sit Beatam Virginem, licet usu rationis & gratiæ præventam, profecisse tamen quemadmodum & filius ejus gratiâ, & ætate, & sapientiâ coram Deo & hominibus, videtur satis consequenter ipsam fecisse vota, aliâque plura, quæ opera virtutum externa spectabant, juxta ipsam illorum operum exigen-

tiam: quare existimo non fecisse illud votum virginitatis nisi ad annos pubertatis, seu eâ ætate quâ alii incipiunt fieri capaces actuum externorum istius virtutis, vel illi oppositorum.

Ex quibus censeo & Divum Josephum etiam ante desponsationem, saltem quando contrahendum fuit cum Deipara conjugium, vovisse propter rationem in fine capitis præcedentis num. 16. & 17. allatam, quam ibi vide. Quemadmodum enim Beatissima Virgo, cujus mentem sermo Dei vivus prius imbuerat, quàm carnem indueret, nunquam propositum virginitatis mutavit, ita nec ulli mutationis periculo exposuit, aliàs multum de virginitate remisisset: sed quomodo id fieri potuit, & potuit nubere, nisi quia cum nubendum esse ex voluntate Dei didicisset, ei cui nuptura erat votum suum aperuit & propositum, se non aliter ei nupturam, nisi sub hæc expressâ conditione, quod simul vitam ducerent perpetuò Cœlibem? Neque hoc tantum, sed nec voto ac conscientiæ suæ satis consultum credere potuit, per hoc quod simpliciter acceptaret conditionem, nisi & ipsum ad idem Deo vovendum induxisset: quod Virgini Cœlesti sapientiâ perfusâ, difficile non fuit obtinere ab eo, qui si ullus unquam homo, ad eandem virtutem cœlitus dispositus erat.

Confirmatur: Nusquam constat Beatam Virginem oblatum sibi à Deo sponsum repuisse, aut ut illum acciperet moram fecisse, & tamen matrimonium hoc fuit contractum priusquam à Spiritu sancto Verbo æterno fecundaretur, ut probabimus infra: Cum autem eidem Virgini diceretur ab Angelo, *Ecce concipies & paries, &c.* mox interrogavit Angelum & opposuit, *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Cur obsecro in contrahendo cum Josepho conjugio nil cunctatur, annunciata verò cunctatur? Quid ad hoc respondebimus? nisi quod voluit per hoc omnibus manifestum fieri, quod tamen Joseph Sponsus suus esset, ob hoc tamen nihil sibi timendum pro suâ virginitate: quomodo autem hoc nisi scivisset illum eidem, quo ipsa, voto adstrictum.

Quod

XVI. Quod si forte dicas Deum Divæ Virgini revelasse Sanctum Josephum nunquam virginitati ejus adversaturum, ac sic aliud non fuisse necessarium ut cum eo sine periculo sui voti contrahere posset. Replico, quomodo tunc tam moderatus esse potuit, & non ipse vel eodem voto jam munitus, vel ad idem proximè dispositus? quod si dispositus, nunquid connaturalius fuit ut ante sciret, sicque ipse sciens & volens acceperet, nec acceperet modo, verum etiam ipse ad majus suum meritum idem exemplo ejus voveret? Certè cum tanta fuerit ejus virginitas, ut Mariæ Virginitati individue sociari meruerit, quis hoc ei negabit? Potuit ergo ille quod Sara uxor Tobia junioris lib. Tobia cap. 3. & meliori titulo quam illa dicere. *Tu scis Domine quod nunquam concupivi feminam* (virum aiebat illa,) & *mundam servavi animam meam ab omni concupiscentiâ uxorem autem cum timore tuo non cum libidine mea consensu suscipere.* Quam ergo pura! quam perfecta D. Josephi pudicitia! qui sponsus sponsam absque nuptiali affectu duxit ac tenuit? qui Virgo Virginem adiit atque servavit: qui denique primus omnium mortalium in conjugio coluit, & coli posse ostendit Sanctum & integrum coelibatam.

XVII. Confirmatur hæc Responsio ex eo quod habetur in Revelat. Sanctæ Brigittæ lib. 7. cap. 25. ubi sic Beata Deipara ad eandem Sanctam Brigittam, *Pro certissimo scire debes, quod Joseph antequam desponsavit me, intellexit in Spiritu sancto me vovisse virginitatem.*

CAPUT VII.

Gloria Sancti Josephi & ejus casti Conjugii ex illius predictionibus & figuris.

I. **H**oc Sacratissimum D. Josephi cum Beatâ Virgine Conjugium, ex quo Christus, & ex hoc nostra Salus, in eoque amborum integritatem omnibus retro

saeculis inauditam, raram futuris, à SS. Prophetis longè ante præscitam, prædictam, & præfiguratam fuisse, ostendere oportet, quia ex hoc non tantum quam ea combinatio magna sit apparebit, sed etiam quam vera. Etenim non ea tantum magna esse oportet, quæ Deus tantopere antequam existerent prædici, & antequam fierent præfigurari, & ut ita loquar ideari voluit, ut constat ex dictis part. 1. tract. i. Prolud. 7. per totum, sed etiam illorum veritatem necesse est esse maximam ac præcipuam, quandoquidem Lactantio teste lib. 4. insit. *Non idcirco à nobis Deus creditur quæ mirabilia fecit, sed quia in eo vidimus esse facta omnia quæ nobis annuntiata sunt Vaticinio Prophetarum.*

II. Porro horum Sacrorum Conjugum continentia dupliciter considerari potest, Primò, seorsim, ut fuerunt personæ distinctæ & separatæ. Secundò conjunctim, ut scilicet per matrimonium unitæ: Primò modo, quemadmodum Divæ Deiparæ virginitas per omnes quæ illam præcesserunt mulieres castas, seu etiam virgines, præfigurata fuit, ita ut D. Josephi per viros qui ejusdem virtutis laude floruerunt: fuisse autem multi è quibus præcipuis fuit Joseph Patriarcha filius Jacob & Rachelis. De quo ita D. Bernardus Homil. 2. in Missusest. *Memento, inquit, magni illius Patriarchæ in Egypto venditi, & scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, in Deo scilicet quod iste Dominæ suæ noluit committere. Immo ut figuratum figurâ superat, ita hic noster Joseph longè istum præcessit, qui per plures annos cum Virgine (quam ut Dominam suspiciebat & venerabatur) conversatus est cum tali puritate, ut nec levissimo motu interiori, qui solent etiam in sanctissimis viris subrepere, fuerit concussus. Deinde quia ille Joseph antiquus contulit sibi ab uxore alienâ, hic à propriâ: ille fugiens, hic manens, tandem quia ille castitate enituit, hic virginitate.*

III. Sed hic de illorum continentia, secundò modo sumptâ, id est ut fuerunt per matrimonium uniti: Prædicta fuit

Haic

Joseph

Revelat

D.

Joseph

SV

an

Isaia cap. 62. 5. *Non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata, &c. habitabit enim juvenis cum Virgine, ubi Hæbræum pro habitabit habet iibal quod significat maritabit, ducet, desponsabit: ex quo patet hunc locum intelligi de cohabitatione juvenis cum Virgine in Conjugio.*

IV. Hunc porro locum ita interpretantur nonnulli, ut sit sensus, terra tua non vocabitur amplius desolata, sed erit inhabitata, quia poteris plenam pacem, in qua solent juvenes cum virginibus contrahere connubia, qui alias tempore belli ad castra coguntur, nec nuptias cogitant, sed prælia: ita Cornelius à Lapide & alii.

V. Sed nimis crassum videtur & Judaicum, Deum sub typo Synagogæ à Babylone liberatæ, Ecclesiæ promittere per Christi Redemptionem pacem temporalem, cum è contra creverit & adoleverit in persecutionibus quæ postea in pace temporali elanguit: nec nunc infrequentiora sint bella quam ante Christum; Multò minùs verisimile est Christum per Redemptionem suam effecturum, ut juvenes connubia contrahere possint cum Virginibus, ac nuptias cogitent, quod non ita ante, ad prælia intenti: quãdoquidem Christus vexillum crexerit castitatis, & sancta virginitas non minùs sit Cælo fecunda & utilis quam conjugium: quin è contra, quos matrimonium peccatores, producit ac iræ filios, hos in castis Ecclesiæ Ministris, sacrarumque Virginum choris, sancta continentia in statum filiorum Dei assertos, Cælo pariat: unde neque olim antiqui Patriarchæ populum quem genuerant, neque Moyses & Aaron conjugati, sed Josue Cælebs in figurâ Christi atque in præsignatione Evangelii in terram promissionis induxit. Vide D. Hieronymum lib. 1. contra Jovinian.

VI. Quare litteraliter hic locus sic intelligitur quod per Christi Salvatoris gratiam habitabitur terra Ecclesiæ, nec amplius vocabitur desolata, ratio est quia habitabit juvenis cum virgine, ita ut ille incorruptus, hæc integra permaneat, scilicet Divus Josephus cum Coniuge suâ Mariâ Virgine Deiparâ. Ita Glossa utraque,

& Interpretes passim.

Probatur amplius hæc interpretatio. Nam cum verbis præcedentibus Prophetæ promittat, Primò, Christi Adventum & exindè Ecclesiæ gloriam & augmentum: hoc versu, *habitabit enim juvenis cum virgine*, ostendit illa auspicianda ab hoc quod juvenis habitabit cum virgine, scilicet D. Josephus cum Mariâ Deiparâ, prout de facto contigit. Nam ut illi Sacri Coniuges convenerunt, ac in continentiam perpetuam convivere inter se decreverunt, Deus illicò allectus est ut ex Virgine illâ carnem sumeret, & ex illo virgineo conjugio prodiens hominibus appareret.

Secundò, hæc etiam D. Josephus cum Sponsâ suâ continentia præfigurata fuit in terra, quæ in principio mundi data est Adæ, quæ sine ejus labore & culturâ protulit ei fructus.

Tertiò, in Matrimonio Tobia Junioris & Saræ honestissimo: hoc enim celebrato non in libidine, ut asolet, sed in timore Dei. *Tunc*, inquit Scriptura *Tobia c. 8. v. 4. & 5. hortatus est virginem Tobias, dixitq; ei, Sara exurge & deprecemur Dominum hodie, & cras, & secundum cras, quia his tribus noctibus Deo jungimur, filii quippe Sanctorum sumus, & non possumus ita conjungi sicut gentes, quæ ignorant Deum.* Ex quibus apparet hos sanctos Coniuges, non tantum non luxuriæ causâ nupsisse, sed etiam matrimonium à continentia auspiciatos fuisse; propter quod meruerunt Dei benedictionem.

Quartò, adumbravit eandem horum factorum Conjugum continentiam castam, Davidis cum Abisag Sunamitide commercium, de quo ita 3. lib. Regum cap. 1. initio. *Et Rex David senuerat, habebatq; ætatis plurimos dies, cumq; operiretur vestibus non calefiebat: Dixerunt ergo ei servi sui, queramus Domino nostro Regi adolescentulam virginem, & steteram Rege, & forveat cum, dormiatq; in sinu suo, & calefaciat Dominum nostrum Regem. Quæserunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & invenerunt Abisag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad Regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatq; cum Rege, & ministrabat ei, Rex vero non cognovit eam.*

Hujus

XI. Hujus Historiæ rationem naturalem & physicam hanc assignat ex Francisco Valesio Philippi primi Regis Hispaniarum Medico, Sacræ Philosophiæ cap. 29. Cornelius à Lapide in hunc locum: Quod scilicet adolescentula aptior foret, quàm vinum, aut vestes pellicæ, quia ille calor non hic idem est in substantia cum calore hominis naturali, in quo propter ætatem deficiebat David. Unde Galenus lib. 1. Method. ubi imbecillitatem frigidi & sicci ventris curat, ait: *Ex iis verò quæ extrinsecus applicantur, boni habitus puellus unà sit accubans, ut semper abdomen ejus contingat.* Quod, ut ait Valesius, Davidi præstitum est in eâ etate, in qua non potuit virginem cognoscere, aliàs multò magis ei nocuisset congressus & copula maritalis, quàm profuisset admotio adolescentulæ.

XII. Sed errat Valesius in eo quod dicit Davidem impotentem fuisse ad copulam conjugalem quia contrarium constat: Cur enim Scriptura postquam indicavit quod Sunamitis dormiebat cum Rege, tam expressè observat, *Rex verò non cognovit eam;* nisi ut indicet potuisse, sed se à copulâ abstinuisse? Nec refert quod fuerit David tam algidus: multi enim frigidiæ complexionis sunt nihilominus potentes ad copulam.

XIII. Ex hæc porro observatione, quæ est omnium Interpretum, concludunt omnes contra Abulensem cap. 2. quæst. 23. & Bellarminum lib. 1. de Matrimonio cap. 28. verum inter Davidem & Sunamitidem istam intercessisse matrimonium: Cùm enim David non esset impotens ad copulam, ut observatum est, non potuisset honeste & licite accubare mulieri, quæ non fuisset uxor sua, nam uterque periculo gravissimo gravissimi se exposuisset peccati. Præsumitur etiam id ipsum ex aliis: Primum, enim si tantùm de Rege calefaciendo agebatur, ut quid necesse fuisset tanto studio in omnibus finibus Israel tam speciosam quærere adolescentulam? Non enim species, sed complexio ad hoc conducebat. Secundò, cùm effectus quæsitus potuisset æquè & tutius per boni habitus puellum, ut loquitur Galenus supra, ac per puellam, cur non

hic potius quæsitus & adhibitus. Tertio quare Adonias filius David Regnum ambiens, mortuo Patre, illam ipsam Abisag Sunamitidem ambivit uxorem? nisi quia putavit per eam tanquam Reginam utpotè Patris sui uxorem, viam sibi facilitare ad Regnum quod ambiebat: quod etiam animadvertit Salomon: Undè & Matri suæ ibid. vers. 22. illam à se pro Adoniâ petenti respondet. *Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniâ? postula ei & Regnum.* Si enim non fuisset Abisag Davidis uxor, quomodo per illam potuisset evadere in Regnum? Quare quod ab Abulensi pro secundo suæ sententiæ argumento adducitur, quod Levitici cap. 18. vers. 7. & 15. prohibeantur nuptiæ filii cum eâ quæ fuit uxor Patris sui, unde infert Abisag non fuisse uxorem Davidis, quandoquidem eam petierit Adonias in uxorem, solvitur dicendo ibi prohiberi nuptias cum eâ uxore cum quæ fuerit matrimonium consummatum, qualis non fuit Abisag: aut certè dicendum Adoniam vel istius legis fuisse ignarum, vel eam sic intellexisse, vel cùm ambitiosus esset Regnum magis curasse quàm legem.

Cùm ergo David non fuerit impotens ad copulam, (ex Valesio autem plus ei nocuisset copula, quàm admotio puellæ profuisset,) manifestum est hoc consilium servorum David ad remedium frigiditatis ejus adeo inceptum, ab altiore manu fuisse dispositum, eâ scilicet quæ ei dedit, ut à dormiente in sinu suo se contineret, & in alium quàm quem illi sibi proposuerant finem & scopum fuisse directum.

Qui quidem non fuit ille quem servi David intenderunt: sed ille quem Deus intendit quo totum hoc negotium direxit. Undè D. Hieronymus epist. 2. ad Nepotian. *Nonne, inquit, tibi videtur si occidentem sequaris litteram, vel signum esse de Momo, vel Abellanarum ludicra? frigidus senex obvolvitur vestimentis, & nisi complexu adolescentule non tepescit: vivebat adhuc Bethabee, supererat Abigail, & reliquæ uxores ejus & concubine, quas Scriptura commemorat: omnes quasi frigide repudiantur, & in unius tantùm grandævus calefcit amplexibus. Abraham multò David senior*

D d

fuit

inopis

genaliti

D.

septu

SV

an

XIV.

XV.

fuit, & tamen vivente Sarâ, aliam non quaesivit uxorem: Isaac duplices David annos habuit, & cum Rebeckâ jam vetulâ non friguit.

XVI. Sed quis tandem ille? Duplex omnino videtur fuisse, unus immediatus, alter mediatus, ad quem immediatus assumptus est. Primus, ut per hoc manifestum faceret Deus pœnitentię vim ac virtutem, quæ non tantum hominem Deo reconciliare possit, sed ô miram consolationem! etiam fractam virginitatis coronam redintegrare: ita Bacharius lib. de recipiendis lapsis, ubi sic rem interpretatur. David cum in adolescentiâ suâ cum adulterâ deprehensus sit, in senectute cum virgine invenitur, ut intelligamus quod post peccatum longa castitas imitatrix est virginitatis. Et verò nonne Jerem. c. 3. revocans Deus fornicariam à viis suis pessimis, ait illi: *Ergò salsem à modo vocame, Pater meus dux virginitatis meæ tu es.* Quid hoc? si fornicaria erat, quomodo Deus poterit esse dux virginitatis ejus? aut si dux virginitatis esse potest quomodo fornicaria fuit? Quid ad hoc dicemus, nisi quod virginem sedem, prostituta, per pœnitentiam Deo miserante recuperat? Ita Beatus Petrus Damianus epist. 38. *Reversio planè ista, inquit, ad Dominum, quantum ad qualitatem meritorum pertinet, de corruptâ integram facit, de prostituta virginem reparat.* Hinc Magdalena quæ fuerat in Civitate peccatrix in Litaniis accipit ab Ecclesiâ locum in capite Virginum. Hinc revertenti Prodigio, qui profectus à Patre in Regionem longinquam, ibi dissipaverat substantiam suam vivendo luxuriosè, Luc. cap. 15. Pater stolam primam citò profecti jubet, ut in quo fuerat honoris gradum ante insolentiam vitæ, post pœnitentiam restituatur: *Citò, inquit, proferte stolam primam.* Interea quo amplexu meo pœnitentis maculas tegeo, tergo ne videantur, redeat primus illius innocentie status. Apud Deum nullum habet locum regula hominum, ut qui semel est malus inventus, semper talis præsumatur: abluo enim sic malum Deus, ut nullum illius vestigium appareat, ita exaltat pœnitentem, ut integrum semper statum servasse videatur. *Hæc est,* inquit

Divus Ambrosius sermone 30. *Virtus Christi Domini, ut quamvis peccator, qui ejus undâ ablutus fuerit, denuò in virginem reparatus, non meminerit quid ante fuerat, & redireviva natiuitate infantia, innocentiam præferat juvenutis, scelera non agnoscat, sitq; virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati.*

Quia verò lex est umbra futurorum, XVII dico secundo finis mediatus hujus continentie, quam Deus posuit in illis conjugibus, Davide D. Josephi Patre, seu Pro-avo & Abisag Sunamitide, fuit ut in eo futurum filii sui seu Abnepotis D. Josephi cum castissimâ Virgine castum præfiguraret connubium: & porro perfectè præfiguravit: Nam ut nec David nec Abisag hoc suum ipsi procurarunt conjugium, sed Dei voluntate illius consilium incidit servis David; ita nec Joseph, nec Maria proprio, sed Sacerdotum consilio, Deo ita disponente, hoc conjugium inierunt. Et sicut David nec ad libidinem, nec ad prolis generationem accepit Sunamitidem in uxorem, sed ut illa Regem suo foveret calore, ita D. Josephus non luxuriæ causâ, nec sobolis procreandæ gratiâ, Mariam duxit uxorem, sed ut ejus formam servans, ipse caelesti ejus cohabitatione in Dei incalcesceret amorem, unde quemadmodum ibi observatur de Davide cum Sunamitide, & *Rex non cognovit eam,* ita Matthæi cap. 1. vers. 25. de D. Josepho cum Beatâ Virgine dicitur, *Et Joseph non cognoscebat eam.*

Tertiò, hæc etiam D. Josephi cum Virgine Sponsâ suâ continentia adumbrata est & manifestata Moyfi, Exodi cap. 3. vers. 2. ubi apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio Rubi, & videbat quod Rubus arderet & non combureretur. Pro cujus intelligentiâ.

Observandum, primò accuratius quænam in eâ visione reperiantur? Secundò, quid per eam visionem significabatur? Quoad primum duplex est sententia: prima est Theodoretî, & aliorum communiter post ipsum, qui duo tantum in illo caelesti viso distinguunt, Primò Rubum, secundò ignem quo Rubus ardebat: Atque adè dicunt Deum qui in Rubo apparuit Moyfi. fuisse

fuisse illum ipsam ignem quo Rubus ardebat.

XX. Sed verior est secunda sententia quæ tria in illâ visione distinguit. Primò, Rubum qui ardebat & non comburebatur. Secundò, ignem quo Rubus ardebat, seu potiùs ardere videbatur, cum tamen verè non arderet, Ignis enim Rubum non pervaserat, ut esset ignitus (non enim comburebatur) sed Rubo tantùm contiguus, ita ramos & folia ejus ambiabat ut videretur ignitus & flammam emittere: Unde Philo ait: *Rubus in se cremabilis non à flammâ uritur, sed potius ipsam flammam urere & consumere videbatur.* Tertio, tandem Deus, qui non fuit ignis ipse quo rubus ardebat, in quo mirè hallucinati sunt non sine stupore Authores primæ sententiæ: quia accuratè observatur quod Deus è medio Rubi apparuit Moyfi: At ignis non erat solùm in medio Rubi, sed totum Rubum ambiabat. Aliàs enim si fuisset tantùm ignis in medio Rubi, Rubus non arisset aut ardere visus fuisset: ut enim arderet, vel ardere videretur, debuit esse totus in igne, ergo Deus qui è medio Rubi ardentis apparuit Moyfi, fuit aliquod tertium distinctum à Rubo & igne: quod etiam observavit Philo in hunc locum, dum ait: *E medio Rubi promicabat forma quædam pulcherrima nulli visibili similis, Divinum planè simulachrum luce fulgens clarissimâ, ut Moyfes suspicari posset Dei esse imaginem.*

XXI. Nec in eo quidquam absurdum, ut prætenditur ab Authoribus primæ sententiæ, quod enim aiunt non in aliâ formâ quàm in igne & Rubo Deum tunc apparuisse, ne Hebræi in Idola proclives, ejus sibi idolum effingerent. Ridiculum est primò, quia hæc visio non apparuit Hebræis qui proni erant in Idola, sed Moyfi tantùm, qui non minùs firmus fuit quàm alii Prophetæ, quibus etiam sub humanâ specie Deus sæpè apparuit. Secundò, quia nec illis Moyfes expressit similitudinem in quâ sibi Deus tunc apparuit, quod tamen fecerunt alii Prophetæ. Tertio, quia æquale periculum erat ne Hebræi ignem pro Deo haberent. De cætero cum tunc Moyfi patefaceret Deus sub illo typo Mysterium Inarnationis, ve-

risimile est quod tunc illi Deus sub eâ formâ quam sumpturus erat apparuerit.

His positis duplex est Responsio ad hoc secundum quæsitum: prima est eorum qui duo tantùm distinguunt in hac visione, qui sic rem explicant, ut primò per Rubum intelligatur Virgo: & quidem quoad hoc optimè, nam Rubus ob pungentes spinas non est facile tangibilis: sic & illa quæ virgo est, & vult esse virgo, tangi se non permittit. Secundò, ut per ignem Rubi intelligatur Deus, ex illo Deuteron. cap. 2. vers. 4. *Deus tuus ignis consumens est.* Unde, inquit hi, ignis in Rubo incombustus, est Deus in Virgine conceptus, illasâ ejus virginitate: ut enim Rubus ille concepit ignem & Rubi formam servavit, ita Virgo Christum Deum concepit, & virginitatem non amisit. Hinc Ecclesia in die Circumcisionis, *Rubum quem viderat Moyfes incombustum conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem Dei genitrix.*

Sed hæc explicatio non placet. Primò, quia non adæquat totam visionem Moyfi exhibitam, imò ab ea dissonare videtur, non enim ignis Rubi representabat Deum, ut diximus, quia Deus apparuit in medio Rubi; Rubus verò è contra erat in medio ignis, qui eam ambiabat: Deinde quia Deus, ex textu allegato Deuteronomii, est ignis consumens, sed ignis hic Rubi non erat consumens. *Vidit enim Moyfes quod Rubus arderet, & non combureretur,* non ergo Deus ille ignis Rubi. Secundò, quia non adæquat totum illud quod est observandum & admirandum in Virginitate Mariæ: non enim tantùm Virgo ex hoc admirabilis quod illasâ concepit, sed etiam ex hoc quod nupta Virgo permanferit: & in hoc vitimò maximè Rubus ardens & non comburens.


Dico ergo, nec puto à sensatis rejiciendum, visionem illam distinctè id exhibere quod à nobis est hic pro thesi propositum. Rubus ergo significat Virginem propter rationem hic num. 22. allatam, in cujus medio Deus id est Christus in ejus utero conceptus: Rubus verò ille in medio ignis manens incombustus, significat virginitatem

eius in conjugio illasam, ubi aliàs confumi solet: quemadmodum ergo nec Rubus igni contiguus ignem in se recipit, nec ignis virentia Rubi sibi proximè contigui folia aduffit, vel deficcavit; ita Beata Virgo Deipara licet viro conjuncta, nec flammam libidinis ipsa concepit, nec D. Iosephus licet Virgini conjunctus vel minimùm pudoris ejus florem afflavit, quod non minus miraculum est, quam Rubum in medio ignis ambientis mansisse incombuftum.

XXV. Accedit ad hanc explicationem Ecclesia, quid enim in illà Antiphonà ejus in die Circumcisionis supra num. 22. allatà vult illud participium *conservatam agnovimus tuam virginitatem*, nisi quod ejus virginitas, cā in occasione, in quā aliàs naufragium facit, evaserit? virginitas autem etfi foeta, si de Deo sit & in umbra Spiritus sancti, non solet immò non potest naufragium facere, facit autem in conjugio & consortio viri etiam sine prole.

CAPUT VIII.

Gloria Sancti Iosephi ex ipsius in hac sacrâ Conjugali continentia sequacibus.

I.  UOD in Picturis usu venire videmus, quod scilicet eximia quædam (quas artis specimen vocant) quæ pluries ante delineatæ fuerunt, ut hâc ratione excellentiores evaderent, politâ tandem periti Pictoris manu perfectæ & publico conspectui expositæ, aliarum postea fiant ipsæ exemplaria copiarum, artificium quod in prioribus elucet certatim imitari conantibus eis, qui illud agnoscunt & mirantur: id ipsum omninò in hoc sacro & virgineo D. Iosephi cum Deiparâ Mariâ Conjugio animadvertere licet: Nam & illud plures præcesserunt typi, umbræ, figuræ, delineationes, quemadmodum capite præcedenti demonstravimus: & illud ipsum postea plurimi ejus pulchritudine & excellentiâ capti, tanquam perfectissimi exemplar conjugii admi-

rantes, imitari conati sunt.

Quâ in re ut D. Iosephus factò suo prevenit Apostoli doctrinâ primæ Corinth. cap. 7. dicentis: *Reliquum est ut & qui habent uxores tanquam non habentes sint*, ita hæc ex illo, quantum quidem arbitror, manavit: saltem quis dicat quantum hæc ex illo firmitatis accipiat & roboris?

Quid enim est illud, *Reliquum est ut & qui habent uxores tanquam non habentes sint*? nisi ut habentes uxores, ita cum uxoribus suis vivant ac si omninò illas non haberent? Quid verò illud est nisi conjugati ab ipso usu matrimonii abstineant? ita communiter locum illum interpretantur SS. Patres & Doctores, faveatque multum illa cōjunctio *Et ibi reliquum est ut & qui habent uxores, &c.* quæ additionem significat sequentium ad antecedentia & facit hunc sensum. Post continentiam quam viduis consului, post virginitatem quam non nuptis suasi: Reliquum est, idest nihil restat dicendum de castitate seu continentia, nisi ut & ipsi conjuges (quibus prius matrimonii usum indulsi, non præcepti) etiam castitatem integram & ipsi colant, ut habentes uxores, sint tanquam si non haberent.

Ex quo Sancti Patres & Doctores Orthodoxi, non licitam solummodò confirmant sanctam conjugatorum ex mutuo consensu continentiam, sed etiam commendant, sub regulis tamen prudentiæ & discretionis, si accedat Dei fortis instinctus. Ita inter alios D. Augustinus lib. 1. de term. Domini in Monte c. 25. *Beatiora sanè, inquit, conjugia judicanda sunt quæ sive filii procreatis, sive etiam ipsa terrenâ prole cōsumpta, continentiam inter se pari consensu servare potuerint, quia neque contra illud præceptum fit, quo Dominus dimitti conjugem vetat: non enim dimittit, qui cum illa non carnaliter, sed spiritualiter vivit; & illud servatur quod per Apostolum dicitur, Reliquum est ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint.* Vide eundem D. Augustinum epist. 45. quæ est ad Armentarium & Paulinam epist. 199. ad Ediciam, lib. 1. contra Julian. cap. 21. & alibi passim. Tertullianum lib. 1. ad uxorem cap. 6. D. Basilium Magnum in

in quæstion. fusè explicatis quæst. 12. D. Hieronymum lib. 1. contra Iovinian. & in Apolog. pro lib. adversus Julian. sub finem, & epist. 14. quæ est ad Celantiam, D. Gregorium Magnum lib. 9. Epistol. epist. 39. D. Damascenum lib. 4. de Fid. Orthod. cap. 25. Theodoretum in istum Pauli locum: quæ omnia & alia non pauca, quæ hic congerere possemus, quamvis conjugalem hanc continentiam, sive conjugatorum à matrimonio ulu ex mutuo consensu constantem abstinentiam, quam spurci damnant Heretodoxi, quam quidam nimis carnales rident Catholici, quam mirantur devoti, quam sectantur casti, quam omninò amplectuntur Sancti quàm plurimi, eximè commendent, quid illa tamen si conferantur cum exemplo D. Josephi cum Deiparâ Mariâ Coniuge suâ? Quare idem D. Augustinus lib. 2. de Consensu Evangelist. cap. 1. Virgineum hoc Sancti Josephi cum eadem Deiparâ Coniugium in exemplum producens, sic ait: *Hoc exemplo magnifice insinuat fidelibus Coniugatis, etiam servatâ pari consensu continentia posse permanere coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.*

V. Itaque Apostolus loco citat. & D. Josephus ac Deipara suo exemplo non tantum non nupras ad virgineam hortantur continentiam, sed etiam perfectionem virginitatis, Christianæ Religionis primarium decus, ad usque conjugatorum satagunt introducere thalamum, ut & ibi stupente mundo, stridente diabolo trophea erigar inusitata virtutis ad laudem D. Josephi & Virginis, qui in eâ primi fuerunt, & Dei nostri gloriam.

VI. Verum non eam tantum conjugum continentiam exemplo suo Divus commendat Josephus, sed & ab illâ ipse vehementer commendatur, laudemque percipit & gloriam non ultimam. Quorsum enim illud Matthæi cap. 1. vers. 25. de illo. *Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum:* hoc est ut alias ostendimus, neque ante, atque adeò neque post partum, per cõsequens nunquam: Certè non eò tantum hoc tam specialiter observatū esse arbitrandū est, ut non de alio quam

de Spiritu Sancto purissima Christi Conceptio facta significetur, verum etiam ut ista ejus cum Coniuge suâ continentia, & in exemplum futuris proponatur conjugibus, & in argumentum summa Sanctitatis, à quâ ipse commendetur nobis.

VII. Et porro commendatur ex eo & elevatur non modicum: Cum enim ex recepto Philosophorum placito, Primum in uno quoque genere sit Regula & mensura cæterorum: idque ita verum sit etiam ex Scripturâ, ut primi in aliquo, sequentium in eo Patres vocari soleant: Sic enim v. c. Genes. cap. 4. vers. 24. & 25. Jabel dicitur Pater habitantium in tentoriis, & frater ejus Jubal Pater canentium citharâ, eo quod in illis primi fuerunt. Cum D. Josephus cum Mariâ in hoc genere primi fuerint, nonne quotquot Sanctiores Coniuges post illos, non castè tantum in Coniugio juxta Sacrosanctas inviolabilis thori leges vixerunt, sed etiam ipsam in eo continentiam & castitatem servantes, propius eos imitati sunt, seu etiamnum imitantur, tot ad hujus gloriæ suæ & coronæ (quæ illorum propria est) cumululum, ornamenta accedunt?

VIII. Nec illos admodum paucos fuisse, etsi hoc corruptissimo sæculo ratiores sint, constat, Primò ex gravissimo Tertulliano, qui abhinc circum mille quingentis annis in visis esse desit, lib. priorè ad uxorem cap. 6. hæc scribit. *Quot sunt qui statim à lavacro carnem suam obsignant? Quot item qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt? voluntariis spadonibus pro cupiditate celestis, salvo matrimonio, abstinentiâ toleratur, quanto magis adempto? scilicet matrimonio.* Ibi enim exhortatur uxorem ut post mortem suam in continentia vivat.

IX. Secundò ex D. Augustino annis à Tertulliano amplius ducentis tomo 10. serm. 63. de diversis cap. 13. in init. *Et multos, inquit, novimus fratres nostros fructificantes in gratia in nomine Christi, ex consensu ab invicem continere concupiscentiam carnis, non autem continere ab invicem charitatem conjugalem. Quando illa reprimatur, tanto ista fortius confirmatur. Nonne sunt conjuges qui sic vivunt.*

non querentes ab invicem fructum carnis? non exigentes ab invicem debitum carnalis concupiscentia?

X.

Tertio ex D. Gregorio Magno annis plus centum post Augustinum lib. 9. Epistol. epist. 39. *Per se veritas dicit, quod Deus conjunxit homo non separet: que etiam ait non licet dimittere uxorem excepta causa fornicationis. Quis ergo huic celesti Legislatori contradicat? Scimus quia scriptum est, erunt duo in carne una: si ergo vir & uxor una caro sunt, & religionis causa vir dimittit uxorem, vel mulier vivum in hoc mundo remanentem, vel etiam ad illicita vota migrantem, que est ista migratio vel conversio, in qua una eadem caro, & ex parte transit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione? Tum deinde subdit. Si vero utriusque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare: quando certum est quod Omnipotens Deus, qui minora concessit, majora non prohibuit? Et quidem multos Sanctorum novimus cum suis conjugibus & prius continentem vitam duxisse, & postmodum ad sancta Ecclesia regimina migrasse.*

X I.

Quarto his quoque accenseo illos de quibus D. Cyprianus Martyr, vel alius quicumque, sed perantiquus Author, lib. de singulari Cleric. ubi sic ille. *Ahuc habeo quid mirari, cum videam de Christianis plerosque maritos pariter & uxores continentiam destinantes, domicilia singularia eligere, ut consensu communium votorum sine irritatione presentia, & concordante secessu valeant obtinere. Quorum virtutem ita ibidem paulo post prosequitur & extollit. Grande miraculum, ut virginum charitas conjuges faciat virgines estimari. Ecce vera dilectio, que in conjugalitate dividit, ut in castitate conjungat: Ecce sancta dilectio, que conjugatibus ad communem laudem inducit absentiam. Hi pro certo sese inseparabiliter diligunt, qui, ut triumphos sibi inferant, a seipsis discedunt, quibus nec crimen, nec natura, nec Dominus, nec Apostolus, potestatem unius interdixit aut tulit, sed pro tuendis paribus votis semota unanimitate absentari charitas permisit.*

X II.

Sed quamvis ex his, & aliis similibus Patrum testimoniis, evidenter constet plures & sine numero fuisse hujus

vix viros ac mulieres in Ecclesia, quorum nomina, licet terris ignota, libro vitæ in Cælis adscripta sunt; injuriam tamen & huic sacrae multitudini, & D. Josepho, ejusque Conjugi illorum primiceriis & antesignanis, facturum me crederem, si materiam hanc pertractans non illorum illustriores aliquot ex omni statu & ordine; etiam quod mirere, Principum, Regum, Imperatorum adnecterem, cum hinc melius appareat, quantum fuerit D. Josephi & Deiparæ Mariæ exemplum, quod etiam in re tam difficili & in tales personas vim suam exerere poterit: Illinc verò tantorum Præcursum exemplo alii accendi possint, ut eorum gloriosa vestigia sequentes, eorum etiam gaudium augeant & numerum, ac Mariæ & D. Josephi omnium Coriphæorum gloriam.

Illud tamen Lectorem monitum velim, malè inter hos à nonnullis annumerari plures, qui ante consummatum matrimonium mudo æternum valedicentes, Religionem ingressi sunt, quorum numerus vix iniri potest: nam sicut matrimonium post carnalem copulam solvitur per mortem carnalem, ita ante carnalem copulam, quando vinculum adhuc est merè spirituale, matrimonium dissolvitur per mortem spirituale, qualis est professio Religiosa, quæ mundo moritur ut soli Deo vivat: ita D. Thomas in supplem. quæst. 6. art. 2.

Nec obstat quod Matthæi cap. 19. dicitur: *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Nam ut benè advertit subtilis Scotus in 4. distinct. 31. tunc non homo solvit, sed Deus, qui istud concessit fidelium matrimonio non consummato, vel potius sibi ipsi istam preferentiam reservavit, sicut habemus ex Apostolica traditione, secundum quam Sanctam Teclam virginem & Martyrem, à Sancto Paulo Apostolo ante matrimonii consummationem à nuptiis retractam fuisse legimus apud D. Epiphanium hæref. 78. & D. Ambrosium lib. 2. de Virginit. Idemque constat de Gregoriâ Virgine apud D. Gregorium Magnum Dialog. 3. cap. 14. quæ nuptiis constitutis, ad Ecclesiam confugit, & sanctimonialis fieri petiit &

& impetravit: de Sancto quoque Leobardo apud Divum Gregorium Turonensem, qui matrimonium cum honestâ puellâ inquit dimisit; in vitisque parentibus Monachus effectus est, & infirmitati alii. Quare juxta doctrinam Divi Thomæ loco citato ad secundum, ante carnalem copulam non est omnino & absolute translatus corpus unius in potestatem alterius, sed tantum sub conditione, nisi alter interea ad meliorem frugem conversus se Deo tradere maluerit: completur ergo tantum dicta translatio per carnalem copulam, quia tunc intrat uterque in corporalem possessionem sibi traditæ potestatis. Idcirco Concil. Tridentinum Sess. 24. quæ est de matrim. can. 6. ait: *Si quis dixerit matrimonium ratum & non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi anathema sit.* Quare cum horum conjugatorum matrimonium dissolutum sit, & quoad thorum, & quoad vinculum, per ingressum in Religionem secuta professione, constat consequenter hoc prioribus minimè esse accensendos.

SECTIO PRIMA.

Principes, Reges, Imperatores, qui in Conjugio cum uxoribus continentiam servaverunt.

XV. QUAM mira res sit vir cum muliere, maritus cum uxore familiariter convivens, & tamen mundè & castè, cum eo igne qui in membris nostris, qui in carne nostrâ ardet, cum naturali illâ inclinatione, quæ in homine est, seipsum in filiis reproducendi & conservandi, satis per se patet, & colligitur ex illo Proverb. cap. 6. versu 27. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur planta ejus, sic qui ingreditur ad mulierem, non erit mundus.* Syrus vertit, *Sic qui ingreditur ad mulierem, & illi propè sit.* Ex quâ versione manifestè patet, verbum illud sic qui

ingreditur, non de congressu intelligi, sed de conversatione familiari.

Quam apta hæc Sapientissimi comparatio Salomonis mulieris cum igne? Enim verò nomen Hæbreum significans mulierem, quod est *isecha*, est à radice *esch* quod significat ignem: quia reverà mulier est ignis carnis, vel caro ignea, ut proinde non minus difficile videatur aliquem mulieri prope fieri, præcipue si id diu duret, & non uri, quàm igni vestem admovei, & eam ab illo saltem non ustulari.

Quod si res ita habet, ut verè ita habet cum alienâ muliere, quale miraculum erit eundem hominum cum propriâ uxore, quàm impensius amat, in eadem domo diu noctuque manere, convivere, convivari, eam continuo, præ oculis habere, cum eâ colloqui, tractare, agere, &c. & non pollui? sed quid in Principibus, in quibus ignem illum, qui in omnibus ardet, augent otium, deliciæ, diverticula, omnium sensuum blandimenta, & irritamenta, & desiderium posteritatis omnibus tam naturale, quod in immensum accendunt divitiæ, potentia, gloria, fama, & Parasitorum, quibus Aula Principum scatent, adulamenta? quæ quidem gratiæ prodigia, ex Divi Josephi & Sanctissimæ Conjugis ejus, Regni Davidici Hæredum legitimorum exemplo à victrice tamen Christi gratiâ videmus.

Primò, in Imperatoribus, Marciano & Pulcheriâ Augustâ. Theodosii Imperatoris Sorore, & Hærede, de quibus ita ex Cedreno & alijs Cardinalis Baronius tomo 6. Annalium ad annum Christi 450. Defuncto Theodosio Imperatore improle voluntate Sanctæ Pulcheriæ, ex Senatus consulto delatum est Imperium Marciano. Quod enim nullum exemplum præcesserat, ut Augusta sola habenas moderaretur Imperii, & ipsa Deo Virginitatem vovisset, jamque ætate grandior esset, ut potè quæ ageret annos quinquaginta & unum, nata sub Consulatu Theodori & Eutropii, salubre illud consilium iniit, ut Conjugii titulo virum evcheret in Imperium ætate maturum, consilio gravem, continentia probatum, atque militari virtute ubique spectatum: haud immemor exemplum

„ exemplum facti hujus dignissimi in di-
 „ vinis Scripturis haberi litteris commen-
 „ datum, cum Sanctissima Virgo Deipa-
 „ ra ita fuit matrimonii legibus juncta
 „ conjugi, ut nunquam destiterit esse
 „ Virgo. Hoc igitur tam nobile exem-
 „ plum facere edocuit, quod necessitas
 „ exegit temporis, & virtus hominis per-
 „ suaſit. Hæc Baronius citatus.

XIX. In Sancto Henrico, è Duce Bavariz
 itidem Imperatore cum Sancta Cune-
 gunde Augustâ, de quo hæc Aubertus
 „ Miræus in Chronico Belgico ad an-
 „ num 1002. vixit annos 52. & anno 1024.
 „ vivere desiit, conditus Bambergæ, ab
 „ Eugenio III. in Cathalogo Sanctorum
 „ anno 1152. collocatus: vitam ejus scrip-
 „ sit Aldeboldus Episcopus Ultraje-
 „ gundis Sigisfridi I. Comitis Luxem-
 „ burgensis filia, quæ in Consortem
 „ Regni ut Conjux à Sancto Henrico ad-
 „ scita, mox de tuendâ Virginitate, usu-
 „ que thori abstinendo ad exemplum
 „ Virginis Matris cum Iosepho, & Pul-
 „ cheriæ Augustæ cum Marciano in om-
 „ nem vitam convenit, &c. Addit Alber-
 „ tus Crantzius lib. 4. cap. 5. *Metropoleos*,
 quod Cune Gundis, ut integritatem
 suam apud Maritum diaboli invidiâ in
 suspitionem adductam, inviolatam pro-
 barêt, divinâ voce & instinctu exteriùs
 & interiùs animata, conditione oblatâ,
 & à Marito acceptatâ, super clathrum,
 seu longurium ferrum candens ad quin-
 decim passus nudis pedibus illæsa in-
 cesserit: quo miraculo commotus San-
 ctus Imperator, & reatus penitentiam
 egit, & non aliter deinceps Cune Gun-
 dem aspexit, quàm ut columbam castif-
 simam, à Deo unguibus dæmonum
 creptam. Qui in extremis positus, ut
 refert Leo Ostiensis lib. 2. cap. 47.
 Episcopis & Abbatibus præsentibus
 illam reddens propinquis dixit: *Acci-
 pite Cune Gundem, virginem eam mihi tra-
 didistis, & virginem reddo.*

XX. His meritò accenséo Conradum
 Romanorum Regem inauguratum
 Henrici IV. Imperatoris turbulētissimi
 pientissimum filium, Imperio dignissi-
 mum, eoquē infallibiliter cohonestan-
 dum, nisi mors invida eum à terreno
 Imperio ad cæleste & æternum immat-
 urè transtulisset. Hic vivente Patre,

cui propter mores pessimos, factus est
 infestus (fuit enim Pater inter cætera
 Schismaticus, & Schismatis Author)
 ab eo recedens, & per qualdam Italiae
 partes ingrediens, nomen Regis & dig-
 nitatem fere novem annis obtinuit,
 per omnia Catholicus, & Apostolica
 Sedi subjectissimus, plus Religioni
 quàm falcibus aut armis deditus, forti-
 tudine tamen satis & super instructus,
 lectioni plusquam lusibus vacans, mis-
 ris & præcipuè militibus inopiâ pressis
 largus, omnibus affabilis, & neminem
 contemnens, indeque non immeritò
 Deo & hominibus charus: qui licet Pa-
 trem haberet infestum, nihilominus
 tamen eum ita honorabat, ut murmur,
 quod per totum Imperium mores cau-
 saverant Paris, atque causam suæ
 iustæ ab eo defectionis dederant, auz-
 bus propriis nunquam passus sit inferri,
 semper illum Dominum & Imperato-
 rem suum nominans, universos etiam
 à Curiâ Patris adventantes, appellatio-
 ne Conservorum licet infimos, sociali
 benevolentâ tractabat: sed inter istas,
 & alias ejus virtutes, morumque com-
 positionem, castitate præcipuè enituit:
 nam Coelibatum perpetuò servasset,
 sed coactus à suis, quibus ob infesta-
 tionem paternam contradicere non po-
 terat, uxorem duxit filiam Rogerii Du-
 cis Siciliae. Ita Nauclerus in Chronico
 tomo 2. à nato Christo Generat. 17.
 Et hæc fuit Mathildis nobilissima, item
 religiosissima Heroïna, cum quâ Virgi-
 nitatem illibatam perpetuò servavit,
 teste Cornel. à Lapide in 1. ad Corinthi.
 cap. 7. vers. 6.

Secundò in Regibus Boleslao Polo-
 niæ Rege cui cognomen *Pudicus*, quem
 titulum non sine causâ obtinuit: Serva-
 vit enim raro exemplo illibatam Vir-
 ginitatis florem etiam in matrimonio
 cum aliâ Cune gunde, Belæ IV. Hun-
 garorum Regis filiâ, moribus specta-
 tissimâ. De quo proptereâ Clemens Ja-
 nitiuss Polonus ira pangebatur.

*Conjuge consensit cum Virgine Virgo
 Maritus.*

In Sanctâ Osthâ Reginâ, de quâ
 Cardinalis Baronius ad annum Christi
 603. ait, quod fuerit Filia Frituvaldi
 Regis in Araglia & Wilteburgæ Filiz
 Pendæ Regis Merciorum, educata à
 Sanctâ

Sanctâ Maduvenâ Abbatisâ in Monasterio: inde contra votum tradita nuptui Regi Orientalium Saxonum: à quo intacta servata, tandem licentiam accepit Monasterium ingrediendi. Vide Surium die 7. Octobris.

- XXIII. In sanctâ Eldridâ, sive Ediltrude, de quâ ita Venerab. Beda lib. 4. Histor. cap. 19. *Accepit autem Rex Ecgfridus conjugem nomine Eldridam filiam Annæ Regis Orientalium Anglorum (cujus sepius mentionem fecimus) viri bene Religiosi, ac per omnia mente & opere egregii: quam & alter ante illum vir habuerat uxorem, Princeps videlicet Orientalium Cirviorum vocabulo Tombert: Sed illo post modicum temporis ex quo eam accepit defuncto, data est Regi prefato cujus consortio cum uteretur duodecim annis perpetuâ tamen mansit virginittatis integritate gloriosa, sicut mihi metipso sciscitanti (cum hoc an ita esset quibusdam venisset in dubium) beata memoria Wilfridus Episcopus referebat, dicens se testem virginittatis ejus esse certissimum, adeo ut Ecgfridus promiserit se ei terras ac pecunias multas esse daturum, si Regina possit persuadere ejus uti connubio, quia sciebat illam nullum virorum plus illo diligere: nec diffidendum est nostrâ atate fieri potuisse, quod ævo precedente aliquoties factum fideles historie narrant, donante uno eodemq; Domino, qui se nobiscum usque in finem sæculi manere polliceretur, nam etiam signum divini miraculi, quo ejusdem femine sepulta caro corrupti non potuit, indicio est, quod à virili contactu incorrupta perduraverit, &c. Ita Beda citatus.*

- XXIV. In Sancto Eduardo Angliæ Rege cum Edithâ Sanctâ uxore, cum quâ ad senectutem usque virgo permanens, multis claruit miraculis: cujus propterea corpus post annos centum ab ipsius morte, adeo integrum inventum est, & incorruptum, ut ne barba quidem illi proluxa fuerat cana, decidisset.
- XXV. In Alphonso II. Castellæ & Arragoniæ Rege vulgò *Casto*, qui hanc Apostoli sententiam 1. Corinth. c. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere* ad se pertinere putavit: Quare ipsâ primâ nuptiarum suarum nocte, cum uxori suæ accubaret, tot & tantis de puritate & virginittate peroravit, ut

conjugem suam sui propositi habuerit consortem, ab indeque miraculis claruerit. Volaterran. lib. 2. & alii. Hic Hispanias à Mauris liberavit, quibus Hispani infame tributum centum virginum partim nobilium, partim plebeiarum quot annis pendebant, quod propter eminentiam virginittatis videtur à Deo meruisse & accepisse, & simul Virginum Salvator dici.

In Sancto Emerico Sancti Stephani **XXVI.** Hungarorum Regis filio, qui & ipse habuit quidem uxorem, ut Patri mortem gereret, sed eam nunquam attigit; cum eâ quasi cum sorore vivens servatâ, o verè Evangelicū Eunuchum! pudicitia integritate: ob quam meritis quantum apud Deum prævaleat, testatur illud inter alia ejus miracula insigne, quod in Conrado Germanico, regnante jam Ladislao, contigit: hic Conradus fuit perditissime vitæ Princeps à quâ tamen Deo misere resipuit. Hic ergo suorum enormitate scelerum commotus, Romam cogitavit, ubi ad summi pedes Pontificis provolutus, & totus in lachrymas effusus, exomologesim facit, ad omnem paratus expiationem: Confitentem audit & miratur Pontifex, atque scelerum ejus immanitate attonitus, primò jubet ut peccata sua in charta delcribat: tum deinde lorica ferreâ carnem nudam supervestiat, quam ita ferreis clavis ad ejus corpus compingi jubet, ut illâ nullatenus ipse se extuere possit, atque in eo statu peregrinati, & loca in quibus præcipuorum venerabatur Reliquiæ Sanctorum invisere præcipit tamdiu, donec ejus compunctione & pœnitentiâ placatus Deus, in signum obtentæ veniæ, & scriptura deleta appareat, & lorica sine hominis manu dissolveretur. Jussis paret Conradus intimo suorum horrore correptus scelerum, loca sancta Jerosolymis adit, ibique flet, vigilat, orat, misericordiam deprecatur: inde per Pannoniam transiens ad Sepulchrum Sancti Stephani Regis, qui primus gentem illam ad fidem Christi convertit, prosternitur, cum proposito non inde recedendi nisi signo misericordiæ accepto: dumque hæc agit, atque in oratione diem integrum à summo mane usque ad ipsam

E c noctem

noctem perseverat, fatigatus tandem ibidem obdormit, & ecce sopito sistit se exoratus Stephanus, qui eum bono animo esse jubet, filium suum Emericum ibi prope in eadem Basilicâ jacere, per quem ob singularia ejus merita, raram maximè virginitatem illam, id quod tantis tamque ardentibus votis expetebat, certò obtinebit, illum fide plenus adeat: Dictum, factum: ad sancti corpus Emerici advolvitur lorica Contadus, orat, lachrymatur, veniam expetitam impetrat, scriptura dispungitur, clavi dissiliunt, lorica dissolvitur, & gaudium spirituali perfusus Reus justificatus, gratias Deo agit & Sancto Emerico hospitori suo. Pro his vide Ribadineiram in vitâ Sancti Emerici 5. Novembris & ab eo citatos. Quæ si potuit Sanctus Emericus maximè ob virginitatem illam, vide quid non poterit Divus Josephus, qui eam primus super omnes eminuit.

XXVII. Hunc porrò præcedentibus accensio Regibus, tum quod esset filius unicus Sancti Regis Stephani, atque adeò eo ipso Paterni Regni heres necessarius ac præsumptivus; tum quod licet Martinus Polonus ejusdem Emerici obitum ponat anno Domini 1032. Chromerus tamen illum assignat anno 1036. vide Cardinalem Baronium in annotar. ad Martyrologiû pridie nonas Novemb. in Emerico: atque adeò obitus ejus contigit duobus annis & amplius post obitum Patris qui fuit 18. Kalend. Septemb. anno 1034. juxta eundem Baronium ibidè ad 20. Augusti & alios ab eo ibidem citatos proindeque duobus illis annis, quibus Patrem supervixit, regnavit.

XXVIII. Tertio, in Principibus & Dynastis: Olympiade juniore filiâ Anisi II. Comitissæ & Olympiadis, ac neptis Ablavii Præfecti. Nam ex Ammonio lib. 20. apud Baronium tom. 4. Annal. ad annum Christi 388, Ablavio fuit filia hæc Olympias senior, quæ desponsata fuit Constanti Augusto, eo autem occiso nupti tradita est Arsaci Armeniæ Regi, quo iterum ipso exordio Imperii Valentis à Persarum Rege dolosè necato, iterum nupta fuit Aniso II. ex quo genuit hanc, de quâ hîc nobis est sermo Olympiadem juniorem, quæ titulo sanctitatis in pu-

blicis tabulis, & Ecclesiasticis dyptichis ram apud Latinos quàm Græcos notata reperitur: apud illos quidem 16. Kalend. Januarii: apud Græcos autem VIII. Kalend. Augusti: de quâ hi ita in suo Menologio. *Vixit hæc sub Imperatore Theodosio, Arcadio & Honorio filiis, Anisi II. Comitissæ filia neptis Ablavii Præfecti, desponsata Nebridio, cum quo paulum temporis vixit antequam cum eo copulâ jungeretur, sicq; virgo simul & virginitas permansit.* Palladius ait viginti menses cum viro suo vixisse. Vide pro his Pallad. in hist. Lausiaca c. 43. & Dialogo de vitâ sancti Chrysostrami, & Baronium citatum.

In Sancto Arnolde sive Arnulpho cum Stambergha Clodovei Francorum Regis Christianissimi nepte apud Patrem Joânem Cordier è Societate Jesu, libro cui titulus est Gallicè, *La famille Sainte*, part. 1. c. 2. §. 2. pag. mihi 43.

In Sanctâ Pharaïde filiâ Theodorici Lotharingæ Ducis & Sactæ Amelbergæ Sororis Pipini Principis, quæ à Beatâ Gertrude cognatâ suâ de sacro Fonte suscepta, ac in litteris & moribus instructa pietatem à teneris annis egregiè coluit, cumq; impedire non posset quin à Parètib; nupti traderetur, per omne tamen conjugii tempus illibatam custodivit virginitatè. Ita Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad 4. Januarii.

In Mathilde illâ famosissimâ, quæ varia Tusciæ & Liguriæ Oppida Romanæ legavit Ecclesiæ: quæ primò nupsit Godefrido cognomine Giboso, Lotharingiæ inferioris & Bullionii Duci, ac eo mortuo suâ Urbani Papæ Welphoni Welphonis Bajaoriæ Ducis Filio. Vide Baron. ad annum Christi 1089. ubi asserit hanc continentiam servasse cum secundo Marito; Aubertus verò Miræus cum utroque in Chronico Belgii, ubi de Ducibus Beneficiariis Lotharingiæ.

In Petro Urceolo magno Reipublicæ Venetæ Duce apud Volaterranum lib. 4. qui cum uxore ex consensu continenter vivens miraculis claruit.

In Sanctâ Catharinâ Succicâ sanctæ Brigittæ & Ulphonis Nericiæ Principis Filiâ, quæ volente Patre nupsit Eghardo, sed ita nupsit ut ipsum quoque sponsum Eghardum ad nuncupandum castitatis

Castitatis votum adduxerit. Surius ad 24. Martii & alii.
 XXXIV. Tandem in Beatâ Franciscâ d'Amboise cum Petro II. Armoricorum Duce qui vulgò *Boni Duces* nuncupati, & anno 1450. Duces coronati sunt. Quorum hic moriens Franciscam virginittatis integritatem servasse testatus est: quæ post Ducis Viri sui obitum Fundatrix extitit Monialium nostri Ordinis in Armoricâ, ad vocatis ex Territorio Leodiensi, Leodio scilicet & Dionanto (undè Oppido à Carolo Audace Duce Burgundo vastato nostræ Moniales Huum venerunt) novem Monialibus à Beato Patre Joanne So-reth nostri Ordinis tunc Generali: quibus & ipsa spretis mundi pompis ag-gregari voluit emissâ solemnî profes-sione inter manus ejusdem Beati Patris anno Salutis 1467. ipso Annunciatae Virginis die. Vide Albertum Le Grand ex Ordine Sancti Dominici in ejus vitâ, Patrem nostrum Lezana tomo 4. An-nal. Ordin. nostri ad annum Christi 1427. Et nostrum Leonem à S. Joanne Christianissimi Regis Ludovici XIV. Ecclesiastem ordinarium in Delineat. Observant. Rhedonen. cap. 7. & lib. Vitæ B. Franciscæ d'Amboise.

SECTIO II.

Nobiles qui eodem modo in Conjugio castè vixerunt.

XXXV. IN illis ab omnibus recensentur Sancta Cecilia cum Sancto Valeriano, ut meritò illius, idest Sanctæ Cecilie corpus sub Clemente VIII. post tot anno-rum centurias illæsum & integrum re-per-tum sit. Sanctus Chrylanthus cum Dariâ. Sanctus Alexius cum Sponsâ suâ illis septemdecim annis quibus post peregrinationem in domo paternâ re-ceptus est, & vixit sub vili habitu, & uxorem ibidem à tempore nuptiarum perseverantem habens sub conspectu.
 XXXVI. Quibus addo Sanctum Julianum cum Basilissâ, de quibus ita Surius to-mo 1. 9. Januarii. Urgebatur Julianus à Parentibus uxorem ducere, sed Deo se, virginittatemque suam dum com-mendat, monetur ab Angelo acquies-

cere Parentum voluntati, nacturum se conjugem, cum quâ Virgo persevera-ret. Peragitur ergò nuptialis festivitas. in thalamum Julianus cum Sponsâ in-troducitur: Mox verò rosarum, lilio-rum odor, locum perfundit hyemis licet tempore: miratur Sponsa, & in-quirit undè tanta flagrantia? Respon-det Julianus odorem esse munditici virginalis, hortaturque ut florem hunc Deo acceptissimum velit secum servare illibatum. Illa hâc cœlesti suavitate cap-ta consentit. Cum itaque castitatem vovissent subitò cubiculum lux per-fudit. Hinc Christus cum Sanctorum Choro, illinc Maria cum Virginibus ortus exindè est cantus ex parte San-ctorum, *Vicisti Juliane, vicisti: Ex cho-ro quoque Virginum, Beata es Basilissa salutaribus montis consentiens.* Datusque est Juliano liber, in quo aureis scriptum litteris: *Julianus pro amore meo mundum contemnens, deputetur in numero eorum qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Basilissa in numero Virginum, quarum Maria tenet Principatum.* Responde-runtque Chori Amen. Tunc duo Ange-li duas coronas afferentes dextras junxere & in proposito confirmavere.

Sanctus Aurelius Martyr cum uxore sua, de quo ita Eulogius Præbyter, in ejus vitâ cap. 4. & 5. Quamobrem, inquit Aurelius ad Conjugem, primò omnium munditiæ & castitati studen-tes vacemus orationi, quo facilius ad reliqua Sanctitatis opera properemus. Fiat dehinc Soror quæ hactenus Con-jux fuit, & spretâ conglutinatione cor-porum cœnosâ, noverit mens præstan-tior, spretò carnis oblectamento perpe-tuæ incolumitatis producere germina, si quo modo digni reddantur Martyrii præmio. Suscipit lætantibus animis Mulier pium Viri consilium, gaudens. que multis modis in tam subitâ inspe-ratæ salutis oblatione: Hæc sunt in-quit, quæ semper optabam audire, vi-delicet ut carne morientes, vivamus spiritu, unum pariter effecti cum illo, sicut scriptum est, *Qui adheret Deo unus spiritus est.*

Frater Sancti Hilarii Episcopi Arela- tensis, de quo hic ita in Epist. ad S. Au-gustinum quæ præponitur libro ejus-dem Augustini de prædestinatione San-ctorum.
 E c 2

inopis
 nabilis
 D.
 Sephi
 SV
 in

Sanctorum. *Sciat sanctitas tua fratrem meum, cujus maxime causa hinc discessimus, cum matrona sua ex consensu perfectam Deo continentiam devovisse: unde rogamus sanctitatem tuam, ut orare digneris, quo hoc ipsum in eis Dominus confirmare & custodire dignetur.*

XXXIX.

De sorore quoque ejusdem Sancti Hilarii Sancta Pinteniola quae fuit nupta viro illustri Sancto Lupo postea Episcopo Trecenti, cujus meminit Sidonius Apollinaris lib. 6. epist. 1. cujus acta habentur apud Surium die 29. Julii: & apud Baronium ad annum Christi 426. num. 22. constat, quod dicata Deo ab utroque de mutuo consensu castitate, continenter simul vixerint per septennium, quo expleto, amore vitae perfectioris, se ab invicem separarunt, ac Sanctus quidem Lupus sub Sancto Honorato Cœnobii Lirinensis Abbate vitam monasticam excoluit, atque inde ad Trecentem Ecclesiam regendam assumptus, mirâ sanctitate effulsit.

XL.

Sanctus Pelagius postea Episcopus Laodicenus apud Theodoretum lib. 4. hist. cap. 13. ubi quod primo die nuptiarum, cum ipse juvenis sponsam duxisset juvenem, atque ut simul voverent continentiam suavisset cum eximie laudat.

XLI.

Presbyter quidam cujus meminit Sophronius in Prato spiritali cap. 108. qui etsi à parentibus uxorem accipere compulsus, non solum illecebrâ captus non est, quamvis juvenis esset, & legitime conjunctus uxori, sed etiam ipsam induxit ut secum castè ac pudicè viveret, & postea Clericus ac Presbyter ordinatus est.

XLVII.

Sanctus Ausbertus filius Siuvini cujusdam viri illustris, cum Sanctâ Angadrisinâ cujus Pater Rotbertus annuli Chlotarii Regis gerulus, qui simul deprecabantur omnipotentem Deum, ut voluptatum venena ab utriusque corde repelleret: Ipsâ præterea Angadrisinâ orando obtinuit, ut speciositas sua in deformitatem verteretur, quod cum divinitus factum Parentes agnovissent, nec Deo contradicere vellent, ex eorum assensu Ausbertus dissociabilem edidit libellum, ut sancta virgo Angadrisinâ non sua sed Domini

Sponsa vocaretur, ipse verò Ausbertus in Clericum atronatus est & obiit Episcopus Rothomagensis. Ita Molanus 14. Octobris ex Angrado & Breviaro Bellovacensi.

Theophanes qui cum ad sponsam nocte nuptiarum ingressus esset, & animi puritatem omni corporeâ voluptati anteponeret, tam pium ac efficacem in thalamo vel doctorem vel collocutorem se præbuit, ut sponsam continentiae suae sociam & fecerit, & retinuerit semper. Ita Canisius lib. 2. de Deip. cap. 11.

Sanctus Elzearius Comes cum Delphina conjuge in urbe Massiliensi: quibus non satis fuit virginitatis virtutem in aliis suspicere, sed & ipsi admirando consilio ducti, quoniam casti ad conjugium accesserant, suae virginitatis florem nulli præterquam Jesu Nazareno offerre, consecrare, servare voluerunt: itaque sacram Aedem adire, suas preces Deo effudere, & post sanctissimum Christi corpus reverenter acceptum, flexis genibus, junctis manibus, erectisque in Coelum luminibus & animis vota in hunc modum præcunte Elzeario discrete fecerunt: Domine Jesu Christe à quo bonum omne & donum proficiscitur, ego peccator fragilis & infirmus, sine tuo speciali dono non possum castè & continentervivere, sed de tuo singulari adjutorio confidens, voveo & promitto tibi, & Sanctissimæ Matri tuæ, atque omnibus Sanctis, toto tempore vitæ meae castè victurum, & virginitatem servaturum, quam huc usque tuâ benignitate in me custodivisti: atque hujus promissionis exequenda causâ, paratus sum quascumque afflictiones & pœnas atque etiam mortem ipsam perpeti. Ita Canisius loco citato, subdens: En tibi singularem professionis formulam, vel à veteribus acceptam, vel sapientissimè quidem excogitam, certè ab omni elatione & præsumptione alienam, sanctæ autem magnanimitatis referentem, ac illis demum pulchrè congruentem, qui Mariam & Joseph imitantes, ex mutuo consensu casti esse & conjuges manere volunt.

Quibus innumeri alii addi possunt, ut Beatus Themistagoras cum Beatâ Timo

Timo in vita Sancti Auxibii, Sanctus Galation cum Sancta Episteme Coniuge, nobilitatis, virginitatis, sanctitatis, & martyrii consorte apud Baronium. Finiamus cum Sancta Melania juniore ex Actis Melanie junioris apud Metaphrastem 31. Januarii & Surium tom. 1. Sanctus Vandrege filus Comes Palatinus sub Dagoberto Rege apud Baronium. Aprus cum coniuge sua apud S. Paulinum epist. 3. ad ipsum. Sancta Berthia cum Beato Guthlando ex nobilissima Francorum prosapia oriundi apud Molanum in natalibus Sanctorum Belgii 3. Januarii. Sanctus Mathurianus & Maxima uxor ejus apud Victorem lib. 1. de Persecur. Vandalica. Sed ex his fati ad intentum nostrum.

SECTIO III.

Ex Plebeis etiam nonnulli.

XLVI. **N**equè hos Deus licet grossiores ad hanc gloriam Deus ineptos judicavit: Nam præter Zachariam Calceatium cum Maria uxore sua in Menologio Græcorum: Evaristum opilionem item cum Maria: Sanctum Ammonium, qui post mortem uxoris factus est Anachoreta apud Palladium in Histor. Lausiacâ cap. 8. de quo S. Athanasius in vita Sancti Anthoni Abbatis, Cassianus collat. 14. cap. 7. meminit cujusdam Rustici qui ferocissimum dæmonem, quem Sanctus Joannes Abbas de corpore obsessio precibus expellere non potuerat, ita sua præsentia perterruit, ut cum reverentissimâ ad nomen illius inclinatione discesserit, quod admirans Sanctus Joannes cepit ab eo vitæ & professionis rationem disquirere; à quo reverentiâ tam sollicitæ inquisitionis adstrictus, tandem didicit uxorem se parentum imperio compulsam, cum Monachum profiteri vellet, ante annos undecim accepisse, eamque nemine etiam nunc conscio, Sororis loco à se virginem custodiri. Quod cum audisset Sanctus Senex, tantâ est admiratione permotus, ut coram ipse publicè proclamaret, non immeritò dæmonem, qui se despexerat, illius non tolerasse præsentiam, cujus ipse virtu-

tem non solum in Juventutis ardore, sed ne nunc quidem sine discrimine castitatis auderet appetere.

Cum ergo horum non esset finis, XLVII. nos ipsi faciamus per illud memorabile, quod legimus apud D. Gregorium Turonensem de Gloria Confess. cap. 32. ubi sic ille: Duos fuisse apud Arvernum virum scilicet & puellam refert Antiquitas, qui conjuncti conjugio, non coitu, & in uno stratu quiescentes, non sunt ab alterutro polluti in voluptate carnali: Post multos verò annos cum eis esset latenter vita castissima, ex consensu pari vir tonsuratur ad Clericatum, puella verò Religiosum induit vestimentum: factum est autem, ut impletis diebus, puella migraret à sæculo: denique vir ejus præparatâ sepulturâ exhibuit corpusculum ad sepeliendum: Cumque eam in sepulchro reconderet, arcanum quod inter eos convenerat, elevatis manibus ad cælum pandit dicens. Gratias tibi rerum omnium Artifex, quod sicut mihi eam commendare dignatus es, ita tibi reddidi ab omni voluptatis cõtagio impolutam: at illa è sepulchro subridens, ait, sile, sile Vir Dei, quia non est necesse fatearis nostrum nemine interrogante secretum. Post hæc obteçtâ ðpertorio recessit. Non post multum verò tempus & ipse migravit à sæculo, sepultusque est in loco suo. Erat autem in una quadam Basilica, sed è diversis parietibus utrumque sepulchrum habebatur, & unum quidem ad Meridiem, alterum ad Aquilonem: mane autem factò inventa sunt pariter esse sepulchra, quæ usque hodie sic perdurant. Idcirco nunc Incolæ duos Amantes vocitant, & summo honore venerantur. Ita Divus Gregorius Turonensis.

SECTIO IV.

Illis eos succenturiamus qui post aliquem matrimonii usum, reliquum vitæ pudicitia destinarunt.

Cum & hi, quos à gustatâ aliquam- XLVIII
diu in matrimonio carnis voluptate
Ec 3

no pstr
gnabit
D.
Septi
SV
an

tate, sanctæ castitatis amor abstrahere potuit, verè sint Eunuchi Evangelici, qui se castraverunt propter Regnum cælorum, eos quidni illis aggregaremus, qui eadem voluptate prorsus abstinerunt? Scio equidem quod docet Tertullianus lib. priore ad uxorem, hos istis feliciores in eo, quia illud bonum semper habuerunt, verumtamen isti his fortiores, atque adeo ex eo capite gloriosiores, quia illud bonum cum labore invenerunt. *Magni enim hoc animi signum est*, inquit D. Hieronymus epist. 14. quæ est ad Celantiam, & *perfecta virtutis indicium, renunciare subito experie voluptati, fugere notas carnis illecebras, & calentis adhuc ætatis flammæ fidei ardore restringere.*

XLIX. Inter hos spectabiliores fuere Isaacus Commenus Imperator apud Volateranum lib. 23. Antrop. qui susceptâ ex conjugio suo prole unâ, pactus est cum Imperatrice, quamdiu illam eis Deus servaret, ab ulteriori matrimonii usu abstinere, quod & fecere.

L. Sancta Heduvigis Polonia Regina, & Ducissa Silesiæ, cum Henrico, quæ postea quam aliquot pio Principi proles peperit, placuit uno animo, parique consensu de Episcopi consilio, & cum ejus benedictione, perpetuæ vorum continentia emittere, quam & deinceps Dei Spiritu corroborati, per triginta circiter annos simul servaverunt. Vide Surium ad 15. Octobris.

L.I. Antigonus & Euphrasia Theodosii Senioris Imperatoris Coztanei, & consanguinei, ac Sanctæ Euphrasiæ Virginis, Carmeli nostri syderis Parentes inclyti, quam cum Deo piis eorum votis annuente procreassent, quo mens eorum liberius Deo & proximo vacare possent, consensu mutuo continentiam perpetuam voverunt, in eoque statu animis quidem conjuncti, corporibus verò separati, sub eodem tamen tecto, anno uno exacto Antigonus piis operibus plenus ad meliorem vitam translatus est: Ita noster Lezana in Annalib. nostri Ordin. tomo 2. Surius tomo 2. & Breviarium nostrum ad 13. Martii in festo Sanctæ Euphrasiæ eorum filia.

L.II. Sanctus Leontius postea Episcopus Burdegalensis cum Placidina uxore ex Imperatorio Arcadii sanguine, De qui-

bus ira Venantius Fortunatus lib. 1. in laudem Leontii.

*Cogor autem etiam Placidina paucare ferre,
Quæ tibi tunc Coniux, est modò chara Soror.*

Quibus annexo Alchymiam Sororem ejusdem Placidinæ cum Apollinari viro suo apud D. Gregorium Turonensè lib. de Glor. Martyr. cap. 65. ubi agit de Sancto Martyre Antoliano.

Sanctus Franciscus à Borgia ex Duce Gandiæ Societatis Jesu Religiosus, ac demùm illius Generalis ordine tertius, à Sanctissimo Domino nostro Clemente Papa X. fastis Sanctorum solemniter adscriptus: pro quo vide Ribadenciram ejusdem Societatis in vita ejus. Et hæc de Imperatoribus, Regibus, Principibus & Dynastis.

Inter Nobiles, Sanctus Aquilinus postea Episcopus Ebroicensis in Gallia, de quo ita Audoenus in ejus vita. *Quæritur ei uxor nobilitati ejus congrua, invenitur, ducitur, proles terrena primùm gignitur, ut postmodùm cœlestis procreetur: sentitur carnalis amor, ut eo propudiatò spiritualis ferventius sentiat, quemadmodum pueri cibo solido degustato ubera respuunt: tandem reversus ex bello contra Barbaros, qui fines Regni Francorum intestabant, ad quod accitus fuerat à Clodoveo Rege cum cæteris Urbium præfectis, in tantum deinde profecit Christi amorem, ut ipse ejusque Coniux, animis conjunctis sub uno tecto manere constituerint deinceps carnali commercio separati. Impendunt etiam sua post se, & ut perfectum sit castitatis sacrificium, elargiuntur res suas pauperibus, ut transeat in holocaustum. Denique adeo corpora sua jejuniis & vigiliis exarabant, ut ipsis quoque Monachis, & Crucis habitum gerentibus, nihil eos cadere parasset. Vide Surium ad 19. Octobris.*

De muliere nobili Lypomanus in vita Sancti Francisci. Alio quoque tempore, inquit, mulier quædam nobilis Deo devota, cui vir erat crudelis & in servitio Dei adversarius, venit ad sanctum, ut suum & explicaret dolorem, ac remedium postularet: cui expostulanti, vade, inquit vir sanctus, cum

cum pace ad virum tuum, & dic ei ex parte Dei & meâ quod nunc est tempus clementiæ, postea æquitatis, & indubitanter expecta consolationem. Benedictione acceptâ revertitur mulier, invenit virum, nunciat verbum: Quid inde? Cecidit super eum Spiritus sanctus, & totus mutatus in novum hominem, sic responder; Domina serviamus Domino, & salvemus animas nostras. Suadente igitur uxore pluribus annis cœlibem vitam agentes, eodem die ambo migraverunt ad Dominum.

LVI. Sancta Athanasia cum Andronico cives Antiocheni tempore Theodosii magni Imperatoris non omittendi. Hi cum filios ex matrimonio suscepissent, eosque Deus satis pueros ad astra vocasset, unanimi assensu, re familiari venditâ, pecuniâque in pauperes distributâ, Alexandriam profecti seorsum per duodecim annos monasticam vitam egerunt, hinc sub sancto Daniele in Monasterio Scerhe, illa, mentito sexu in Monasterio Tabesionitarum sub Sancto Pachomio. Quo elapso tempore, Andronicus Jerosolymam profectus sacra loca visendi gratiâ, illuc etiam Athanasia, nihil tamen de viri profectioe sciens, se contulit Monachi habitu induta; quæ in virum offendens ipsum agnovit, non tamen illi ipsam, simulque Jerosolymam silentium quod sibi indixerant servantes, profecti sunt, & inde Alexandriam unâ redierunt: ubi illa Andronicum ad simul cõhabitandum invitavit, cui ille (quam semper pro Monacho habebat) consentiens, simul cum eâ aliis duodecim annis in eadem cellâ habitavit, nec unquam (tam cautè castèque agebat Athanasia) deprehendere potuit Andronicus nisi post mortem fuisse mulierem, multo minus uxorem suam. Ita noster Didacus Coria in Elucidar. Ord. Carmelit. lib. 9. cap. 4. & noster Marcus Alegre à Cassanate in Paradiso Carmeliticis decoris anno Christi 519.

LVII. His adungere lubet: unum è domesticis non minus illustre Sancti Ansfridi Comitissæ Huenensis, quod oppidum est primarium ditionis Leodiensis, quem ad virtutem suo exemplo perduxit conjux Sancta Hilswindis Marchio-

nis Franchimontani filia, matrona moribus præstantissima, quam, inquit P. Fizen in hist. Ecclesiæ Leodiensis lib. 7. sect. 10. ad ann. 985. non conjugii illecebræ, non dignitatis splendor abduxit à certâ honesti prosecutione, cujus primæ deliciæ erant divina contemplari, suavissimas cum Deo miscere sermocinationes. Silentio noctis à viri latere consurgens ad Ædem sacram se proripiebat, ubi ante fores clausas, in terram corpus abjecta, mentem attollebat in Deum, cum quo suavissimis suis frueretur deliciis: sed quo pium obturbaret institutû demon ardens invidiâ, virum per quemdam familiarem in zelotypiam protrudere conatus est, quasi illa tenebrarum beneficio clam ad turpitudines suas tenderet. Experimentum tamen prius facere, quàm credere voluit Ansfridus. Ergo proximâ nocte subducentem se de more Hilswindem suspensio gradu subsequitur. Illa quo se longius ab omni arbitro credebat, hoc liberius ante templum, sub Sambuci tegmine in terram provoluta, cœlorum penetrabilibus animam inferebat, & cum immortalis Sponso deliciabatur. De quo, ut Ansfridus ambigere non posset, ecce videt Cœlum discedere, & demissâ ingenti luce Hilswindem non modico tempore spatio perfundi: Quod spectaculum Ansfridum inexpectatâ voluptate demulsi, conjugisque admirationem excivit, & teneriorem deinceps, ut par erat amorem, pœnas ab illo Sycophantâ repetiturus, nisi intercessisset Hilswindis. In foemina potestatem deinceps totus transit Ansfridus, ejus exemplis ac fermè arbitrio in omnem recti rationem rapi cœpit tam incenso studio, ut post primam prolem Benedictum nomine, exosus cum conjuge rerum humanarum inanitatem, ex communi consilio perpetuo continentiæ voto se illigant: quoque magis expediti liberiore mentis volatu ferrentur in divina, terrenarum opum sarcinam constituerunt deponere, Comitatum suum Huensem Deipate Mariæ & D. Lamberto Martyri Ecclesiæ Leodiensis Tutelaribus elargiti: quam donationem Otto Imperator diplomate confirmavit nonis Junii anno 985.

indictione

indictione 13. ita Chapeauville in hist. Leodiensi tom. 1. in Norgero 46. Episcopo.

L.VIII. Inter plebeios & populares occurrunt primò parentes Sancti Francisci de Paulà Ordinis PP. Minimorum Institutoris, Jacobus Martotilla cum Marià de Castrosufcaldi: qui statim à susceptrà cœlitus meritis Sancti Francisci Seraphici post longam sterilitatem prole tam illustri, convenerunt ut deinceps ab ulteriori congressu abstinerent, quod & voto promiserunt.

LXIX. Sanctus Ilidorus Agricola Patronus Matritensis à Gregorio XV. cum SS. Ignatio, Francisco Xaverio, Philippo Nerio Congregat. Orator. Fundatore, & Theresia Ordinis Carmelitarum filia & Congregationis Discalceatorum in eodem Ordine matre solemniter canonizatus.

LX. Ex nostratibus autem damus sanctam Mariam d'Oignies vico Patris ac Diœcesis nostræ Leodiensis inter Sambrim & Mosam. Hæc annos vix quatuordecim nata, cogentibus parentibus nupsit cuidam Joanni, sed non tam nupta dicenda quàm vidua: siquidem cum aliquamdiu cum marito vitam vixisset à sanctitate admirabilem, eum adduxit, ut quam hætenùs habuerat uxorem, deinceps habere ceperit ex divino instinctu, ut Ioseph Mariam, idest commendatam, quod adeò sibi probari testatus est Christus, ut Mariæ promiserit, eo quod castitatis amore, transituræ valedixissent voluptati, nobilius olim ac suavius in cœlo cum viro suo connubium: sunt qui virginitatem servasse volunt, sed hoc certius. Nam Cardinalis Vitriacus solius continentiæ meminit, virginitatem proculdubio apertius expressurus, si res ita habuisset: nam nec ignorare potuit, quia diu illi à Confessionibus fuit, nec celare debuit, quia res ab illà gestas adeò studiosè perquisivit.

LXI. Quàm gloriosa ergo D. Iosephum circumstat corona, quam Principum insignia, Regum sceptræ, Imperatorum ferta, aliorumque cujusvis status & conditionis magna constituunt continentium agmina. Audiant infelices illi, qui nullo matrimonii fœdere, solà illiciente libidine, illicitis se commix-

tionibus polluant: Ecce beati illi conjugum Greges, Candidatorum phalanges, quanquam ætate florent, à licitis amplexibus Christi causâ, Iosephi & Deiparæ exemplo, se abstinentes, æstum ferventis adolescentiæ Religio- nis ardore superarunt, ignem igni extinxerunt, & triumphales coronas meruerunt: nam ut spirituales Salamandre in igne non ardentes, in voluptatum copiâ carnis pruriginem cohibentes, apud fluvium sitientes, inter epulas elurientes, timoris Dei clavis suam carnem confixerunt.

CAPUT IX.

Quomodo universitas Conjugatorum aliquo etiam modo Divi Iosephi & Deiparæ Virginis continentiam imitari poterit?



UM matrimonii usum quantumvis temperatum inseparabiliter comitetur delectatio omnium vehementissima,

certum est, ut & secundo Ethicor. c. 11. docet Philolophus, immò & ipsa experientia, quod ex eius frequentatione augetur libido, crescatque concupiscentia. Quod cum ita sit, magna sanè virtus est eorum conjugatorum qui matrimonio utuntur, quod tamen in eo ita delectationem copulæ moderentur, ut aliquando urgente licet istâ concupiscentiâ, pruriente istâ libidine, sic ut præfertur viribus aucta, ab eâ se contineant ex motivo virtutis, ut fecit Tobias cum Sarâ castâ conjugæ suâ, qui ambo coram Domino corda sua expandentes, ita aiebant: Ille quidem *Domine tu scis quia non luxuria causâ accepisti hanc sororem conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum.* Tobias c. 8. Illa verò ibidem cap. 3. *Tu scis Domine quia nunquam concupi vi virum & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentiâ, &c. virum autem cum timore tuo, non cum libidine meâ consensu accipere.*

Idem quoque observare licet in Patre

Patre fidei Abrahamo, de quo ita Sanctus Augustinus lib. de Bono Conjugii cap. 22. inter princip. & medium. *Melior est castitas celibum quam castitas nuptiarum, quarum Abraham habebat unam in usu, ambas in habitu: Castus quippe conjugaliter vixit, esse autem castus sine conjugio potuit, sed tunc non oportuit.*

III. Hos quidni faciamus suppares illis, de quibus de cetero procedenti, qui ex toto renunciant expertæ aliquamdiu isti voluptati, notis que dicunt longum vale carnis illecebris? Nam illi lapsu temporis per contrarios actus, ita possunt in se delere seu extinguere concupiscentiam, ut tandem eam non aliter sentiant quam qui nunquam experti, immo adhuc fortè minus. At hi de contra, qui utuntur passim matrimonio, cum ex illius usu & frequentatione foveant concupiscentiam, sentiunt semper illam in dies validiorem: Quare etiam facilius sit semel & iterum ab experta voluptate abstinere, quam ei æternum valedicere, magnæ tamca virtutis esse fatendum est illi vehementius incumbenti posse ex animi magnitudine resistere.

IV. Ex horum numero sunt & erunt illi primò qui cum nuptias non appetierint, nec illis utantur propter se, id est ut voluntatem suam expleant (quamvis in eo actu dum exercetur illam sentiant) sed tantum propter prolem, prole concepta statim à copulâ se abstineant: cum enim copula ad generationem seu prolem se habeat apud illos ut medium ad finem, sine adepto, cessant ab usu mediocrum. Tales viri nonne verè viri sunt, qui tam viriliter feminis utuntur, ut delectationi carnali non subjiciantur, sed ei domoentur? Tales uxores etiam non virgines, nonne tamen virginæ sunt, quæ in eo usu, qui illis licitus est, magis attendunt quod debent, quam quod eis debetur? Utrique demum nonne verè casti, qui non ad propriam voluptatem suâ potestate abuti volunt, sed illius debiti, cujus sibi invicem sunt obnoxii, redditores magis esse volunt quam exactores: Ex his fuisse antiquos Patriarchas ex antiquâ lege, saltem plerosque passim innuunt SS. Patres, sed fuerunt longè plures in lege Gratiæ: ex

utraque lege, unum hic, ne nimis prolixus fiat, accipe Lector, exemplum.

V. Ex lege antiquâ in ejus confinio accipe Elizabetham Sanctam Zachariæ uxorem & Baptistæ Matrem, de quâ Luca: cap. 1. dicitur, *Post hos autem dies concepit Elizabeth uxor ejus & occultabat se mensibus quinque.* In quem locum notat Thomas Beauxamis ex Origene hom. 6. in Luc. *Quæro, inquit, quam ob causam, postquam intellexit se esse prægnantem publicum declinarit? Nil fallor hoc est etiam quod hi qui nuptiis copulati sunt, non omne tempus coitus liberum inter se habent, sed est tempus quando recedant ab opere nuptiarum. Si enim vir senex fuerit, & mulier anus, pudoris est maximi servire eos libidini, servire conjugio. Eapropter abscondit se illa mensibus quinque, donec Christi Conceptio instaret quæ pudorem illum auferret. Sed & docuit copulam ad intentionem generationis, non autem libidinis fuisse: Nam cum concepisset abscondit se quasi carnali huic operi renuncians. Ita Beauxamis ex Origene.*

VI. Ex lege Gratiæ unicam Sanctissimam produco Poloniae Reginam Hedwigem cum Henrico Viro continentissimo, qui in ipsâ suâ maritali conjunctione prolusisse videntur illi, quam postea inter se voverunt Deo perpetuæ continentia, aut saltem ejus tyrocinium poluisse: Nam simul atque Hedwigis se sentiebat concepisse, à maritali thoro de viri consensu se reverenter abstinebat usque ad puerperij complementum, donec tandem illis placuit, inspirante Numine, eam abstinendam deinceps esse perpetuam. Quin immo & hunc in matrimonio abstinendi modum Hedwigis alias quoque quascumque poterat feminas edocebat. Ita Sarius in ejus vitâ. Hinc eleganter Divus Ambrosius. *Suscepta plerumq. sobole renunciant operibus juventutis. Et quid mirum de hominibus, si pecudes quoque mutuo quodam opere loquuntur. generandi sibi studium non desiderium esse eorum? Si quidem ubi semel gravem alium sibi sensuerint, jam nec concubitu indulgent, nec lasciviam amanti, sed curam parentis assumunt. At verò homines nec conceptis, nec Deo parant, illos contaminant, hunc*

ff

exasperant

exasperant. Et quid de pecudibus loquor, terra ipsa à generandi opere sapè requiescit, & si impatienti hominum studio factis frequentius seminibus occupetur, impudentiam mulctat agricola, & fecunditatem sterilitate commutat. Ita quidem in ipsis elementis ac pecudibus ab usu non cessare generandi, natura pudor est.

VII. Secundo, & de horum sunt numero continentium pii illi conjuges, qui ex variis iisque sanctissimis motivis secundum diversas occasiones à congressu pauant. Aliquos ejusmodi Continentes indigerans noster D. Joannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodox. cap. 25. fuisse notat in Arcâ Noe tempore diluvii: Subtiliter enim ibi observat Deum aliter loqui Noëmo dum cum suis in arcam inducit, & aliter dum ex illâ educit. Nam Arcâ compactâ, in quâ distincte Dei jussu mansuicula, dum eos in illam inducit, viros ab uxoribus, uxores à viris separat. Ait enim sic Genes. cap. 7. *Ingrederetur & filii tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum.* Cùm verò compresso diluvio illos eâ educit, è contra viros cum uxoribus conjungit: ait enim cap. 8. vers. 16. *Egrede de arca tu & uxor tua, filii tui & uxores filiorum tuorum.* Vides distinctionem? Accipe mysterium: ubi in arcam fuit ingrediendum: ingressi sunt viri simul, Noë scilicet & filii ejus, & mulieres simul, uxor Noë & uxores filiorum ejus, ut dicitur cap. 7. vers. 7. distrahendi fuerunt tunc ab uxoribus viri, uxores à viris, ut continentia sanctæ adminiculo pelagus atque mundi universi effugerent naufragium: sed compresso diluvio cùm egrediendum fuit, iterùm conjunguntur, quia ad reparandum genus humanum pacato jam per reorum mortem, & vivorum continentiam, Deo, usus matrimonii relaxatur: ita D. Damascenus citatus, & D. Hieronymus lib. contra Jovinian. Ex quo quidem tu Lector Christiane elice, & discè pro te in calamitatibus seu publicis, seu etiam tuis privatis, ejusmodi abstinentiam, optimum esse remedium pacando Numini irato. Nec enim tempus est dum Deus tibi irascitur, & fulmina sua intentat, lascivire.

VIII. Abstinent etiam alii ut melius inter dum Deo & orationi vacare possint,

atque ab uxoribus corpore tantisper disjunguntur, ut Deo possint mente conjungi: Ut enim ait D. Augustinus lib. 1. Soliloq. cap. 10. ante medium: Nihil est quod magis ex arce dejiciat mentem virilem, quàm blandimenta fœminæ, illeque corporum contactus sine quo uxor haberi non potest: Unde Apostolus 1. Corinth. cap. 7. conjugatis ait. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut orationi vacetis.*

Alii ut eo dignius ab iis recipiatur in sacra communione immaculatus agnus, quo purius se præparaverint: nam Exodi cap. 9. ut populum antiquæ legis ad Domini in montem Sinai descensum accessum præpararet Moyses, ex Dei jussu illis præcepit, *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris.* Et Achimelech Sacerdos lib. 1. Reg. cap. 21. Cùm David à facie Saulis fugeret cum servis suis, panesque ab eo famelicus peteret, Respondit se panes laicos ad manum non habere, sed tantum panem sanctum, *si mundi erant pueri maxime à mulieribus.*

Abstinent denique alii qui à Deo per D. Josephum aliquid efficaciter petere, id est obtinere sperant, & id quidem optimo consilio, impetrant enim illi à Deo certius per sanctos, qui magis illis placent: placent autè magis illi, qui eorum virtutes imitantur, maxime verò illas, quæ magis in eis eluxerunt, qualis est in D. Josepho continentia in ipso conjugio, in quâ fuit omnium primus.

Sed de his satis, superque. Tu quisquis hæc legis, profice ex his quibus legis. Itaque matrimonium quod Deus ipse instituit, quod conceptione suâ cohonestavit, quod præsentia suâ illustravit, quod primo miraculo suo decoravit, quod evchendo illud ad esse Sacramenti sanctificavit, ne sperne: virginitatem tamen quam in seipso consecravit, & continentiam illi antepone.

Ecce tibi hætenus ob oculos proposita omnis generis continentium exempla, quorum caput Joseph & Maria: qui virgines videri volunt exemplo Josephi & Mariæ, toti sint virginei: quidam enim corpus quidem habent intactum: sed cultus non sine fucis, oculi lascivientes, vel vagi & tornatiles, lingua

gua petulans, inaccessus levior, animum notant non pudicum: si verò castus est animus, reluceat hujus integritas & in his quæ foris sunt.

XIII. Dixerit aliquis, quid flagitii est si juvenis sponsam, sponsum si Virgo ambiat? si veniantur quamlibet sponsam vel sponsum, casti non sunt: si probam vel probum, nullum efficacius lenocinium apud bonos quam pudor, quam simplex in cultu mundities. Est & in matrimonio scortatio, quemadmodum est in illo castitas Deo gratissima: si conjugatus es, imitare Iosephi & Mariæ conjugium, saltem quantum patitur tua infirmitas: si illorum & tot aliorum perfectè continentium castimoniam assequi nequis, sequere si potes illos, qui post libatas carnis illecebras, calentis adhuc ætatis flammæ fidei restrinxerunt ardore: si nec hoc vales, saltem aliquando te contine cum temperatis, qui sibi ipsis virtutis amore arctant licitæ voluptatis habenas.

XIV. Quod si nec hos te sequi posse dicas, adhuc audi unum: Iterum restat in quo Divi Iosephi continentiam suspicias & colas. Tu qui nondum nupsisti, cave ne id audeas quod in nuptiis & propriâ conjugæ noluerunt D. Iosephus & Mariæ, & post ipsos tot Heroes à nobis supra recensiti, & te cohibe donec nupsieris. Tu verò qui nupsisti, non tantum nolis quod extra nuptias velle non poteras, sed & in nuptiis tuis dum D. Iosephus non quæsit in conjugæ, quod vir solet in uxore, tu ne in tuâ procæris quasi in meretrice: illam habe faxo, & ad officium naturæ, & ad concupiscentiæ; sed vide ne concessis abutare, ne remedium fiat tibi venenum.

XV. Qui cum uxoribus turpiter certant libidine, qui majore nequitia cum illis lulant, & confabulantur quæ solent cum prostibulis; nec mariti sunt, nec uxores, nec illi has habent pro uxoribus, sed pro pellicibus, nec hæc similiter viros pro sponsis, sed pro lenonibus. In matrimonio casto, & conjugii ulus debet esse verecundus.

XVI. Nunc reperit hominum perversitas ut cum uxore quoque committatur adulterium. Audi quomodo ex Divo Hieronymo l. 1. contra Jovinian. *Adul-*

ter est, inquit, in suam uxorem amator ardentior: in alienâ quippe uxore omnis amor turpis, in suâ nimius. Sapiens vir conjugem judicio debet amare non affectu. Severus es, inquit, amoris ebrius, non abnuo: sed verus sobrius: severus proco, sed verus probo.

CAPUT X.

An omnium primi Mariæ & Ioseph in castitate vovendâ?

TANTA est fuitque semper primatus in omni genere prærogativa, ut illos qui eo gaudent, aliorum qui eos in eodem genere secuti sunt, Patres nuncupare, nec ipsa Sacra Scriptura dubitaverit: sic Genes. cap. 4. v. 20. *Label* dicitur Pater habitantium in tentoriis, & vers. 21. *Ubal* ejus frater, Pater canentium citharâ & organo, quia illi omnium primi ceperunt: ille quidem habitare in tentoriis; hic verò in citharâ & organo modulari, à quibus alii postmodum idem facere didicerunt: Sic Christus Joannis cap. 8. ob mendacium dicit de Judæis, vos ex Patre diabolo estis, quia nimirum Diabolus primus mentitus est, artemque mentendi & fallendi adinvenit, quam deinde Judæi securi sunt: Hinc D. Augustinus in illum locum. *Non omnis qui mentitur est pater mendacii, sed qui aliunde mendacium non accepit ut diabolus.*

Porro primi in uno quoque genere dicuntur Patres cæterorum in eodem genere, quia scilicet, ut in humanis, filii suis debent Patribus quod habeant naturam in quâ illis similes sunt, ita in hoc casu, primis succedanei debent, quod illam habent formam adventitiam, in quâ isti primi fuerunt. Cum ergo tanta res sit esse primum in aliquo genere, non erit abs re hæc examinare an D. Iosephus & Beatissima Virgo qui Capite 5. virginitatem voverunt, etiam in eâ vovendâ primi omnium fuerint?

Et primò quidem constat ex dictis, quod omnium primi illam in conjugio perpetuam

Ffz

perpetuam

no p s t s

gnabit

D.

Iosephi

sv

perpetuam servarint; ita ut nulli inveniuntur conjuges ante illos qui perpetuò cœlibem in Matrimonio vitam duxerint: unde cum illam ab initio voto firmarint, ut supra sufficienter demonstratum est, sequitur secundò, quod etiam in castitatis conjugalis voto primi omnium fuerint: Quæ res perfectò illis eximiam confert prærogativam, & primam gloriam in genere castitatis: Cum non solum perfectò virginitatis studio etiam in matrimonio excelluerint, sed etiam quod in hoc pietatis genere nulli secundi, primi omnium fuerint, castorum nempe Cōjugum Principes & Patres. Tandem quod Deo immortalis, cum tanto suavitatis odore, perpetuum sui corporis ex toto corde per votum holocaustum obtulerint citra ullum exemplum: Restat hinc inquirendum, an illam continentiam seu castitatem perpetuam, etiam abstrahendo à Matrimonio, omnium mortalium primi servarint ex voto.

IV. Et quoad hoc unum adhuc omninò certum, quod scilicet sic abstrahendo à matrimonio, non omnium primi illam servarint primitate temporis. *Virgo namq; Elias, virgo Elisens, virgines multi filii Prophetarum,* inquit Divus Hieronymus in epist. ad Eustochium: Et res nimis clara est de illis ex Scripturâ Sacrà, Sanctis Patribus, & infinitis ferè Doctoribus omnium conditionum, Ordinum & sæculorum. Vide ex nostris eos qui scripserunt de hæreditariâ nostri Ordinis ab Eliâ Prophetâ successione, à Summis Pontificibus Joanne XXII. in Bullâ quæ incipit *Sacratissimo uti Culmine, &c.* quam confirmarunt Clemens VII. & Alexander V. Sixto IV. in Bullâ quæ incipit *Dum attendit à mente, &c.* quam confirmavit Julius II. per Bullam *Ad sacrum Ordinem, &c.* Leone X. in Bullâ *Cum ad uberes fructus, &c.* Gregorio XIII. in Bullâ *Ve laudes, &c.* Sixto V. in Bullâ *In Apostolica dignitate, &c.* Tacco Honorium III. Paulum III. Pium V. & novissimè Paulum V. Urbanum VIII. Innocentium X. Alexandrum VII. & Clementem X. confirmata. Videndi præcipuè in his Petrus Wastelius in Vindiciis pro Joanne XLIV. Patriarchâ Jerosolymitano.

Lezana in Apparatu ad Annales Ordinis, P. Franciscus Bonæ Spei Tractatu speciali, cui titulus *Historico-Theologicum Carmeli Armamentarium*, ex professo ab ipso editum contra Patres Christophorum Vega, Salinas, & Rhedanum Jesuitas: & contra Patrem Christianum Lupum Augustinianum.

Itaque dico primò, Eliam Prophetam & Filios Prophetarum in veteri lege (quorum Carmelitæ sequaces & successores) vovisse perpetuam castitatem sicut & alia vota Religionis essentialia. Ita infiniti Doctores moderni tam exteri quàm domestici ex Scripturâ & Patribus. Vide probationes apud præcitatos num. præcedenti Lezanam & Franciscum Bonæ Spei. Item Thomam Waldensem, Joannem Paleonydorum, Arnoldum Bostium, Patrem Munnoz in propugnaculo Eliæ, Matthiam à S. Joanne tomo I. Histor. Panegyric. Ord. Carmelit. P. Franciscum à S. Mariâ ex nostris Discalceatis in Historiâ Prophetica Ordinis nostri.

Neque per hoc ullum Divæ Virginis Deiparæ infertur præjudicium, ut voluit Pater Vega & alii ejus confocii, inquit loco citato noster Franciscus Bonæ Spei. Etenim primò, si illa propter voti virginitatis excellentiam debuit prima omnium illam vovisse, debuit etiam propter existentiam, dilectionis Dei, Gratiæ, Voti, Prophetiæ, &c. excellentiam, prima omnium illa dona accepisse: Nec vim hujus argumenti effugies, si dicas, quod necessarium fuerit ex hypothesi Decretorum Dei præsentium, quod Beata Virgo non existeret prima omnium creaturarum; consequenter quod non acciperet omnium prima cætera ista dona quæ supponunt ejus existentiam: Respondeo enim sicut hæc hypothesi non obstare, non est contra primatum Beatæ Virginis, quod alii ante eam extiterint, Deum dilexerint, gratiam acceperint, prophetarint, voverint, &c. Ita nec in voto virginitatis in particulari est contra primatum ejusdem Virginis, quod ab Eliâ & Prophetarum Filiis emissum fuerit: Ita Franciscus Bonæ Spei libr. de Visione Eliæ disput. 3. num. 96.

Secundò

VII. Secundò, cum Christi Domini dignitati non officiat, quod Beata Virgo ex instinctu & motione speciali Spiritus Sancti voverit istam virginitatem antequam Christus esset, & istam ipse primus exemplo suo doceret: Cur Divæ Deiparæ dignitati obesset quod Elias Sanctissimus Dei Propheta ex simili instinctu, priusquam illa existeret, idem votum emisisset? Si quidem Christus longè magis excedit B. V. dignitatem, quam B. Virgo Eliæ Dei Prophetæ Sanctissimi: ita idem Franciscus Bonæ Spei in Armamentario Carmeli Pharetra 1. tel. 11. num. 349. Unde optimè Suarez tomo 2. in 3. part. D. Thomæ disp. 8. lect. 3. §. *ad object.* apud nostrum Lezana in Annal. Ordin. nostri in Appar. cap. 4. num. 19. docet. *Quod Beata Virgo perfectum votum virginitatis emisit, ad perfectionem ejus pertinet, quod verò ante ipsam nullus hoc fecerit, ad ejus commendationem non admodum confert.*

VIII. Dices cum eodem Vegâ, Salinas, & Rhedano: ex votis & Monachatu verò Sancti Eliæ & filiorum Prophetarum ejus sequacium in lege veteri, de legis Evangelicæ præstantiâ multum detrahi, sic enim huic non plus defertur perfectionis quam Synagogæ veteri. Respondeo quemadmodum ad specialem dignitatem Legis Evangelicæ non spectat quod ante ipsam non fuerit in lege veteri vera Sacramenta, vera sacrificia, verusque cultus Dei quoad essentiam & substantiam ipsorum, sed solum quod ante ipsam non fuerint consummata, & cum eâ perfectione & plenitudine in quâ sunt sub Evangelicâ Lege, multò minus quod ante ipsam non fuerint vera vota Religionis, eorumque exercitium, verusque status Religionis, proportionatus tamen statui veteris Legis: quin potius videtur colligi debere contrarium ab æqualitate, ut aiunt, proportionis: Cum enim illa Lex fuerit velut inchoatum Evangelicæ videtur etiam necessariò postulasse modum aliquem inchoatum Religionis, perficiendum & decorandum in Lege Evangelicâ.

IX. Et sanè nulla est assignabilis ratio quare in hominibus perfectis illius Legis fuerint excellentissima dona &

charismata, Prophetiæ, miraculorum, Fidei, patientiæ, martyrii, & similia non autem Religionis, licet non ita per se ut sub Evangelio: aut quare hoc solum reservatum sit Legi Evangelicæ, & non aliæ: præsertim cum martyrem esse perfectius quid videatur quam Religiosum esse, juxta illud: *Majorem charitatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis.* &c. Ita noster Lezana in apparatu ad Annales nostros cap. 4. num. 22.

Confirmatur ex Bartholomæo Medinâ Doctore sui temporis celeberrimo, prima secunda Quæst. 108. art. 4. §. *ut tamen*, ubi post aliqua de imperfectione veteris Legis subjungit. Sed ex hoc non inferat Theologus, quod viri justi & sancti in antiquæ Legis statu non haberent ex instinctu Spiritus sancti consilia à Deo tum virginitatis, tum obedientiæ, atque etiam paupertatis, quæ & animo lubenti & forti amplectebantur, sed pro temporis ratione non omninò consummata & absoluta.

Tertiò, sicut de gloriâ & commendatione Deiparæ nihil detrahit, quod post illam facta fuerint ab aliquibus vota quæ ipsa nunquam fecit, puta vota vitæ Quadragesimalis perpetuæ, solitudinis & clausuræ inviolabilis, &c. ita nec detrahère potest quod ante illam alia facta sint modo quodam inferiori & imperfectiori, quæ ipsa fecit modo altiori & excellentiori.

Dico secundò, hoc tamen non obstante Beata Virgo potest dici & verissime omnium mortalium prima in voto virginitatis, & illius vexillum verè extulisse, hoc pacto ocludentur ut credo obloquentium ora. Probat, quia etsi Pater noster Elias Propheta, & filii Prophetarum ejus sequaces, fuerint priores illâ in vovendo prioritate temporis & quoad executionem, fuit tamen Beata Virgo prior illi prioritate causæ exemplaris, seu quoad intentionem: Planè enim verum est sanctum Patrem nostrum Eliam spiritu Prophetico prævidisse Deiparam Virginem eamque votum virginitatis emisuram, ac propterea in Matrem Dei eligendam: ac consequenter per inspirationem specialem Dei volentis

no plis

gnaliu

D.

Steph

87

tam Virginem honorare, motum fuisse, ut se & sequaces suos ei per simile votum consecraret.

XIII. Igitur cum Elias non voverit nisi ex eo quod, Deo ei Virginem in nubecula parvâ præstendente, prævidit votum ejusdem de servatâ virginitate, sequitur manifestè quod hoc votum Beatæ Virginis fuerit causa voti Eliæ: Quare omninò dicendum votum Beatæ Virginis absolutè & simpliciter esse prius, votum autem Eliæ tantum secundum quid: atque adeò Beatam Virginem primatum obrinere & Virginitatis & voti, etiam in Eliam & filios ejus spirituales, qui eam tempore præcesserunt, quandoquidem illorum votum tunc non extitisset, nisi hoc Beatæ Virginis votum futurum fuisset, ac futurum Deus Eliæ exhibuisset, & præstendisset, ut ad illius normam, & in ejus honorem, similiter voveret & contineret.

XIV. Et hæc ratione possunt optimè conciliari SS. Patres qui docent Beatam Virginem fuisse omnium mortalium primam quæ votum virginitatis seu castitatis perpetuæ emisit, cum illis qui tenent Eliam Elisæum & filios Prophetarum, qui eam tempore præcesserunt, vovisse perpetuam continentiam, fuisse Eunuchos spirituales qui se castraverunt propter Regnum cælorum fuisse Monachos & Monachorum Principes, &c. dicendo scilicet Sanctissimam Virginem esse primam omnium mortalium primitate causalitatis; Eliam verò & cæteros tantum primitate temporis cum quâ ipsi non nisi dependenter ab illâ tanquam à causâ movente, exemplari, ac etiam finali casti fuerunt: ac sic absolutè & simpliciter Beatam Virginem fuisse omnium primam, quia votum ipsius fuit causa voti Eliæ, & quia votum Eliæ tunc non fuisset, nisi votum Virginis futurum fuisset, & futurum Deo revelante prævidisset.

XV. Hoc modo etiam explicantur decreta Supremi Sanctæ Inquisitionis Senatus qui per Decretum anni 1636. damnavit propositionem istam quod *Beata Virgo non extulisset vexillum virginitatis omnium prima nuncupato voto.* Et tamen non adductâ ad suum Tribu-

nal Historiâ Propheticâ nostri Ordinis per Decretum de 9. Decembris 1639. admisit in eâ sequentes propositiones. Prima, *In lege scriptâ fuit votum virginitatis & castitatis perpetuæ.* Secunda, *In lege scriptâ fuit votum obedientiæ perpetuæ.* Tertia, *In lege scriptâ fuit votum paupertatis voluntariæ.* Quarta, *In lege scriptâ fuit versus Monachatus & Religio:* Quas propositiones approbavit post plurium annorum maturum examen, & exactissimam discussionem fundamentorû nobis adversantium & non obstante omni quâ pollebant, & in mundo pollent scientiâ, & potentiâ: ac iterum iisdem adversariis iterum oppugnantibus, post reiteratum sæpius & per plures annos earumdem propositionum examen, anno 1673. die 6. Martii Præside Illustrissimo ac Reverendissimo Domino D. Didaco de Valladorea Episcopo Ovetensi & Placentino, Regii & Supremi Consilii Castellæ Præside.

Neque hoc parum facit ad laudem tantæ Virginis: quàm enim magnum, quàm gloriosum, quod virginitas ejus non tantum proposita sit posteris, sed etiam exhibita tot retro sæculis anteris, in exemplum virginitatis & voti virginitatis, quam mores & usus istius temporis non recipiebant imò abhorrebant?

Quare quod ait P. Vega part. 2. Theolog. Marianaæ palestræ 19. certam. 12. num. 444. imitatus suos confocios Patrem Franciscum Salinas tomo 2. Exposit. litteral. in cap. 2. Jonæ Prophetæ quæst 35. & Petrum Rhedandum in lib. 1. Machab. cap. 2. contra antiquitat. Ordinis nostri, & Monachatum verum veri Patris nostri Sancti Eliæ Prophetæ & sequacium ejus in veteri Lege inutiliter velitans (ut de novo facit hodie P. Papebrochius ejusdem Societatis in Actis Sanctorum sequens antecessores suos) quod scilicet hæc opinio de tali Monachatu omninò à Scholis exulare debeat, eo quod per eam Divæ Virgini immeritò virginitatis primatus eripjatur, falsumque esset quod vexillum virginitatis voto assertæ extulerit, quandoquidem juxta hanc doctrinam Ellas longè, idest totis non-gentis annis ante Virginem Deiparam, virginis

virginitatis imperium invexerat: hoc inquam (quod tamen tanquam palma re argumentum contra nos jactat post Salinam & Rhedanum, Vega) vanum est & nullius roboris, sicut & cætera, quæ solidè elumbavit noster Franciscus Bonæ Spei locis hoc capite citatis, idest in *Armamentario Carmeli*, & *lib. de Visione Elia*. Nam tantum abest ut per hoc quidquam de Gloria & Primatu Virginitatis Deiparæ detraharur, quin potius magis extollitur, siquidem in opinione Vegæ & Confociorum ejus, si fuisset prima omnium primate temporis, fuisset tantum causa virginitatis & voti ejus in posteris, ac in Doctrinâ Carmelitarum, ac infinitorum aliorum, è quibus plurimi sunt ejusdem Societatis, & quidem profundioris doctrinæ quam PP. Vega, Salinas, & Rhedanus, fuit non tantum in posteris sed etiam in anteris, quod majus est.

XVIII Dico tertio, quod spectat D. Josephum, res non ita clara est: mihi tamen valdè probabile videtur, quandoquidem Deus tam specialiter & clarè manifestaverit Sancto Patri nostro Elia Virginis inviolatam summamque puritatem & integritatem, ut ad illius imitationem, & ipse & alii per ipsum amarentur. Videtur, inquam, valde probabile non illi occultasse hanc tam notabilem circumstantiam, quod scilicet illam Beata Virgo etiam in matrimonio servatura erat, tum quia, ut vidimus supra, illam præostendat aliis, à quibus tamen simile propositum non exigebat: tum quia ex hac cognitione, magis ab eo suspicienda erat & admiranda istius Virginis integritas, & ille, ac per illum alii fortius animandi, ut illam extra matrimonium servarent, quam illa, quæ in exemplum eis proponebatur, etiam in matrimonio servatura erat: tum denique quia cum ille cui maritanda erat, esset & ipse ejusdem Virginis exemplo & hortatu virginitatem perpetuò servaturus, non poterat non hæc cognitio multum conferre ad scopum quem Deus intendebat, ut scilicet idem ipse exemplum cum illo imitaretur. Itaque secundum hoc Diva Deipara fuit primaria causa voti Elia, & Filiorum ejus spiritualium, D. Josephus secundaria,

Sed est adhuc alia primitas, scilicet dignitatis & excellentiæ, quam qui habet aliis non indiget, ut absolute primatum teneat. Sic homo, licet omnium creaturarum postremus tempore omnium tamen illarum est primus merito, excellentiæ & dignitate, Genes. cap. 2. Sic Divus Joannes Baptista omnium novissimus Prophetarum tempore, & tamen plusquam Propheta, ut ait Matthæus cap. 11. vers. 9. hoc est omnium Prophetarum maximus. Nam ut loquitur Lucas cap. 7. vers. 28. Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptistâ non est. *Hic enim*, inquit S. Maximus Episcopus homil. 3. de de Nativit. S. Joannis Baptistæ, *Domini nostri IESVM-Christum, quem alii in longâ tempora futurum præstierant, meruit annunciare, & designare præsentem.* Sic Petrus omnium Apostolorum primus non ætate aut vocatione, (Andræas enim in his illo prior) sed Apostolatus eminentiâ, & ordine dignitatis.

Certum est autem Beatissimam Virginem & D. Josephum, etsi non fuerint primi omnium in vovendâ virginitate ordine temporis, fuisse tamen ordine dignitatis, eminentiæ, & perfectionis. Obtinere ergo, illi inter omnes virgines & continentes primatum continentiæ & voti virginitatis. Primum, quia illud votum in illis processit ex majori charitate & gratiâ. Secundò, ex cognitione, affectu & proposito majori, intensiori & magis voluntatem figente & immobilitante. Tertio, quia caruerunt omni contrario, quo virginitatis perfectio & affectus posset remitti, cum caruerint fomite: & ipsum conjugium quod in aliis ad virginitatem labefactandam servit, in illis fuerit ad ejus custodiam & majorem splendorem. Quarto, Habuerunt omnes virtutes comitantes, sequestras, & altrices in summo, humilitatem, modestiam, pudorem, abstinentiam, mortificationem, & alias, ex quibus posset virginitatis perfectio augeri.

Cum ergo tanta sit post Sanctum Josephum ac Deiparam Conjugem ejus ex omni hominum gradu, virginum intra & extra conjugium, vel in eo tandem continentium ac temperantium

nopolis

agnabit

D.

Josephus

SV

an

rantium eorum exemplo, multitudo, quanta vel hinc quoque quamve multiplex eorum, tanquam horum omnium Ducum ac Principum gloria, dum Deiparam Virginem feminarum, Beatum Josephum verò hominum numerosissimi greges, si non affequantur, sequuntur tamen ac imitari contendunt? Nimirum adducentur quoque post Sanctum Josephum Virgines, Continentes, Conjuges, Comites, Duces, Principes, Reges, Imperatores, atque in ejus imitatione, discipulatu, ac clientelâ, proximi ejus offerrentur Regi Domino in lætitiâ & exultatione.

CAPUT XI.

An inter Divum Josephum, & Divam Deiparam verum intercesserit Matrimonium?

I. **S**UPPONO ex omnibus Patribus & Theologis, communi quæ omnium gentium sensu, matrimonium non esse quamlibet viri & mulieris conjunctionem, sed eam solùm quæ inter virum, ut maritum; & feminam, ut uxorem, intercedit: quæ conjunctio non est tam crassa & materialis, ut oriatur ex copulâ carnali, aut hæc sit pars illius, ut voluit Wicleph apud nostrum Thomâ Waldensem tomo 2. de Sacramentis cap. 130. quandoquidem & copula sit damnabilis, quam non verum præcesserit matrimonium: & verum inter illos sit matrimonium, qui ab ejus usu abstinent etiam ab initio amore virtutis: undè Concilium Florentinum in Decreto Eugenii meritò definit, *Matrimonium mutuo consensu perfici*, & Tridentinum Sessio. 24. Matrimonium ratum distinguit à consummato, quod illud consensu perficiatur, hoc usu.

II. Neque rursus est tam spiritualis ut sit purè animorum conjunctio, quâ vir erga mulierem ita afficiatur ut sibi invicem unicè adhæreant adhæsiōne dilectionis & cohabitationis perpetuæ,

ita enim inter Patrem & filiam, filium & Matrem, cohabitantes ex dilectione, esset matrimonium verum ac legitimum, hoc autem esse non potest: Nam Genesis cap. 1. dicit. *Relinquet homo Patrem suum & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ.* Per quod manifestè innuitur conjugalem societatem inter Patrem & filiam, filium & Matrem esse inordinatam, & ob hoc illicitam, quandoquidem in conjugio sanciendo, Deus non Matrem aut Patrem petendos, sed relinquendos, statuat: Ita Hugo de S. Victore lib. de perpet. Virginitat. Mariæ.

Est ergo talis conjunctio ut per illam vir in mulieris, mulier in viri corpus accipiat & retineat dominium juxta illud 1. Corinth. cap. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet sed mulier.* Ita ut existâ potestate habeant uterque jus utendi corpore a liberius, non ad quælibet, ut constat, sed ad copulam, quæ ideò dicitur actus conjugalis, seu usus potestatis conjugalis. Hoc posito.

SECTIO PRIMA.

Beata Virgo & D. Josephus exterius contraxerunt eodem modo, & cum eisdem solemnitatibus cum quibus contraherent alii istius temporis.

ILLUD saltem omninò admittendum est. Est contra nonnullos, qui ex Patribus malè intellectis docuerunt inter illos tantum fuisse sponsalia de futuro. Hoc docuit inter alios Abdias in Vitâ Sancti Bartholomæi Apostoli: ait enim expressè, Joseph desponsatam, verum minimè nuptam Mariam Virginem habebat, eam quæ sententiam non improbabilem putavit Medina lib. 5. de Continentiâ cap. 64. Vide Sanchez 2. de Matrimonio d. 28. num. 1.

Probatur primò ex Scripturis in quibus toties Beata Virgo dicitur Conjux D. Josephi, Divus Josephus Vir Mariæ; quarum veritas ut minimùm hæc viâ salvatâ

salvari debet. Probatur secundò, quor-
sum enim D. Josepho Virginem sibi
solum desponsatam dimittendi tam an-
xia sollicitudo, tam dura cogitatio,
dum inventa est in utero habens de
Spiritu Sancto Matth. cap. 1. si tunc
non erat vera ejus uxor saltem in foro
externo? quandoquidem omnibus no-
tum sit quod per simplicem fornicationem
supervenientem sponsalia nuda jure
naturæ dirimantur. Probatur
tertiò, quia dato quod tunc tantum
fuisset sponsalia de futuro matrimonio,
quando Matthæi cap. 1. Despon-
sata Mater Jesu Maria Joseph, ut vo-
lunt illi, postmodum tamen debuit esse
Matrimonium per verba de præsentem
cum ritibus publicis & consuetis, alio-
quin inter Mariam & Joseph violata
fuisset fides sponsalium: sponderant
enim matrimonium quod non contra-
xerunt. Probatur quartò, quia cum
constet ipsos post istam desponsationem
simul & sub eodem tecto toram
vitam transigisse, quomodò id potuissent
nisi conjugati sine scandalo? quod
Beatæ Virgini & Divo Josepho affricare
quis audeat nisi impius, impurus &
blasphemus? Probatur quintò, Judæi
Christi hostes jurati non cum per des-
pectum Joseph Fabri filium vocitassent,
sed potius ut ex fornicatione natum
traduxissent, si eos ante ejus nativita-
tem nupsisse non fuisset notissimum:
quod cum nunquam fecerint, facturi
si potuissent, quia illi infensissimi, sig-
num est manifestissimum eos publice
ut alii nupsisse.

VI. Objicies, Patres multi inter quos Di-
vus Epiphanius hæref. 78. S. Cyrillus
Hieros. Catech. 12. D. Hieronymus,
D. Hilarius, & Theophylactus in cap. 1.
Matth. videntur insinuare Beatam Vir-
ginem non fuisse uxorem D. Josephi,
sed ejus dumtaxat Sponsam, juxta illud
Lucæ cap. 2. ubi dicitur Joseph ascen-
disse à Galilæa in Bethleem propter
edictum Cæsaris cum Mariâ desponsatâ
sibi uxore prægnante: ergo quando
ascendit non erat Maria ejus uxor, sed
tantum desponsata, seu promissa in uxorem.
Notat præterea Euthymius Mariam à
Joseph non ad nuptias, sed ad
custodiam acceptam; quæ proinde si
aliquando dicitur uxor Joseph, tunc

nomen uxoris vel conjugis pro nomi-
ne sponsæ usurpatur.

Respondeo illos Patres ita loqui, VII.
non quod velint eos non nupsisse pu-
blice, & per verba de præsentem, cujus
oppositum adeò certum est: sed quod
nolint fuisse conjuges, ut alii, ad copu-
lam; & ut significant tam ab eis illam
abfuisse, ac si non vir & uxor fuissent:
sed simpliciter Sponsus & Sponsa re-
mansissent; quoad locum Lucæ ineptè
valde illum interpretantur objicientes,
ridiculum enim est quod solum inter
illos fuisset promissio de futuro, &
quod ille ut caput familiæ cum solum
desponsatâ seu promissâ in Matrimo-
nium, ascendisset ad profitendum &
solvendum Cæsari censum.

SECTIO II.

*An illud Matrimonium quod
exterius contraxerunt fuerit
omni ex parte verum?*

VIII.
Negare videntur primò D. Grego-
rius Nyssenus homil. de Christi
Nativitate, D. Damascenus lib. 4. de
Fide cap. 15. Nicephorus ex Evodio
lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 3. Andræas
Cretensis orat. de Dormit. Virg. Ori-
genes tract. 26. in Matth. & Theophy-
lactus in Matth. cap. 23. qui referunt
Sacerdotes post annos undecim quos
Beata Virgo in templo exegerat, con-
siliium iniisse quid de Sacra illâ Virgine
statuerent, quam audierant virginitatem
Deo vovisse: quia nec decebat, nec
usitatum erat, ut mulier jam adulta in
templo remaneret: & aliundè time-
bant alicui viro jus & potestatem in
corpus illud Deo per votum dicatum,
facere. Tandem verò divinâ inspiratio-
ne decrevisse, eam tradere nomine
desponsationis, cuidam viro ad custo-
diendam ejus virginitatem idoneo,
qualis Joseph, ex eadem cum Virgine
familiâ & Tribu inventus, existimatus
est. Ex quo infertur non fuisse verum
matrimonium, sed veluti quoddam
pactum ad mutuam tantum cohabita-
tionem ordinatum, sub nomine matri-
monii, ut Joseph B. Virgini ministraret,
ejusque virginitatis custos existeret.

G g

D. Hiero.

IX. D. Hieronymus in cap. 1. Matth. dicit Ioseph fuisse Beatæ Virginis nutricium non maritum; D. Bernardus homil. 2. in missus est: *Virum*, inquit, *nominat quia homo virtutis erat non quia maritus*. D. Chrysostomus homil. 4. in Matth. *Conjugis nomine*, inquit, *sponsum intelligit*, & homil. 5. post med. indicat inter D. Iosephum & B. Virginem non intercessisse matrimonium: quod etiam faciunt D. Greg. Magnus homil. 26. & 27. in Evang. D. Epiphanius hærel. 78. D. Ambrosius epist. 79. & lib. 2. in Lucam in principio & lib. de Inffit. Virgin. cap. 6. & 7. D. Chrysologus ferm. 157. & D. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 12. circa finem: ubi hic ultimus videtur velle non fuisse magis inter illos matrimonium quam erat inter Jacob & Rachel priusquam illam acciperet à Patre ejus Laban: ait enim. Meminimus Jacob qui priusquam acciperet Rachel dicebat ad Laban *da mihi uxorem meam*: sicut enim illic ante nuptiarum constitutionem, cum tantum promissio intercessisset, uxor Jacob nominabatur, sic & Maria propter solam desponsationem uxor Ioseph vocabatur.

X. Horum Patrum sententia his fulcitur rationibus. Prima, quia videbitur D. Iosephi & Beatæ Virginis conjunctio fuisse tantum animorum ut sibi invicem adhererent adhesionem dilectionis, & perpetuæ cohabitationis: sed, ut præmonuimus initio hujus capituli, hoc non sufficit ad verum matrimonium, ergo, &c. Secunda, quia Beata Virgo & D. Iosephus contrahendo non tantum non potuerunt habere animum & intentionem se cognoscendi carnaliter sed etiam debuerunt contrahere cum animo & conditione nunquam se cognoscendi isto modo, seu nunquam petendi & reddendi debitum; aliàs enim peccassent contra suum votum, quod est impium: sed hæc conditio est contra substantiam matrimonii & illud irritum facit, ut definit Gregorius IX. cap. final. *de condie. appof.* Ubi inter alias hanc ponit Pontifex, *Contraho tecum si generationem proles erites*, quam declarat esse contra substantiam matrimonii, quia nimirum est contraria illius fini: sed votum ser-

vandi castitatem & nunquam se copulandi est votum vitandi generationem proles; quia non se copulando vitatur proles ergo, &c. Tertia, quia in mutuo jure petendi debitum, & mutuâ obligatione illud reddendi, consistit essentia matrimonii: ex illo autem voto servandi castitatem, oritur omninò privatio juris petendi debitum, & deobligatio illud reddendi; ergo destruit matrimonii essentiam. Quarta, ad hoc ut contractus sit validus in quacumque tandem materia, debet is qui contrahit esse sui juris in illâ materiâ de quâ contrahit: sed Beata Virgo post votum castitatis non erat amplius sui juris ut dominium sui corporis transferret in alterum ad actum conjugalem, ergo non potuit validè contrahere; major est certa minor videtur evidens, quia ille est sui juris ut suum corpus transferat in dominium alterius quoad actum conjugalem, qui potest liberè de corpore suo disponere in ordine ad istum actum, sed qui vovit castitatè non potest amplius de suo corpore disponere in ordine ad istum actum, ergo &c.

His tamen non obstantibus certum est inter Beatam Virginem & Divum Iosephum verum proprium, ac ratum conjugium intercessisse: huic Evangelicæ veritati consonant Patrum testimonia, adstipulantur Scholastici omnes in 4. sentent. dist. 29. & 30. & in tertia part. quæst. 29. torquæ ac tam claris fulcitur Scripturæ locis, ut plures celeberrimi Theologi eam sententiam putent esse de fide, inter quos Gabriel à Sanctâ Mariâ Archiepiscop. Rheimensis in concionibus adventualib. sup. missus est, serm. 7. statim à principio, Suarez tom. 2. in 3 part. quæst. 29. art. 1. & 2. disp. 7. sect. 1. Fonseca Augustinianus in vitâ Christi cap. 9. Zarate et eodem ordine lib. de discursibus in materiâ Incarnationis quæst. 29. disc. 2. Petrus Morales in c. 1. Matth. lib. 2. tract. 3. n. 8. Escobar tom. 3. in Evang. lib. 2. tit. *Maria nupta* §. 8. n. 30. & alii ab iis citati.

Probatur ergo hæc veritas ex Scripturis. Primò, illis in quibus D. Iosephus dicitur vir, idest maritus Beatæ Virginis, ut Matthæi cap. 1. vers. 16. *Jacob autem genuit Ioseph virum Mariæ de quâ natus est, &c.* Et ibid. vers. 29. *Ioseph*

Ioseph autem vir ejus cum esset justus. Constat enim nomen istud *vir* junctum possessivo *ejus* attributum alicui *fœminæ*, nunquam sumi pro sponso cum quo sint tantum sponsalia seu promissiones de futuro, sed semper & ab omnibus pro sponso qui sit verè maritus: Et ratio est evidentissima, quia simplex promissio alicujus rei, non transfert eam rem in dominium & potestatem illius cui promittitur, ergo non potest dici de *fœminâ* quod aliquis sit *vir* ejus per solam promissionem de futuro, sed necessariò requiritur præter promissionem traditio, in quo stat conjugium, & distinguitur à sponsalibus.

XIII. Probatur secundò, ex illis in quibus reciprocè Beata Deipara dicitur ejus conjux & uxor & non tantum Sponsa. Matthæi cap. 1. vers. 20. *Ioseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, & Lucæ cap. 2. v. 4. & 5. *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa ut profiteretur cum Maria sibi desponsatâ uxore pregnante, uxor enim vocatur*, inquit D. Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 11. *Ex primâ fide desponsationis, quam vocat vinculum conjugale.*

XIV. Roborantur hæ duæ probationes receptissimâ Patrum, omnium Interpretum, Scholasticorum & omnium Orthodoxorum Regulâ, quæ talis est, quod Scriptura sacra semper & indispensabiliter accipi debeat in proprio litterali sensu quæ ipsa verba præ se ferunt, nisi in ipso litterali sensu aliquid absurdi appareat, quod cogat recurrere ad sensum metaphoricum & translativum: sed hæ Scripturæ matrimonium verum, maritum & uxorem veram significant primò & per se; nec in illo sensu ullum inconveniens aut absurdum, ut patebit ex solutione argumentorum contrariorum: ergo illa de vero matrimonio, de vero ac propriè dicto marito, verâ ac propriè dictâ conjugè, intelligendæ.

XV. Probatur tertio, nec minus efficaciter ex illis Scripturis in quibus Divus Iosephus dicitur Pater Christi, ac primò quidem à Judæis, quia ab illo eum genitum hi putabant: Decipiebantur quidem in eo quod eum putabant Patrem generatione, sed quate talem pu-

tabant, nisi quia sciebant D. Iosephum Christi Matrem duxisse uxorem? neque enim cogitandum est Christum existimatum ab illis spurium filium Iosephi, aut illegitimè natum: Nec fuisset satis consultum generationi Christi legitimæ, nisi tali modo Beatæ Virgini aptatus fuisset D. Iosephus, ut filius ex eâ genitus legitimus credi posset, non potuisset autem nisi fuisset maritus Divus Iosephus.

Secundò, à Beatâ Virgine ita appellatus est Lucæ cap. 2. vers. 48. *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*: Ita à Sancto Spiritu per Evangelistam Lucam eodem cap. 2. v. 33. *Erat Pater eius & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.* Ibidem v. 27. *Cum inducerent puerum Jesum Parentes eius, idest Ioseph & Maria.* Vers. 41. *Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in solemnibus die Paschæ.* vers. 43. *Remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognoverunt parentes eius.* Quod nomen licet ei competere non possit titulo generationis, uti putabant ex deceptione Iudæi, potest tamen ei competere titulo matrimonii initi, & existentis cum Virgine Matre ejus, eo tempore, quo in eâ conceptus est, ut videbimus Tract. seq.

Probatur quartò, ex verbis quibus ipsa eorum desponsatiò exprimitur in Scripturâ Matthæi cap. 1. vers. 18. *Cum esset desponsata Mater IESU Maria Ioseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*, ubi manifestè innuit Evangelista Mariam tunc sic fuisse Iosepho desponsatam, ut quantum est ex parte vinculi honestè convenire potuissent, quod non fecerant: Atqui copula non potest sequi ex solis sponsalibus, sed ex solo conjugio vero: Ergò fuit tunc inter illos conjugium verum. Item Lucæ cap. 2. vers. 4. & 5. *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de Civitate Nazareth, &c. ut profiteretur cum Maria sibi desponsatâ uxore pregnante.* Ex quo loco manifestum est quod talis erat tunc desponsatiò quæ Mariam fecerat Iosephi uxorem. Vide supra Section. præced. num. 7.

Probatur quintò & ultimò efficacissimè ex Genealogiâ Christi Domini ductâ ab Abraham usque ad Iosephum:

G g 2

Cùm

Ioseph

Genealogia

D.

Iosephi

SV

111

Cum enim Evangelista non per Mariam, sed per Iosephum ducat Christi Genealogiam, & probare intendat verum Christi descensum ex Abraham & Davide secundum carnem, quomodo scopum attingeret, si Divus Iosephus non fuisset saltem Vir seu Maritus verus Mariæ Matris Christi? Quod si dicas sufficere quod fuerit Vir Mariæ secundum vulgi opinionem: Respondeo negando, quia ut Christus probetur verè Messias & Rex Iudæorum, non sufficit quod secundum vulgi opinionem tantum descendat ex Abrahamo & Davide, sed debet ostendi vere ex illis descendere, quod non fieret nisi Ioseph esset verè Maritus Virginis.

SECTIO III.

Idem probatur ex Sanctis Patribus.

XIX. **H**UIC veritati quæ in Scripturâ hædeò clara est, quomodo non ad stipularentur Sancti Patres? illos ergo audiamus, ac primò quidem D. Ambrosium lib. de Instit. Virgin. cap. 5. ubi ait: *Desponsata viro Mater Domini, conjugis nomen accepit: Cum inicitur conjugium, tum conjugii nomen assequitur: non enim defloratio virginittatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Cum jungitur puella, conjugium est, non cum virili commixtione cognoscitur: Idem lib. 2. in Luc. cap. 1. post medium. Non te moveat quod frequenter Mariam scriptura vocat conjugem: non enim virginittatis ereptio, sed conjugii testificatio, & nuptiarum celebratio declaratur. Vide eum quoque epist. 79.*

XX. Secundò, & maximè maximum omnium D. Augustinū. Primò, lib. de bono conjugali cap. 3. ubi verum agnoscit & fateri matrimonium etiam inter illos qui procreationem liberorum nõ quærunt, nec sperant, solâ interim animi conjunctione contenti. Idem lib. 23. contra Faustum Manichæum cap. 8. toto quod hîc transcribo. *Quid ergo jam moveat sancti Evangelii sectatorem, quod sine concubitu Ioseph Christus natus ex Virgine, filius tamen David appellatur,*

cum generationum seriem non usque ad Mariam, sed usque ad Ioseph Matheus Evangelista perducatur? Primò, quia mariti ejus fuerat, propter virilem sexum, potius honoranda persona: neque enim quia concubitu non permixtus, ideo non maritus, cum ipse Matheus narret ab Angelo Mariam conjugem ipsius appellatam, qui narrat quod non ipsius concubitu sed de Spiritu sancto conceperat: Quod si non Matheus Apostolus ista vera, sed alius alius sub ejus nomine (sicut Manichæi putant) ea falsa conscriberet, itane sibi etiam ipse in rebus apertissimis, & tam de proximo contextis, contraria loqueretur, ut quem diceret David filium de Mariâ Virgine sine cuiusquam viri concubitu natum, eiusdem parentes gradatim enumerans, usque ad eum sine aliquâ ratione perduceret, quem non commixtum Mariæ ipse dixisset? si enim alius enumeraret progenitores Christi à David usque ad Ioseph, dicens eum filium David; & alius eum sine ullius viri concubitu ex Mariâ Virgine natum diceret, nec eum filium David appellaret, nec sic continuo putari deberemus eos sibi hæc contraria locuti fuisse, ut vel ambo vel unus eorum falsitatis convinceretur: Cogitare enim deberemus fieri potuisse ut ambo vera dicerent: ut & Ioseph Maritus Mariæ diceretur habens eam coniugem continenter, non concubitu, sed affectu, non commixtione corporum, sed copulatione (quod carius est) animorum; & ideo non debuisset virum Virginis Mariæ Christi separari à serie parentum Christi: & ipsam Mariam aliquam de stirpe David venam sanguinis ducere, ut caro Christi etiam ex virgine procreata, sine David semine esse non posset. Cum verò unus idemque narrator utrumque dicat, utrumque commendet, & virum Mariæ Ioseph, & Christum virginem Matrem, & Christum ex semine David, & Ioseph in serie progenitorum Christi ex David: quid restat ut credat, qui mavult Evangelio, quam hæreticorum fabulis credere? nisi & Mariam non fuisse extraneam à cognatione David, & eam Iosephi coniugem, & non frustra appellatam, propter ordinem sexus, & animorum consederationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus: & Ioseph potius propter dignitatem virilem ab ordine generationum illarum non fuisse separandum,

randum, ne hoc ipso videretur ab illa feminâ separatus, cui eum coniungebat mentis affectus: & ne homines fideles Christi, id quod sibi conjuges carne miscerent, tam magnum in coniugio deputarent, ut sine hoc conjuges esse posse non crederent: sed potius discerent fidelia coniugia, multo familiarius se adhaerere membris Christi, quanto potuissent imitari parentes Christi.

XXI. Idem lib. 2. de Consensu Evangelistarum cap. 1. ubi reddens rationem cur Matthæus exequendo humanam Christi generationem, ab Abraham generatores producit usque ad Ioseph virum Mariæ, de qua natus est IESUS, ait: Neque enim fas erat ut hoc eum à coniugio Mariæ separandum putaret, quod non ex eius concubitu, sed virgo peperit Christum: Hoc enim exemplo magnificè insinuat fidelibus coniugatis, etiam servatâ pari consensu continentia, posse permanere, vocariq; coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.

XXII. Idem term. 63. de divertis cap. 10. Altera illorum calumnia est: per Ioseph, inquit, generationes Christi, & non per Mariam numerantur. Attendat paulisper sanctitas vestra Non, inquit, per Ioseph debuit. Quare non debuit per Ioseph? Nunquid non erat maritus Mariæ Ioseph? non, inquit. Quis hoc dicit? Scriptura enim dicit Angelicâ Authoritate quod maritus erat. Noli timere, inquit, accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in illâ natum est de Spiritu sancto est. Et quoque iubetur ut puero nomen imponat quamvis non de semine suo nato. Pariet, inquit, filium, & vocabis nomē eius IESUM. Sed hoc intendit Scriptura quod nō sit natus de semine Ioseph, cum sollicita unde esset illa gravis utero, dicitur de Spiritu sancto est: & tamen paterna ei non aufertur authoritas, cum iubetur puero nomen imponat. Denique & ipsa Virgo Maria sibi bene conscia, quod non ex eius complexu, & concubitu conceperat Christum Dominum: tamen Patrem Christi dicit: Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

XXIII. Idem lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 11. Quibus verò placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut inters illos vin-

culum conjugale rumpatur: imò firmitus erit, quo magis ea pacta secum inierint, qua charius, concordiusq; servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Ioseph, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: coniux vocatur ex primâ fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commixtio. Erat quippe illa Virgo, idè & sanctius & mirabilius iucunda suo viro, quia etiam fecunda sine viro, prole dispar, fide compar. Propter quod fidele coniugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solum illa Mater, verum etiam ille Pater eius, sicut coniux matris eius, utrumque mente, non carne. Deinde post nonnulla. Sed cum illo non seminante illa peperisset, profectò nec ipsius forma ser vi parentes ambo essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione coniuges essent: unde & series generationum cum parentes Christi connexionem successione commemorantur, usque ad Ioseph potius, sicut factum est, fuerat perducenda, ne in illo coniugio virili sexui, utique potiori, fieret injuria, cum veritati nihil periret, quia ex semine David, ex quo venturus prædictus est Christus, & Ioseph erat & Maria: Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum: prolem cognoscimus ipsum Dominum IESUM: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divorcium.

Vide iterum eundem Sanctam Patrem lib. 5. contra Iulianum, qui negabat matrimonium inter D. Iosephum & Beatam Virginem, ubi cap. 9. susè docet jus matrimonii nō pugnare cum Religione & voto castitatis. Et rectè, ex matrimonio quippe habeo jus in corpus uxoris, sed ex voto non possum eo licite uti: si utor pecco contra votum, non contra fidem matrimonii, idèst facio actum irreligiosum, sed non committo adulterium.

Tertio, Hugo de S. Victore qui suo seculo alter Augustinus dici meruit lib. de perpet. Virginit. Mariæ apud Canisium lib. 2. de Maria Deiparâ cap. 11.

Gg 3

§. Caterum

no ples
generatio
D.
Ioseph
SV
111

§. Ceterum non exigam hallucinandi causam, ubi sic Hugo. Suscepit ergo conjugium, sed non mutavit virginitatis propositum: de virginitate siquidem ejus, hoc pie fides & pietas fideliter conficitur quod ejus perfectionem non imminuit conjugalis consensus, sicut ipsius castitatem non violavit conceptus, nec integritatem abstulit partus. Spontaneus enim consensus inter virum & feminam legitime conjunctos, quo uterque alteri debitorem sui se spondet, iste est quo conjugium est, ipsa videlicet societas tali consensu federata, quae altero vivente, alterum ab altero non dissolvit. Est & alius consensus, commercii videlicet carnalis ad invicem exigendi atque reddendi, similiter inter virum & mulierem constituens pactionem, comes, non effectus conjugii, officium, non & vinculum: qui & ipse cum utroque pari voto suscipitur, pari etiam necesse est debito teneatur. Sed hujus debiti necessitas illos conjugatos sibi ad invicem non subjicit, in quibus dum conjugium contraheretur, vel sanciretur, hujus operis consensus non praecessit. Nec tamen hoc officio cessante veritatem seu virtutem conjugii cessare credendum est, imò potius tantò verius ac sanctius conjugium esse, quo in solo charitatis vinculo, & non in concupiscentiâ carnis, & libinis ardore federatum est. Quid enim? in concupiscentiâ carnis conjugium sanctum esset, & in charitate non esset? Absit: sed multò verius & iustius ibi sanctum & verum dicitur ubi nihil habet castitas unde erubescat, sed charitas unde gloriatur. Hæc ille profundè & subtiliter.

XXVI. Accedit Phœnix Theologicæ Scholæ D. Thomas Aquinas. 3. part. quæst. 29. art. 2. in corpore, ubi sic S. Doctor, Dicendum quod matrimonium sive conjugium dicitur verum ex hoc, quod suam perfectionem attingit: duplex est autem rei perfectio, prima, & secunda: Prima consistit in ipsâ formâ ex quâ speciem sortitur: Secunda verò, perfectio consistit in operatione rei, per quam res aliquam suam finem attingit. Forma autem matrimonii consistit in quâdam indivisibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum, indivisibiliter alteri fidem servare tenetur: finis autem matrimonii est proles generanda & educanda, &c. sic igitur dicendum, quod quantum ad pri-

am perfectionem, omninò verum fuit matrimonium Virginis Matris Dei & Ioseph: unde & Angelus vocat Mariam coniugem Ioseph dicens: Math. cap. 1. Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quantum verò ad secundam perfectionem, quæ est per actum matrimonii, si hoc referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud matrimonium consummatum.

Tandem, quod his omnibus prævaleret, talis est Ecclesiæ sensus. Quid enim sibi vult hoc quod illa quæ in antiquis Breviariis invenit, Beata Mater & in nupta Virgo gloriosa Regina mundi, &c. in recentioribus abstulit hanc vocem in nupta & reposuit sic Beata Mater & intacta Virgo gloriosa Regina mundi, ut observavit Salméron tom. 3. de Infantia Salvatoris Tract. 29. voluit nimirum per hoc ostendere, falsum esse quod non fuerit nupta: non tamen ex suis nuptiis affectam ut esset Mater, quippe quæ intacta permanferit.

SECTIO IV.

Idipsum probatur rationibus.

Putant aliqui evadere difficultatem omnem, dicendo verum intercessisse matrimonium, sed illud fuisse contractum antequam emitterent votum continentie saltem absolutum: sic enim potuisse ab illis dari consensum in copulam saltem implicitum & tacitum, quem existimant ad matrimonium essentialiter requiri, quod non potuissent sine peccato, si voto saltem absoluto ligati fuissent absque speciali Dei dispensatione. Ita inter illos Gamachus in 3. part. D. Thom. de matrimon. Sacram. cap. 9.

Sed etsi cum voto absoluto consensus in copulam dare queat nemo: non potest etiam quisquam, licet sine voto, eundem consensum dare & simul virgo mente permanere, ut patet: vel ergo consensus in copulam non est necessarius ad matrimonium, & sic cum voto suo nubere potuerunt: vel si requiritur non potuerunt etiam sine voto nubere & virgines mente permanere. Sed tunc quomodo potest saltem de Virgine dici quod consentit in copulam

copulam, quæ potius elegisset Mater Dei non esse; quàm virginitatis jacturam facere? Certè mihi manifestum est Beatam Virginem quando contraxit, non aliter id fecisse, quàm adjectâ expressè conditione de servandâ perpetuâ virginitate, in quam D. Josephus prius consensit: impossibile autem est quod fuerit simul & semel dissensus expressus à copulâ & simul consensus implicitus in illam. Quare maneat doctrina nostra ante tradita, Divam Virginem ac Divum Josephum ante nuptias vovisse continentiam, & interim verum inter illos extitisse matrimonium: quod ut planius fiat.

XXX. Nota. Primò, quatuor potissimum in matrimonio reperiri. Primò, mutuum consensum & externum contractum, quo sibi mutuò conjuges potestatem & jus in corpus tradunt. Secundò, id quod resultat ex isto consensu & contractu; scilicet vinculum matrimonii, deinde mutua obligatio ad reddendum debitum, & jus quod est in unoquoque ad illud petendum. Tertiò, mutua cohabitatio conjugum cum mutuis obsequiis in eadem domo. Quartò, denique est matrimonii usus: Ex his primò, nec consensus internus, nec externus contractus sunt id in quo matrimonii essentia sita est: sunt enim tantùm causæ quæ efficiunt matrimonium. Ita D. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 2. querela 1. ad 2. & Sanchez lib. 2. de matrim. d. 1. n. 8. Non secundò, mutua cohabitatio conjugum cum mutuis obsequiis in eadem domo, quia hoc est quid extrinsecum & consequens matrimonium, quod nec est necessarium ad matrimonium, & esse potest ubi non est matrimonium: ut inter Patrem & filiam, filium & matrem, fratrem & sororem, &c. Non etiã tertio, in matrimonii usu, cum Apostolus 1. Cor. cap. 7. velit eos qui habent uxores esse tanquam si non haberent, & ex Concilio Trident. Sess. 24. matrimonium ratum & non consummatum sit verum matrimonium: tandem quod copula in quâ consistit usus matrimonii sit illicita & abominabilis quam non præcedit matrimonium. Denique quod usus alicujus rei necessariò supponat rem cujus est usus.

Restat ergo ut in solo secundo puncto præfata divisionis sita sit essentia matrimonii: scilicet vel in vinculo Matrimonii, quod resultat ex consensu interno & contractu externo, vel in mutuo jure petendi & mutuâ obligatione reddendi debitum: non in mutuo jure petendi nec in mutuâ obligatione reddendi, quia in adulterio alterius conjugum, vel in communi ingressu & professione Religionis, cessant hæc, perseverante matrimonii vinculo, ergo restat ut in solo vinculo sit essentia matrimonii.

Nota secundò, sicut in agris & aliis XXXII. rebus quæ usu non consumuntur, ita in matrimonio duplex distingui dominium, unum directum quo mulier efficitur propria uxor viri, vicissimq; vir mulieris, ita ut jam neuter alteri quamdiu prior vivit ullâ ratione se validè in conjugem tradere possit: quod inde oritur, quia perseverat illud vinculum, pet quod uterque conjugum alteri fidem conjugalem inviolabiliter servare tenetur, in quo posita est ratio & essentia matrimonii: Est & alterum dominium in matrimonio quasi utile, quod situm est in usufructu sive in libero & expedito jure ad utendum.

Jam verò etsi conjuges utrumque XXXIII. dominium corporum sibi invicem soleant transferre, minimè tamen repugnat essentia matrimonii quin paciscantur sic inter se, ut prius dominium cedant, secundum non, sed voto se obligent Deo eo nunquam utendi: quemadmodum enim in agris, &c. dominium directum potest separari ab utili seu usufructu, ita ut illud sine hoc tradi possit: ita in matrimonio cum hæc tamen differentia, quod in matrimonio, non possit, ut in agris, dominium utile corporis transferri in alium hominem aut mulierem ab illis in quos translatus est illius dominium directum; cujus differentia ratio est, quia usus corporis ad copulam, non est licitus nisi inter eos in quibus est dominium directum illius.

Nota tertio, obligationem ad reddendum debitum similiter esse duplicem, actualem unam, quæ ex se non potest stare cum voto continentiaæ absolute: quia hoc votum includit obligationem

no p l s

genaliu
D.
Septu
SV
at

gationem contrariam abstinendi ab omni copulâ; & hæc obligatio à matrimonio abesse potest, nec ullo modo adfuit in Conjugio Divi Josephi cum Beatâ Virgine. Alteram, quæ vocari potest aptitudinalis seu radicalis ad reddendum illud debitum, sine quâ nullo modo matrimonium esse potest, quæque manet etiam post sublatam præcedentem illam obligationem actualem reddendi debitum: Nam si ritè tolleretur illa actualis deobligatio per dispensationem Dei, illicò sine ullo alio addito confurgeret utrimque ex hac obligatione radicali potestas & obligatio actualis ad reddendum debitum. Sicut verbi gratiâ, in conjugio adultero tollitur jus petendi, & in altero innocente obligatio reddendi debitum non radicalis, sed actualis; & post remissionem ab offenso injuriam, absque alio addito, reviviscit statim in adultero jus petendi, & in uxore actualis obligatio reddendi.

XXXV. Nota quartò, quod Beata Virgo (idem dicendum de Divo Josepho) in radicalem illam obligationem omninò consentire debuerunt quando inter se contraxerunt saltem implicite, propter contractum, qui illam obligationem essentialiter involvit, & simul & semel ab actuali dissentire propter votum, cum quo actualis obligatio repugnat, non illa radicalis. Proindè contractus matrimonii celebratus sub expressâ conditione quod non tenebuntur conjuges se copulare, validus est, secùs verò si tollere vellent etiam radicalem illam obligationem, cum hæc sit de essentiâ matrimonii, non item illa. His positis probatur nostra sententia.

XXXVI. Quia nonobstante voto potuerunt Beata Virgo & D. Josephus illud torum quod essentialiter requiritur ad matrimonium: ergo, &c. Probatur antecedens, quia matrimonium essentialiter & proximè consistit non in copulâ, ut dictum est sæpè, ergò in dominio & jure in corpora ad usum: hoc autem potest transferri, & esse non tantùm sine usu, sed etiam sine expeditione ad eum usum, seu absque potestate proximâ ad petendum, & absque obligatione actuali ad reddendum debitum, ut pa-

ter ex dictis in notandis.

Neque dicas quod quamvis conditio de vitandâ ex voto copulâ non repugnet dominio in corpora translato, repugnat tamen dominio transferendo: quemadmodum impedimenta dirimentia irritant matrimonium quâdo illud antecedunt, non verò quando illi jam contracto superveniunt. Respondeo enim quod quando est aliquis defectus in causâ efficiente, à quâ effectus dependet solùm in fieri, non verò in facto esse seu conservari, ille defectus efficit, ut non possit fieri effectus, non verò illum jam productû destruit: quia nimirum effectus in hoc casu non pendet à causâ in facto esse, sed tantùm in fieri: unde fit quod cum impedimentum dirimens matrimonium sit defectus in causâ efficiente, nempe in contrahentibus eos inhabilitans ad matrimonium, & ab eis matrimonium tantùm dependeat in fieri, non verò in facto esse; propterea defectus ille irritat faciendum, non factum. Quando verò est defectus repugnans essentiæ rei, cum ille repugnet rei in facto esse, repugnat etiam eidem in fieri: nam essentialiter rei eadem est quando fit, & quando est: quia ergo prædicta conditio de vitandâ copulâ ex voto, si esset defectus, non esset defectus in causâ, sed in ipsâ rei essentiâ, repugnaret ei in facto esse, æquè ac in fieri: cum ergò non repugnet ei in facto esse, stat enim matrimonium jam contractum cum istâ pactione de servandâ continentia, seu vitandâ copulâ, ergò non repugnabit etiam matrimonium in fieri cum illâ.

Instabis, omnis contractus ad sui validitatem requirit consensum in illud objectum, circa quod primò & per se versatur, atqui matrimonium est contractus, qui per se primò naturâ suâ ordinatur ad prolis generationem, quæ non fit nisi per copulam, ergo requirit consensum in prolis generationem & copulam: undè consequens est, quod si inter Deiparam & Josephum verum intercesserit matrimonium, debuerit etiam in illis esse consensus in generationem & copulam. Quod si factum est, ergo illi saltem animo & mente casti esse desierunt; hoc quæ ipsum est quod

quod docent Centuriatores Magde-
 burgenſes Centuriâ 1. lib. 2. cap. 10.
 his verbis. *Evangelista certò affirmant
 Mariam Iosepho in Coniugem fuisse despon-
 ſatam: unde liquide constat, ita utrumque,
 Ioseph & Mariam fuisse affectum, ut
 statuto tempore, more aliorum coniugum,
 voluerint liberos dante Deo procreare.*
 O quàm gauderent novi hi Sanctæ Ca-
 ſtitatis hoſtes, his caſtiſſimis Coniugi-
 bus hanc ſaltem carnalis commercii
 appetitionem affingere, ut hoc vela-
 mine ſuas ſordes tegere & defendere
 poſſent!

XXIX. Reſpondeo ad minorem, Matri-
 monium primò & per ſe non verſari
 circa procreationem proliſ quæ fit per
 copulam, ſed circa translationem do-
 minii corporis, unde debuerunt habe-
 re; ſufficitque quod habuerint con-
 ſenſum in translationem iſtius domini-
 ii: hic autem conſenſus cum poſſit eſſe
 conſenſus domini non expediti ad
 actum, ſed ligati & perpetuò impedi-
 ti per votum & nolitionem expreſſam
 iſtius actus conjugalis, conſtat eviden-
 ter quod non repugnet virginitati in-
 tegerrimæ, quia talis conſenſus nihil
 eſt aliud quàm conſenſus in nudum
 purumque dominium: Cum ergò
 iſtud dominium ſeu jus per ſe, & præ-
 ciſum ab aliis, nullo modo lædat vir-
 ginitatem aut illius votum, ergo nec
 etiam conſenſus in illud jus ſeu domi-
 nium.

XL. Sed cum matrimonium naturâ ſuâ
 ordinetur ad generationem proliſ, ad
 quam neceſſaria eſt copula, neceſſa-
 rius eſt ergò in contrahentibus aliquis
 conſenſus in copulam, ut docent om-
 nes: Sed quomodò potuerunt Divus
 Iosephus & Beata Deipara in copulam
 conſentire, & Virgines permanere?
 Reſpondent aliqui eos conſenſiſſe in
 illam, non abſolutè, ſed tantum con-
 ditionally, ſi alter conjux peteret,
 quem tamen per revelationem certò
 didicerant nunquam petiturum. Vide
 Magiſtrum ſententiarum in 4. diſt. 30.
 §. *premiſſis*. Scotum ibid. quaſt. 2. Sed
 hoc non placet, quia non potuerunt
 in carnalem copulam conſentire ſub eâ
 conditione, quia poſito voto abſoluto
 non potuerunt habere animum red-
 dendi debitum ſi peteretur ſine pec-

cato, & aliud ex parte Virginis ſigni-
 ficant verba illa ejus ad Angelum, *Quo-
 modo fiet iſtud? quoniam virum non
 cognoſco.*

Reſpondent ſecundò alii, primò
 Deiparam poſt votum accepiffe volun-
 tatem Dei eſſe ut nuberet: Secundò,
 ob id nupſiſſe nunquam aliàs factura.
 Tertio ideò nubendo votum ſuum di-
 vina diſpoſitioni commiſſiſſe, quia non
 obſtante voto quantumvis ſolemni ex-
 cipitur ſemper autoritas majoris ma-
 ximè Dei. Ita noſter Bacchoniſ in 4.
 diſtinct. 31. quaſt. unic. art. 3. Sed pri-
 mò obſtat illud ejusdem Virginis poſt
 nuptias ad Angelum, *Quomodo fiet iſtud
 quoniam virum non cognoſco?* Secundò,
 ſi admittitur quod Deus revelavit Vir-
 gini velle ſe ut nuberet, cur non etiam
 quod ejus virginitas futura erat in tuto
 cum Divo Iosepho ejusdem propoſiti
 cum illâ? quod ſi & hoc ei revelatum,
 quæ neceſſitas fuit Virgini cogitandi
 de copulâ dum nupſit? Immò eut hoc,
 niſi ut illa ad matrimonium, à quo ab-
 horrebat, ſuſcipiendum confortate-
 tur ex fide certâ de voti ac virginitatis
 ſuæ, quam tanti faciebat, in eo matri-
 monio ſecuritate? Quomodò igitur
 tunc potuiſſet cogitare & conſentire
 in copulam, quam Deus revelaverat
 non futuram, ut non amplius à matri-
 monio abhorreret? Et hanc empha-
 ſim habere videntur verba præſata il-
 lius ad Angelum *quomodo fiet iſtud?* id-
 eſt quod concipiam & pariam, *quia
 virum non cognoſco*: ex quo ſcilicet voti
 & mihi à Deo promiſſum eſt dum vo-
 luit me nubere pudicitiam meam à vi-
 ro meo non labefactandam. Ergo om-
 ninò dicendum matrimonium eo ani-
 mo utrumque ſuſcepiffe, Mariam & Io-
 ſephum, quo Deus revelans illud ab eâ
 & hoc volebat, id eſt cum expreſſâ con-
 ditione virginitatis ſervandæ, & cum
 nudâ & ſimplici translatione domini-
 ii, non uſus.

Quare dico Beatam Virginem & Di-
 vum Iosephum nec explicitum, nec
 implicitum habuiſſe conſenſum in co-
 pulam quantum eſt ex parte contra-
 hentium, quomodo enim illi poſſent
 dici vel implicitè conſenſiſſe in copu-
 lam, à quâ explicitè & formaliffimè ita
 diſſentiebant, ut non tantum eâ abſti-

Hh

nerg

noſtis

genaliu
 D.
 Ioseph
 sv
 ut

XLI.

XLII.

XLII,

nere voverint, sed etiam Beata Virgo parata esset potius renunciare Maternitati Dei, quam suae virginitati, ut ex ejus verbis ad Angelum toties patuit? nec etiam ullus ex istis consensibus fuit necessarius ex parte contrahentium ad validitatem matrimonii non explicitus, cum ad nullum contractum requiratur, ut patet in eo qui contrahit juxta leges & consuetudines loci quas ignorat: non etiam implicitus, nam si ille esset necessarius nunquam sine eo valide matrimonium contrahi posset, cujus tamen contrarium patet ex cap. *Commissum de Sponsalibus*, ubi Alexander II. cuidam mulieri, quae sub jurata fide promiserat alicui se illi intra biennium nupturam, quae postea facti poenitens, vovit Religionem ingredi, suadet ut propter reverentiam juramenti prius matrimonium contrahat, & postea ante illius consummationem Religionem ingrediatur, quod fecit: Quae certe non potest dici ullum ex parte sui habuisse animum copulae, cum nupserit cum animo expresso servandi perpetuam virginitatem, & intrandi statim matrimonio celebrato Religionem.

XLIII. Dico tamen etsi ex parte contrahentium nullus fuerit consensus in copulam, nec explicitus, nec implicitus, quia non est necessarius, fuit tamen implicitus ex parte contractus. Ratio est, quia matrimonii contractus essentialiter involvit corporum potestatem in alterum translata: sed haec mutua corporum translata potestas, respicit copulam, non quidem futuram, sed possibilem tanquam terminum essentialem, & transcendentalem suum, quem etiam in obliquo importat: ergo qui contrahit, censetur vi contractus implicitè seu indirectè consentire in copulam, non futuram, ut dixi, sed possibilem.

XLIV. Neque potestas haec in corpus per conjuges invicem translata, voto ligata & impedita potest dici frustranea: quia primò qui illam transfert duplicem contrahit obligationem, primò nullam aliam ducendi: Secundò, quantum est ex vi translatae seu concessae potestatis, manendi obligatum ex justitià ad reddendum debitum, dixi ex justitià, quia

possunt perpetuò manere impediti ad petendum & reddendum ratione voti Castitatis ex virtute Religionis quae praevalet: Quae obligatio realis est quandoquidem accedente solà voti dispensatione & Dei voluntate, usus potestatis fieret licitus, & sine illà dispensatione si se mutuo cognoscerent, non committerent fornicationem vel adulterium, sed sacrilegium; si alium, vel aliam, adulterium sacrilegum. Et ex eà acquirunt etiam duo bona: primò, ut teneantur sibi invicem ad mutua conjugatorum obsequia: Secundò, ut si Deo volente supernaturaliter proles ex tali matrimonio prodiret, quemadmodum contigit in hoc Divi Josephi cum Virgine, talis proles utriusque esset.

Dices, ergo nec frustranea erit potestas utendi corpore conjugis physice impotentis ad generandum: quid enim refert an impedimentum proveniat à causâ physicâ, an à morali, cum utrumque aequè prohibeat ne conjux possit uti corpore sibi tradito? Ergo poterunt isti quoque, si utriusque nota sit impotentia, contrahere validum matrimonium, non minus quam voto perpetuo castitatis impediti. Respondeo, dispar est ratio de his & impeditis voto castitatis, nam in illis copula conjugalitatis non est possibilis quam respicit essentialiter potestas conjugalitatis tanquam terminum suum transcendentalem, in his autem est possibilis, imò accedente solà voti dispensatione, licita & actualis futura.

SECTIO V.

Solvuntur Argumenta in contrarium adducta Sectione secundâ.

AC primò, quidem ad Patres ibi XLIII primò loco citatos, idest num. 8. Respondeo nihil facere contra nos: Aiunt enim illi expressè Beatam Virginitatem ex divinâ inspiratione traditam Josepho nomine desponsationis, per quam non potest intelligi nisi conjunctio matrimonialis: quomodo enim per

no p[er]is

per sola sponsalia potuissent ab illo retineri perpetuo custodiendâ?
 XLVII. Ad alios Patres num. sequenti ibidem adductos, Respondeo D. Josephum dici ab illis sponsum non maritum, vel Beatam Virginem sponsam non uxorem, non quod absolute negent illum fuisse maritum, hanc uxorem, & inter eos verum fuisse matrimonium, sed ut significent non pervenisse ad conjugalem congressum, qui non facit matrimonium, sed sequitur.

XLVIII. Quoad sanctum verò Cyrillum Hierosolymitanum Carech. 12. in particulari, Respondeo esse prudenter intelligendum, non enim ab eo affertur istud exemplum de Rachele & Jacob quod velit non aliter fuisse Mariam Josepho desponsatam quam erat tunc Rachel Jacobo, contrarium enim est nimis ex Evangelio clarum, sed ut ostendat, quod si Rachel propter solam promissionem vocata est uxor Jacob, quanto magis Beata Virgo vocanda erit uxor Josephi cui desponsata fuit, licet inter illos nunquam copula esse debuerit: & si aliud vellet Cyrillus, ab eo recedendum foret in hoc casu, ut adhareamus aliis verius rem interpretantibus.

LXIX. Ad primum argumentum à ratione Respondeo negando majorem, nam D. Josephi & Sanctissimæ Deiparæ conjunctio fuit maritalis, cum translatione domini in corpora, licet cum expressâ conditione de non utendo.

L. Ad secundum Respondeo admit- tendo majorem. Ad minorem & auctoritatem Gregorii IX. vel ea conditio vitandi prolem apponitur ut absit à contractu obligatio radicalis proliis procreandæ, vel actualis tantum: si primum, est contra substantiam matrimonii, & illud nullum reddit, ac de hoc intelligitur Pontifex: si secundum, adhuc distinguo: vel enim apponitur ea conditio vitandi prolem modo illicito, vel modo licito, v. c. ex causâ Religionis votum continentia emittendo: si primo modo adhuc irritat, non si secundo: Ratio est quia hæc sola obligatio ad vitandam prolem modo illicito est impossibilis cum obligatione radicali ortâ ex matrimonio: Nam sicut licitè vitare pro-

lem non petendo debitum & aliis modis etiam positivis, ut sanguinis emissionem propter necessitatem, & non reddendo quando id licitè fieri potest, non est contra obligationem ortam ex contractu matrimonii in illo qui evitat, & consequenter neque contra dominium quod est in altero: ita etiam sublatio juris proximi ad petendum, & obligationis proximæ ad reddendum illud debitum per media licita (ut est votum) quibus proles impeditur, non est impossibilis cum obligatione radicali ortâ ex matrimonio: & à contrario obligatio ad eam vitandam per media damnata & illicita est incôpossibilis cum eadem obligatione radicali.

Respondent alii secundo, quando ea conditio eo animo apponitur ut non possit conjux ex justitiâ actum conjugalem petere, & alter reddere, destruit matrimonium, quod consistit essentialiter in potestate petendi ex justitiâ: non verò quando apponitur ut ex aliâ virtute, puta Religionis & castitatis non possit actus conjugalis peti: quia sola deobligatio reddendi debitum ex justitiâ, directè opponitur dominio in corpus per consentium matrimoniale tradito, non autem deobligatio orta ex voto, quo se Deo voverunt: Quia verò talis conditio ut plurimum præsumitur apponi animo se deobligandi ex justitiâ à redditione debiti, jam excluditur ab Ecclesiâ uti contraria essentiæ matrimonii; unde Meratius tract. de Matrim. disp. 1. sect. 2. docet quod si juvenis quispian castitatem Deo voverit, idemque puella quædam fecerit, & id alter ab altero factum certò postea resciat, possunt illi non modò validè, sed etiam licitè cum hac scientiâ matrimonium inter se contrahere, dummodò permanent in firmo proposito servandæ castitatis, nec exponant se periculo violandî, quod ultimum cum sit difficillimum non id leviter faciendum aut consulendum, nisi vel Deo revelante vel specialissimè inspirante ut contigit Sanctissimæ Virgini & ejus sponso castissimo D. Josepho.

Unde sequitur quod iterum supra monuimus, si maritus jus habens in uxorem, sicut præfertur per votum

H h 2 ligatum

LI

LII

genabiu
D.
Josephu
SV

ligatum, eo nihilominus utatur, & carnaliter uxori copuletur, peccabit quidem contra religionem rationi voti violati at non peccato fornicationis contra castitatem, quia jus habet & quidem strictæ justitiæ exercendi illum actum, qui proinde fornicarius esse non potest, quandoquidem ex illo jure est, & ei in conjugii statu per se licitus, & si illicitus, non aliunde quam ex vinculo voti, quod ligat, non tollit jus istud.

LIII. Sed Quæres cur non possint conjuges etiam ex justitiâ se deobligare à petitione & redditione debiti? Ratio dubii est quod etsi nequeant conjuges de potestate & jure exigendi pro suâ libertate disponere, cum in hoc consistat essentia matrimonii, quam non possunt contrahentes dissolvere, possunt tamen de ipso actu conjugali cum hic maneat perfectè subjectus libertati contrahentium, cui proinde renunciare posse videntur salvo jure & potestate.

LIV. Respondeo non posse conjuges ab hoc se ex justitiâ deobligare etsi possint ex voto aut aliâ virtute: ratio est, quia actus conjugalis per modum termini essentialis, ex justitiâ debetur conjugi vi potestatis quam accipit in conjugem per matrimonium: unde cum non possit renunciare juri & potestati quam habet in corpus conjugis, nequit etiam ex justitiâ renunciare actui conjugali, ad quem ut possibilem tanquam ad terminum transcendentalem tendit maritalis potestas, sequeretur enim eundem actum esse ex justitiâ debitum eidem conjugali potestati, & simul non debitum ex eâdem justitiâ: debitum quidem ut est terminus quem essentialiter respicit potestas conjugalis: non debitum verò quatenus esset ei ex virtute justitiæ renunciatum: hoc autem est implicatorium & involvit contradictionem, ergo, &c.

L.V. Ad tertium dico, ex voto servandi castitatem non oriri deobligationem reddendi aut privationem juris petendi debitum, in quo consistit matrimonium, quod est jus radicale, sed tantum deobligationem juris actualis seu usus, quæ propriè non est deobligatio vel privatio juris, sed ligatio, eo quod verissimè in hoc & illo

conjugate voto ligato maneat jus petendi, & obligatio reddendi, sed ligatum & impeditum voto, quo simpliciter dissoluto per dispensationem, sine alio addito, possunt licitè uti illo jure: cujus simile videmus in conjugate adulterio qui per adulterium privatur jure petendi, & alter obligatione reddendi debiti vel potius impeditur, cum per solam injuriæ remissionem redintegretur.

Ad quartum & ultimum respondeo ad minorem fuerunt sui juris ut transferrent, & de facto transfulerunt verum jus radicale in corpus suum, quod sufficit: nec votum illorum exclusit istam translationem, sed ligavit tantum istam potestatem.

CAPUT XII.

*An hoc Divi Josephi, & Dei-
para Matrimonium possit
etiam dici omninò perfe-
ctum.*

DIvvs Thomas 3. part. quest. 29. art. 2. in corpore distinguit, ut iterum superius dixi, duplicem rei perfectionem. Primam & secundam. Prima rei perfectio, inquit, consistit in ipsâ rei formâ, à quâ speciem sortitur: Secunda verò perfectio, consistit in operatione rei, per quam res aequaliter suum finem attingit.

Forma matrimonii à quâ speciem suam sortitur est indivisibilis conjunctio animorum, seu vinculum illud, de quo supra, per quod conjuges sibi invicem fidem servare tenentur. Finis autem matrimonii est proles generanda & educanda: ad quorum primum, idest generationem, pervenitur per concubitum conjugalem: ad secundum, idest educationem, per mutuos viri & uxoris labores, quibus se invicem adjuvant, ad educationem proles utrique communis.

Ex his D. Thomas concludit Matrimonium Matris Dei & D. Josephi primam perfectionem attigisse, quia fuit verum matrimonium, ut superiori capite

capite latè probatum est. Questio ergo hic procedit de secundâ perfectione quam matrimonium habet ex fine, ut & res cæteræ.

IV. Et quia hæc, ut jam dictum est, est proles generanda vel educanda. Respondet Divus Thomas distinguendo: Si hoc referatur, inquit, ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non habuit illam Divæ Virginis & Divi Josephi Matrimonium, quia certum est, & fide constat, in illo nulum unquam adfuisse concubitum: habuit tamen secundam perfectionem quoad proles educationem, quia in hoc fuit electus à Deo Divus Josephus. Ita Sanctus Thomas & omnes Theologi communiter.

V. Non obstantibus supradictis existimo, si res hæc penitus inspiciatur, posse dici, & verum esse hoc matrimonium etiam primam partem hujus secundæ perfectionis attingisse. Probatur primò ex D. Augustino lib. 1. de nuptiis, & concupisc. cap. 11. ubi postquam probavit veritatem hujus matrimonii, quodque Christus ex eo ortus, ita ad utrumque pertineat, ut uterque parens ejus dici meruerit, quemadmodum etiam appellantur in Evangelio Lucae cap. 2. vers. 24. 27. 41. & 43. Ita denique concludit: *Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, Proles, Fides, Sacramentum: Prolem agnoscimus ipsum Dominum IESVM: Fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divorcium.* Ubi Sanctus Doctor in horum fœdere Conjugum ponit clarè non unum aut alterum nuptiarum bonum, sed omne, & inter illa prolem enumerat, per quam matrimonium secundam suam attingit perfectionem.

VI. Sed dissentit D. Thomas loco supra citato, ait enim quia secunda perfectio matrimonii est ut attingat finem suum, hoc est prolem. Atqui Divæ Virginis & Sancti Josephi Matrimonium habuit prolem, fuit ergò summè perfectum & in omni perfectione matrimonii consummatissimum.

VII. Quod autem dicit D. Thomas, quod perfectio & finis matrimonii est proles ad quam pervenitur per carnalem concubitum, qui non invenitur in prole hujus

sancti Matrimonii, nihil obstat, quia refert Sanctus Doctor modum ordinarium & usitatum per quem pervenitur ad prolem: per hoc autem non excludit modum extraordinarium & supernaturalem, quo Deus vult dare prolem etiam citra concubitum, idque clarissimum est, quia si voluisset excludere illum, non dixisset finis matrimonii est proles, ad quam pervenitur per concubitum carnalem, sed dixisset, finis matrimonii est proles quatenus ad illam pervenitur per concubitum carnalem.

Nec etiam obstat quod idem sanctus Doctor citatus ait, quod si matrimonium referatur ad concubitum carnalem, hoc Divi Josephi cum Deiparâ Matrimonium non fuit perfectum: quia non est necesse ut ad illum concubitum referatur, cum ille non sit propter se, sed propter prolem tanquam matrimonii finem: undè quid refert si proles per illum, vel per alium Deo placitum modum habeatur?

Probatur secundò, quia Matrimonium istud Divi Josephi cum Deiparâ ante Christum conceptum & natum, fuit tantum matrimonium ratum: Sed post Christum natum, fuit aliquid amplius, ergò fuit perfectum. Confirmatur, quia si nunc aliqui conjuges, Deo volente, eodem modo post matrimonium prolem susciperent, quo Beata Virgo & D. Joseph, non illud dissolvere liceret per ingressum in Religionem aut susceptionem Ordinum: nec tales possent altero conjugate professore & vivente alteri nubere, ergò illud matrimonium non esset simpliciter matrimonium ratum, quod dissolvi potest per ingressum & professionem Religionis, sed est perfectum omnimodè & consummatissimum.

Dices, non est perfectum in ratione significationis, unionis Christicum Ecclesiæ, quæ significatio habetur tantum per utriusque inter se copulam, per quam fiunt una caro, & generant prolem: Respondeo, cum unio Christi cum Ecclesiâ sit spiritualis, multò melius significatur per conjunctionem Mariæ & Josephi, quæ fuit in Spiritu, quam per quamcumque aliam copulam aliorum conjugum; cum & illa

Hh3

Divi

Divi Iosephi ex dictis indissolubilitatem habuerit & prolem: unde D. Augustinus lib. 1. de Nuptiis & Concupisc. cap. 11. vocat eam *Sacramentum*, quia nullum divorcium, idest quia nullâ ratione dissolubile, quod in eâ nata sit eis proles Christus Dominus, quemadmodum & filii spirituales ex unione Christi & Ecclesiâ.

XI. Neque tantum hoc matrimonium per illam prolem sic sine concubitu habitam fuit perfectum, sed etiam omnium perfectissimum: nō tantum quia in illo orta est proles infinita, sed etiam propter modum, quoad illam pervenit. Iuvat ad rem audire Augustissimū Augustinum tom. 10. ser. 63. de divers. c. 14.

XII. *Habent*, inquit ibi Augustinus, *uxores magni viri, quales fuisse Patres legimus, & multis documentis invenimus, clamantibus omnino sine dubitatione paginis sanctis. Si qui ergo viri propter creationem tantummodo liberorum uxores habent, si eis posset prestari ut haberent filios sine concubitu (quomodo scilicet habuit D. Ioseph) nonne ineffabili gaudio tantum beneficium amplecterentur? nonne cum ingenti latitiâ susciperent? duo sunt enim opera carnalia quibus constat genus humanum, in quâ duo opera prudentes & sancti ex officio descendunt, imprudentes autem in eâ per cupiditatem ruunt. Quæ sunt ista quibus constat genus humanum? In nobis ipsis primum est, quod pertinet ad sumenda alimenta, quæ utique non possunt sine aliquâ per carnem delectatione sumi, manducare & bibere: si non feceris, morieris. Hoc ergo uno sustentaculo stat genus humanum pro modo naturæ suæ, manducando & bibendo. Sed per hoc sustentaculum sustentantur homines quoad seipsos attinet. Successioni autem non consulunt manducando & bibendo, sed uxores ducendo: sic enim cōstat genus humanum: primo ut vivant homines: sed quia diligentia quantalibet corpori adhibita non possunt utique semper vivere, consequens provisio est ut nascentes succedant morientibus, &c. Et post pauca: Cum ergo sic subsistat genus humanum, & necessaria sint duo sustentacula, de quibus satis dictum est, ad utrumque sapiens, & prudens, & fidelis officio descendit, non libidine cadit. Ad manducandum & bibendum quam multi voraciter irruunt:*

ibi ponentes totam vitam quasi ipsam causam vivendi: nam cum idē manducant ut vivant, idē se putant vivere ut manducant: istos omnis sapiens reprehendit, & maximē divina Scriptura, edaces, ebriosos, helluones, quorum Deus venter est: hos ad mensam non adducit nisi concupiscentia carnis, non indigentia refectio- nis: itaque isti cadunt in escam & potum: illi autem qui descendunt ex officio vivendi, non idē vivunt ut comedat, sed idē comedūt ut vivant, itaq; istis prudentibus & temperantibus si offerretur ut sine cibo & potu viverent, quanto gaudio amplecterēt hoc beneficium, ut quo cadere consueverunt, nec descendere cogentur, sed semper suspenderentur in Domino? Quomodo putatis Heliam accepisse, quando accepit calicem aquæ & collyridam panis, ut satis ei esset in alimentum quadraginta dierum? cum magnâ utique latitiâ: quia propter officium vite, non propter servitutem concupiscentiæ manducabat & bibebat. Tanta hoc prestare si possis homini, qui beatitudinem totam & felicitatem in epulis tanquam pecus in presepi constituit. odit beneficium tuum, repellit à se, panam putat. Sic & in illo officio conjugati, libidinosi homines, uxores non propter aliud querunt, & idē vix tandem ipsis uxoribus contenti sunt. Planè tali homini si diceris quare ducis uxorem? responderet tibi forte vercundatus propter filios: Sed si quis ei diceret, cui sine ulla dubitatione crederet, potens est dare tibi, & omnino dabit tibi Deus filios etiam non operanti opus illud cum uxore: ibi certè concluderetur, atque fateri deberet, quod non propter filios quarebat uxorem. Confitetur ergo infirmitatem: accipiat quod officiosè accipere prædebat.

Prosequitur Divus Augustinus cap. sequenti sic. Illi priores sancti homines Dei, filios querebant, filios suscipere volebant. Ad hoc unum jungebantur faminis, ad hoc faminis miscebantur, ut filios procrearent, idē illis permissum est ut plures haberent: nam si libidine immoderata placeret Deo, sic permitteretur illo tempore, ut & una femina haberet plures viros, quomodo unus vir plures feminas. Quare omnes femina casta non habebant amplius uno viro, vir autem plures feminas, nisi quia plures habere feminas virum unum, pertinet ad proles numerositatem? una autem femina

non quo plures habuerit viros, plures poterit parere filios. Quapropter fratres si Patres nostri non ob aliud quam ad liberos procreandos iungebantur & miscebantur feminis, magnum illis esset gaudium, si prater opus illud carnale, possent habere filios, propter quos habendos ad illud non libidineruebant, sed officio descendebant. Propter hoc Ioseph non erat Pater quia sine concupiscentia carnis susceperat filium: absit ut hoc sentiat castitas Christiana, quod nec Iudaica sentiebat. Hæc D. Augustinus.

XIV. Ex his collige matrimonium cum coitu, sed sine prole valde improprie dici perfectum & consummatum, tum ratione finis, quo caret, qui est ipsa proles non verò coitus, tum ratione amoris qui inter eos languet: sicut enim non sunt perfecte una caro nisi in prole, ita non nisi in illa perfecte ununtur animis, quia proles est unio & nexus conjugum. Quare uti Theologi docent amorem Patris & filii in divinis non esse omnino perfectum ante productionem sui termini, qui est Spiritus sanctus, quidni etiam dicamus conjugum amorem, quamdiu sine prole est, manere imperfectum: verè horum amor titubans est, quia caret fulcro suo, inquietus est, quia caret termino & centro suo: maritus ob hoc culpat Uxorem, Uxor Maritum; inde iurgium, quis dirimat? thalamus eorum non aliud eis videtur quam tumulus, in quo jacent duo corpora semimortua, quandoquidem etsi vitam habent, illam tamen dare minimè possunt. Inde fit quod vix se amare possint, quia de alterius conjugis amore ambigunt. An, inquit illa, me meus diligit sponsus? an, ait ille, me amat ista? quàm tristes illæ cogitationes? sed quantumvis ante triste fuerit conjugium, si prodeat ex eò proles, secum advehet pacem & serenitatem: si fuerint discordes, proles inter illos sanctæ charitatis & pacis fœdera non amplius ruptura restituet, agnoscentque illi se duo ante fuisse, sed jam unum in prole. Liberi denique, sunt simul filii & parentes amoris utriusque conjugis: quomodo hoc? filii utique quia amor conjugum illos generat; parentes verò, quia conjugum amorem nutriunt, sustentant,

conservant, perficiunt.

Quæ cum ita sint, quàm perfectum ergo Divæ Virginis & Sancti Iosephi XV. matrimonium, in quo fuit proles & tam divino modo? sed si proles est nexus & unio conjugum, quantus fuit inter illas amor, quibus tanta proles obtigit? sed quam purus amor, ubi tam purus nexus & tam purè proles? fuit ergo omnium matrimoniorum primū, & inter omnia in omni perfectione matrimonii consummatissimum.

CAPUT XIII.

Quomodo Divus Iosephus ad has nuptias pervenerit?



I. T hujus sanctissimi conjugii inter Mariam & Iosephum, omnium quotquot unquam fuerunt, aut in posterum erunt fœlicissimi, dispositio ab æterno fuit à Deo solo & singulariter, sic & illius in tempore executio; ut sic sacra illa conjunctio, quæ tantum propter Deum futura erat, esset etiam purè à Deo & per Deum, & sic tota esset Dei.

II. Dispositio quidem fuit singulariter à Deo, non tantum quia non nisi ex ejus consilio & ordinatione, sed (quod singularissimum est, & in quo omnia quæ de eâ dici possunt superat:) quia fuit in ipso divinisimo Dominicæ Incarnationis mysterio inclusa, & ideò cum ipso decreta & volita: cum enim Deus cujus natura, bonitas, cujus opus misericordia est, post prævitum Adæ, & in eo, totius generis humani lapsum, in immensæ pietatis suæ visceribus propositum concepisset illum & hos restituendi, cogitaretque de modo illud perficiendi omnium maximè congruo, vidit illud nullatenus melius præstari posse, quàm si Verbum Divinum eandem, quæ peccaverat, naturam assumeret: idque per Virginem, illam tamen viro nuptam. Quare sicut vidit, sic futurum statuit & decrevit. Neque in hoc ulla difficultas: cum enim ita factum fide constet, ex facto ad decretum argumentari licet. Hinc vide Lector, & secum

tecum ipse perpende, quàm cælestes, quàm divinæ sint hæ nuptiæ, quàm eminentes! quàm sanctæ duæ illæ personæ ex quibus coalescunt, quæ aded Christo conjunctæ sunt, ut una cum eo in ipso suæ Incarnationis decreto implexè prædestinatæ sint! Vide à nobis dicta supra Parte I. Tractatu I. Pro lud. 6.

III. Cùm ergo hoc Sacratissimum Conjugium fuerit tam singulariter à Deo decretum, consentaneum fuit omninò rationi, quo id amplius patefceret, ut ejus in tempore executio, non aliquo casu, aut consilio vel industriâ humanâ, sed à solo Deo poneretur.

IV. Quod & ita factum fuisse probant mirabilia quæ tunc Deus operatus est: primò enim cùm Beatissima Virgo intrerit Virgines Deo juxta apud templum à puero coopata ad annos pervenisset nubile, nec moris esset eo loci tales ulterius detinere, monita est à Pontifice ut de honesto connubio juxta legem statueret: quâ respondente se Deo virginitatem suam in perpetuum vovisse, cùm id istius gentis mores tunc non caperent, quibus fecunditas in Dei benedictionibus reputabatur, verendum etiam existimaret ne fortè quid hîc, vel contra Dei legem, vel contra voti Religionem, committeretur. *In re tam gravi*, inquit D. Hieronymus lib. de Ortu Virginis, vel quisquis est Author illius, *Pontifex ad consulendum Deum de more accessit: nec morâ, aude mirabile, cunctis audientibus de Oraculo & Propitiatorii loco vox facta est, requirendam esse cui Virgo illa desponsari deberet, cunctos de domo & familia David nuptui habiles, virgas suas ad Altare afferre jussit, & cujuscumque virgulâ florem germinasset, & in ejus cacumine Spiritus Domini specie columbe consedisset, eum esse cui Virgo desponsari deberet.* Ad stipulatur Divus Eustachius in Hexameron, Divus Gregorius Nyssenus orat. de Christi Nativitate, S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus orat. de Virg. oblat. Simeon Metaphrastes orat. de Vit. & Dormit. Deip. Cedrenus in Compend. hist. Nicephorus lib. I. cap. 7. Favetque D. Epiphanius hæref. 78. ubi ait, *quando Virgo tradebatur ipsi Iose-*

pho fortibus cogentibus ipsum ad hoc venire.

Dum hæc peragit Pontifex, summis precibus Deum Virgo obsecrat, ne à castâ mente dimoveri pateretur: Divinitusque admonita ne metueret. Convenère igitur quotquot ex Davidis familiâ erant, parentque Numini, atque ad hoc Sacerdotes oportunam naçti sunt occasionem scilicet solemnitatem Enceniorum ad quam celebrandam è cunctis Tribubus, maxime verò è Regiâ seu Davidicâ Jerosolymam adventare solebant, quæ Solemnitas incipiebat 24. die Novembris, durabatque octo diebus, sicque terminabatur tertia die Decembris ut colligere est ex lib. I. Machab. c. 4. Et 2. Machab. c. 1. *Erat autem*, inquit Hieronymus citatus, *inter ceteros Ioseph: Cunctis verò virgas suas juxta ordinem deferentibus, solus ipse suam subtraxit, (quem utique Castitatis propositum adegerat ad latibula) unde cum nihil di. vine voci consonum apparuisset, Pontifex iteratò Deum consulendum putavit. Proditus est itaque Ioseph. Cùm enim virgam suam attulisset, & in cacumine eius columba de Cælo veniens consedisset. liquido omnibus patuit Virginem ei desponsandam fore.* Hisque consonant quæ D. Eustachius citato libro: ubi sic ipse. *Simul atque à Sacerdote virgam accepit ex eâ columba volans capiti Ioseph insedit: quare Princeps Sacerdotum, Sacerdotes, omnes qui convenerant rem admirati, pari voto illi Mariam desponderunt.*

Hanc sententiam sicut præfertur traditam, & ab omnibus jam communiter receptam, proscriptam vult Pater Papebrochius in Actis Sanctorum sub nomine P. Bollandi tomo 5. Mensis Martii ad diem 19. in S. Iosepho §. I. num. 8. ut ex Apocryphis Orientalium scriptis, id est Historia quâdam Orientali haustâ, cùm tamen historia illa orientalis multis post Patres hujus sententiæ sæculis scripta ex iisdem Patribus illam haussisse poruerit: nec ratio per quam illam sententiam reprobat Papebrochius firmior, quod scilicet non fuerit opus ullo signo ad inducendum D. Iosephum & Deiparam, licet alienos à carnalibus nuptiis, imò voto virginitatis adstrictos, ut nuberent, cùm

neutri

neutri liceret subterfugere matrimonium: hoc enim falsum esse, ut & fundamentum cui innititur plus satis ostendimus supra Parte I. Tractatu 2. cap. 3. num. 17. & seqq. quæ hic non repetimus.

VII. Confirmaturque adhuc doctrina ibi tradita, contra Papebrochium sub eodem nomine P. Bollandi. Cum enim Beata Virgo jam Divo nupta Josepho annunciaretur ab Angelo, quod conceptura esset in utero, & paritura filium Altissimi, non prius assensum dedit quam ab eodem Angelo certificata, quod id futurum esset illasâ suâ virginitate quam voverat, quomodo ergo cum eodem voto ante voluisset nubere? Quomodo, inquam, voluisset se viro in conjugem tradere, nisi similiter certificata quod virginitas sua quam tanti faciebat, in eo matrimonio non erat periclitatura? Hic enim illa se ipsam exponere, ibi verò à Deo assumebatur. Existimo hanc ratiocinationem non debere videri levem, magnumque firmamentum adjicere sententiæ huic afferenti in hac occasione Oraculum & signum Divinum.

VIII. Sed quid tandem fortius? an verax Deus falsitati attestari potest? huic porro sententiæ attestatus est miraculo, cujus ipse solus Author esse potest, quod refert Anthonius Penna in vitâ Beatæ Margaritæ de Castro Ordinis Sancti Dominici, in cujus corde post mortem inventæ tres gemmæ prægrandes, & illæ miri splendoris, qualis nec antiquus unquam tulit orbis, nec novus: Neque hæ imaginariæ tantum, sed reales, cum eas etiamnum servari in Templo Dominicanorum testetur Pater Anthonius Balinghem Jesuita in Calendario Sanctissimæ Virginis Mariæ ad 13. Aprilis: In quarum primâ, visabatur Virgo longè venustissima, aureo diademate caput cincta: In secundâ, infantulus specie supra modum decorus in medio duorum animalium: In tertiâ, vir formâ spectabilis, & majestate verendus, auræ chlamide obvolutus, insidente columbâ ejus humero, & ad ejus pedes advolutâ virgine in habitu Ord. S. Dominici.

IX. Tandem cum Deus ex illo esset matrimonio castissimo proditurus,

decebat utique quod illud à Deo solo esset, illudque ab eo solo esse ipse palam, ut nil dabitari posset, faceret. Manebit ergo ut puto ex his fides sua antiquæ & communissimæ opinioni quam hîc defendimus.

Vincentius Bellocensis in Specul. Histor. pulchri aliquid ad rem refert, quod hîc præterire non possum: *Aseneth* scilicet filiam Putipharis magni Sacerdotis Heliopoleos in Ægypto, omnium ætatis suæ feminarum speciosissimam, ac castitatis amantissimam, firmiter proposuisse nemini se nupturam, nisi fortè Deorum alicui: propter quod illa se in arce fortissimâ, ubi cum aliis virginibus vitam illibatè traderet, conclusit: ubi cum esset, accidit ut Joseph jam Ægypti Pro Rex creatus illac transiret: quem cum *Aseneth* ex arcis fenestrâ fortè perspiciens animadvertisset, ita modestissimæ ejus ac pudicissimæ pulchritudinis specie capta fuit, ut eum plusquam hominem reputant, illum in sponsum accipere consenserit, & de factò inde educta ei conjuncta fuerit, ut constat ex Genesis cap. 41. Quis non diceret hanc historiam esse ipsissimam hujus nostri, quem pertractamus casus, delineationem? Ad eundem enim planè modum Beatissima Virgo Maria omnium mulierum pulcherrima & speciosissima: quæ non nisi Deum immortalem in sponsum admittere firmiter constituerat; atque ideò ob virginitatis amorem apud templum cum aliis virginibus conclusa, vitam ducebat Angelicam, Josephi nostri modestiâ ac virginali pudore, & proposito sibi divinitus manifestato alleccta, illum in sponsum accipere libenter consensit, qui etsi Deus non esset naturâ. Dei tamen officium supplere electus, Deus erat repræsentatione.

X. Et vide quàm apta sit & accurata hujus delineationis ad nostrum casum relatio: nam primò *Aseneth*, si Hebræorum interpretationi deferimus, ignem distillantem significat, quod & rectè in Deiparam quadrat, utpote quæ in sponsum suum divini amoris ignem instillans omnem poenitus in eo carnalem fomitem abstumpserit. Secundò, Joseph ille Ægypti Prorex, eodem Vincentio

centio Bellocacensi Authore, nunquam nubere firmiter decreverat, unde Zenobia & aliarum foeminarum precibus reluctatus, invicto semper animo obstitit, donec tandem iussu Regis uxorem duxit A seneth praefatam: ita prorsus noster Sanctissimus Joseph quamvis eximius cultor virginitatis, firmumque propositum, imò & votum nunquam eam violandi fecisset, superni tamen Regis mandato & voluntati obaudiens, Mariam in Sponsam ac uxorem libens accepit.

XII. Secundum mirabile quod tunc contigisse referunt authores plurimi, inter quos Petrus Dorlandus Carthusianus in vita Sanctae Annae cap. 6. Laurentius Masellus Jesuita in vita B. Virg. Honuphrius Manescallus Barcinonensis tom. 1. Concion. in Conc. Beat. Mat. de Monte Carmelo & ex nostris Baptista Mantuanus lib. 2. Parthenic. c. 7. & 8. Didacus Coria l. 6. cap. 30. Lezana tom. 1. Annal. Ord. nostri ad ann. 4051. & tom. 2. ad ann. 4. Matthias à S. Joanne in suo eximio opere quatuor voluminibus magnis distincto cui titulus, *Histoire Panegyrique de l'Ordre des Carmes*, tom. 1. part. 5. centur. 10. cap. 8. Gratian. lib. 1. de S. Joseph c. 1. est, quod juvenis quidam cui nomen Agabus cum audisset Beatam Virginem, de cuius qualitatibus singularia audierat, nuptui tradendam etiam magicis artibus & incantationibus, quibus ipse addictus erat, conatus fuerit eam sibi vendicare, quas cum inutiles in hac causâ fore, cogente daemone Deo veritatem edicere, didicisset, facti poenitens in Carmelum secessit, Carmelicolisque aggregatus est, qui postea ad praedicationem Evangelii, cum aliis ejusdem Montis Incolis conversus, & cum illis ejusdem Praedicator effectus, Prophetiae dono clarus legitur Actor cap. 11. & 21. Rem accipe eleganter metricè à Mantuano nostro, ubi supra descriptam, idest lib. 2. Parthenic. Hic ergo c. 7. ita

Mane senex Sol ante jubar quam tolleret undas,

Convocat ex templo Patres: missosq; per urbis

Compita, perq; damos, populos praecone coegit.

Confluxere omnes: campo plebs densa patenti

Vix capitur: surdum speciosa per atria murmur

Confusumq; sonat: pede pes, & pectore pectus,

Virque viro praemitur, ceu cum collecta theatro

Stabat Roma graves simul auditura Tragædos.

Conventu senior Patrū stipante Sacerdos Exiit: & tandem populo di-vina silenti

Iussa aperit: didicistq; Tribum: iustisq; solutos

Cōnubio acciri: virgisq; in templarelais Vota precesq; iterant: magicis componere quidam

Philtra veneficiis, circeaq; carmina & herbas

Fasidibus volvere novas inducere frōdes. Horum unus vetitas Artes edoctus: us

almum

Intempesta diem tacitis nox abstulit umbris,

Solus in aëria turris fastigia secum Arma togasq; ferens, sacra aruit manibus

Aram

Subdixit: testis nemo nisi ventus & astrum Nocturnasq; preces iterans praescire volebat,

Parthenice sibi thalamum sperare liceret:

Ecce per aërios tractus magno agmine ab Spiritus obscuris ad Turrim annavigat

alis:

Qualis ubi veniens ad fœda cadavera vultur

Brachia precipiti jactat plumosa volatu, Atq; gradum sistens, nigro sic incipit ore.

Fare: quid infernas nocturnis cantibus aures

Sollicitas? quæ sita dari responsa vetatur. Ætheræ prohibent anime, Numenq;

Triforme:

Altius abstrusum laet hoc in Virgine quiddam:

Quod disciscireq; nefas. sententia nostros Circūfere anceps animos, fortisq; futureq;

Ambigui casus, multaq; ambage latentes. Sicut cum modo Sol nubes, modo nimbila

Solem

Excuperant: nunc letatur, nunc mare

Arator,

Spermq; metumq; inter dubius: nec discere tenta

*Quæ quoq; Doctorem fugiunt: commu-
nia quædam*

*Fabimur, addentes quæ nec didicisse pi-
gebit.*

*Ne frustra videre Deos in vota vocasses
Quandoquidem te non minimo digna-
mur amore*

*Nos inspectores scelerum hoc Orbe, futuri
Uiores alio: sævi sunt vincula dracones,
Tartarus est carcer: sunt verbera, frigus
& ignes.*

*Lux incerta diem spargit per nigra ma-
lignam*

*Tecta: sonant late plangens: plebem or-
dine terno:*

Dividimus: primo purgati, &c.

Tum capite octavo prolequitur:

*Dixit & ablato discessit in æra terga,
Percussum trepidâ turvenem formidine
sortis*

*Pœnituit, secumq; putans audita se veros
Carmeli Patres adiit (tunc omnis eremi
Cura fuit penes hos, & calibus otia vitæ:)*

*Moribus auxilium fratris habiturus ut
altam*

*Se tulit in Montis requiem, silvasq;
silentes*

*Per secreta tulit gressum spelea: virumq;
Vivendi caseste genus miratus: Amorem*

*Imbibit immensum cæli: seq; ipse per os us
Incola Carmeli vixit: tandemq; voluto
Tempore cum fidei mysteria Paulo*

*Edidicit. Mariæ primus cum Patribus
Ædem*

*Vertice Carmeli posuit, sociosq; vocatos
Ad Iordanis aquam lustralibus abluat
undis:*

*Cum Baptista nova jaceret primordia
gentis;*

*Hispidus hirsuti villosa regmine Capra
Protographus Lucas Agabum vocat, om-
nia multo*

*Ante videns animo fuit, Interpretisq; futuri:
Namq; catenarum nodos, & ferrea Paulo
Vincula prædixit, longosq; per Æquora
cursus,*

*Vipereos morsus, simoniacosq; volatus,
Insidiasque sua gentis, bellumq; sub ipso
Et celebrem palmam venturæq; fata
Nerone.*

XIII.

Dices D. Bonaventura apud Gerfo-
nem serm. de Nativit. Beatæ Virginis.
Confid. 3. docet, Quod nullus ex aspectu
gloriosa Virginis, quamvis esset pulcherri-
ma, urebatur aut inflammabatur ad fru-


dam carnis concupiscentiam, sed eam po-
tius exinguebat ille divinus aspectus,
quasi frigidus quidam ex oculis ros virgi-
neus exspiraret, vel efflueret à mente illius
castissimâ. Et ita omnino sentire conve-
nit de purissima illa Dei Matre. Quo-
modo ergo verum esse potest, quod in
illius Agabi pectore impuras illa flâmas
adeo accenderit, ut etiam hic cogitarit
uti magicis artibus, ad hoc ut illâ frui
posset? Respondeo non Virginis aspe-
ctum illam in eo accendisse libidinem,
ut potè quæ apud templum à puero in-
ter Virgines sacras adeo abscondita la-
tuerat, ut nulli mortalium nota esset:
sed cum illa inter omnes ibi degentes
virgines sapientiâ & gratiâ emineret
usque ad miraculum, virtus famosam
fecit eam quæ nulli cognita erat: uni-
de factum, ut desiderium omnes illos,
qui de eâ audierant nuptiâ tradendam
incesserit, & inter illos hunc nostrum
Agabum tunc nequissimum etiam ad
artes vitæ quibus assuetus erat ade-
gerit. Cæterum & hoc illi benè cessit
ob Virginem: quia enim illam licet
tam nequiter prosequeretur, inde ejus
falsus undè illius damnatio, si ob aliam
illis artibus fuisset usus.

XIV.

Ut ergo Deus ab æterno singulari
ratione destinavit unionem istarum
Animarum, ita in tempore non aliquo
calu, aut consilio, vel industriâ huma-
nâ, sed à solo Deo praticari debuit, &
ita evidenter ac manifestè, ut id omni-
bus constaret: Quare non eo modo
Divus Josephus per nuptias combina-
tus est Virgini Deiparæ quo vult P. Pa-
pebrochius, qui est ordinarius & merè
humanus, quo verò? nisi illo quo supra
relati Patres antiqui acceperunt, cre-
diderunt, & docuerunt: quos sequi
præstat quàm Patrem Papebrochium
conjicientem, hîc ut in multis aliis ne
dicam errantem.

CAPUT XIV.

Quâ etate Matrimonium contraxerunt Maria & Iosephus?

- I.  **U**ERIMUS hic de utroque Coniuge, id est de Beatissimâ Virgine & D. Iosepho, quam quisque illorum ætatem attigerat quando hoc matrimonium inter se inierunt. Res implicata est diversis utrimque diversa opinantibus: Causa est quia cã de re, ut & de aliis multis illos Sanctos Coniuges concernentibus, Evangelistæ altum siluerunt aliis intenti: nec ulli de hoc Scriptores Synchroni quidquam tradiderunt. Despectæ enim erant conditionis oculis mundanis, quare nec attendebantur: singulorum hic opiniones discutio: ac primò de etate Beatæ Virginis, postea de Sancti Iosephi.

SECTIO PRIMA.

Quot annorum erat Beata Virgo quando nupsit Divo Iosepho?

- II. **O**Mnes in hoc conveniunt quod nec ante duodecimum, nec post vigesimum-quintum suæ ætatis annum D. Iosepho nuptui tradita sit: sed quoniam ex illis qui intra istos duos numeros clauduntur id contigerit? Discrepantes sunt magnoperè Doctorum sententiæ.
- III. Prima sententia est Divi Gregorii Nysseni in orat. de humanâ Christi generatione, D. Damasceni orat. I. de Dormit. Deip. Simeonis Metaphrast. orat. de Vitâ & Dormit. Mariæ, quæ non determinat in particulari quam habuerit ætatem, sed dicit traditam fuisse D. Iosepho cum ad ætatis florem pervenisset, & jam crevisset, & adulta esset. Sed hæc sententia cum nihil determinet trahi potest ad omnes annos omnium sententiarum sequentium.
- IV. Secunda sententia est Alberti Magni super missus est cap. 3. & Cardinalis

Cajetan. in cap. 1. Lucæ ad illa verba *Ad Virginem desponsatam viro*, qui asserunt non ante decimum-octavum completerum, sed intra illum & vigesimum-quintum nupsisse. Est etiam Joannis Georgii Herwat in Chronic. c. 247. qui annu intra illos duos numeros determinat, & dicit contigisse anno ætatis Beatæ Virginis decimo-octavo completo, & decimo nono incepto. Ratio horum est, quia cum in Deiparâ fuerit omnis congruentia tam ex parte naturæ quàm ex parte gratiæ ad hoc ut Mater Dei fieret, credendum est quod in tali ætate concepit in quâ perfecta fuit in statu & quantitate corporis: sed corpus ejus non potuit esse perfectum omninò secundum statum & quantitatem, nisi intra decimum-octavum & vigesimum-quintum annum, ergo &c.

Addit Cardinalis Cajetanus loco citato, ætas nubilis exigit saltem completum modum augmenti, quia naturalis ordo habet ut prius perficiatur persona in se quàm det operam ad conservandam speciem: & dico, saltem, quia ratio suadet quod natura plus exigit ætatis, videlicet usquequo firmata sint ossa ad quod quartum septennium dicitur requiri in viris. Quocirca certum est Beatam Virginem fuisse tunc ad minus annorum decem & novem, & hoc si mulieris tertio senario annorum completur augmentum: & rationabile est ut fuerit tunc annorum viginti quatuor perfecta etiam secundum ossa mulier, ut perfecta Mater perfectum filium gigneret. Ita Cajetanus.

Confirmatur hæc sententia ex Aristotele lib. 7. de Histor. Animalium cap. 7. ubi sic ille. *Semen profectò infecundum usque ad ter septimum annum est; mox proficuum quidem est, sed exigua imperfectaque generant juniores & mares & femina, ut in cæterorum animalium genere plurimis evenit. Concipiunt quidem facilius natu minores, sed laborant in perpetuo vehementius, &c.*

Hanc Cajetani sententiam aut periculosam, aut erroneam asserit Ambrosius Catharinus. Mitius contra illam pronuntiandum censeo, & dico eam non esse probabilem, primò quia est nimis particularis. Secundò, quia contradicit

dicit Patribus Ecclesiæ, qui aſerunt eam mox ab egreſſu è Parthenone, ſeu Collegio Virginum apud Templum degentium fuiſſe D. Joſepho traditam: At nullo modo probabile eſt eam ibi uſque ad talem ætatem permanſiſſe. Ait enim D. Epiphanius lib. de Vitâ Virg. *Virgines alebantur in templo donec propter ætatem non deceret illas inter Sacerdotes verſari.* Tertio, quia omninò decuit Beatam Virginem in eâ ætate nupſiſſe in quâ etiam in aliis virginibus ſeu puellis omnis poſſet abeſſe ſuſpicio alicujus ante conceptionem labefaſtationis. At nimis frequenter experientia docet quod puellæ in eâ ætate quæ ſatis protenditur, imò & ante illam virgines eſſe deſierint, ergò citiùs Beata Virgo nupſit. Quarto, quia recedit à verbis & ſenſu Scripturæ & Eccleſiæ. Scripturæ Proverb. cap. 30. verſ. 18. *Triamibiſunt difficilia quartum ignoro. Verſ. 19. Viam Aquilæ in celo, viam colubri ſuper petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adoleſcentula.* Ut legunt ex Hebræo aliqui quod ultimum intelligitur de Chriſti Conceptione, ubi vox illa *adoleſcentula* non poteſt ſignificare ita provecctam: Eodem modo Eccleſia quæ de eâ ita cantat. *Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia cum eſſem parvula placui Altifſimo, & de meis viſceribus genui Deum & hominem.* Et alibi. *Cui luna, ſol, & omnia deſerviunt per tempora, perſuſa cæli gratiâ geſtant puella viſcera.*

VIII. Nec eſt verum quod ad generationem ex congruentia requiratur quod perſona ſit perfectæ in ſtatu & augmento corporis, tum quia perfectio corporis nullam exigit determinatam quantitatem, & ſub majori vel minori poteſt ſtare, ut patet, tum quia cum neſciri poſſit quando corpus habebit perfectum ſuum ſtatum, ſi hæc regula ſequenda foret, quanta & quàm multa exinde ſequerentur incommoda? Quare dicendum quod ætas nubilis eſt in quâ perſona attingit perfectionem corporis, non omnem; perfectio enim quoad ſtatum omninò impertinens eſt, ſed illam quam natura ipſa poſtulat ad hoc ut ſit capax generationis: illam autem attingit ante illos qui clauduntur decimo-octavo & vigeſimo-quinto, ut

experientia docet. Tandem in Beatiffimâ Virgine decentia adducta ſupra numero 3, pro omni remotione ſuſpicionis alicujus ante conceptionem impuritatis in eâ, prævaleret iſti congruentiæ ſi adeſſet.

Ad illud verò quod dixit Cardinalis Cajetanus num. 5. in fine quod ſcilicet Corpus Beatæ Virginis debuèrit eſſe perfectiſſimum, ut perfectæ mater perfectum filium gigneret. Reſpondeo primo, ad hoc non fuiſſe opus ut corpus Virginis eſſet perfectiſſimum quoad ſtatum vel motum augmenti, quid enim hoc faceret ad illud? ſed ad ſummum ut eſſet perfectiſſimum quoad complexionem & temperamentum. Reſpondeo ſecundò, ad hoc ſatis fuiſſe quod Spiritus Sancti virtute ſupremâ & infinitâ formatum ſit, qui poteſt quodlibet ex quolibet, maximè cum ad illud formandum ſumpſerit ex Virgine puriſſimum ejus ſanguinem, qui erat perfectior quâcumque materiâ per quamvis mulierem, cujuſcumque ſtatu & augmenti, unquam miniſtratâ, vel miniſtrandâ.

Tertia ſententia fuit Authoris librorum de Mirabilibus Sacræ Scripturæ, qui inter opera D. Auguſtini, ac ſi illius eſſent, reperiuntur, docentis Beatam Virginem fuiſſe tantùm duodecim annorum cum nupſit: Cui ſententiæ ſuccurrit avida Dei Providentia, quæ ubi primùm potuit hujus Virginis maternum nomen exoptavit. Elucebat inde adeò fuiſſe properam & divitem Mariæ ſanctitatem ut non longiora tempora expectanda forent, quibus illa digna conferretur ſupremâ mundi dignitate. Vix infantiles exceſſerat annos, quando jam ſat matura Deo videbatur ſupremâ Prærogativâ Matris Filii ſui: adeò ut duodecimo anno expleto nuberet, decimo-tertio currente conciperet & pareret. Maria non alio egebat tempore, cui ex præteritis ſpatiis nullum fuerat irritum momentum, ſenilis & diuturnus habitabat animus in puellari corpore. Malitiæque abſentia & ſanctitatis abundantia, non malitia ipſa ætatem ſupplevere.

Confirmari poteſt hæc ſententia Juris adminiculis: quia ætas legitima ad cõtrahendum matrimoniũ eſt ætas duodecim

li 3

annorum

noplis

ignabit

D.

ſephi

ſv

or

annorum in sceminis, *l. quâ atate, ff. de Testamentis, & in princip. Instit. de nuptiis, & in c. Continebatur, & in c. Attestationes de desponsat. impuber.* Maximè verò in Virgine Beatâ, in quâ acceleratus fuit usus rationis, quæ optimo gaudebat corpore, ac demùm quia cum Christi conceptio esset opus optimi artificis, ac infinitæ virtutis (Sancti scilicet Spiritus) non videbatur major ætas necessaria: Denique quia quando aliquod exoritur dubium, ad illud rectè determinandum, recurrendum esse ad juris principia & intellectum docent periti. Ergò hæc desponsatio in dubio præsumenda est facta in prædictâ ætate duodecim annorum, quæ à jure dicitur ætas ad matrimonium. Confirmaturque testimoniis ex Scripturâ & Ecclesiâ supra num. 4. contra præcedentem sententiam adductis,

XII. Sed Respondeo Maria duodennis si animi sublimitatem spectes nimis est diuturna, etiam multò junior fuisset ex hac parte matura & apta obeundæ primæ isti dignitati. Sed est & aliud ad quod attendit Dei providentia licet avida hanc sceminam evchendi, non tamen præceptis & cæca, scilicet congruentia & decentia. Cùm enim rarissimè contingat, indecorumque esset in aliis virginibus immò incontinentiæ aliquale argumentum primo, quoque tempore & in tam parvâ ætate nubere, non decuit etiam Virginum primam ita ad nuptias properare. Quod ergo non fuerit citiùs maritata aut conceperit, non id ideò contigisse putandum quod esset defectus aliquis ex parte animæ in illâ, quæ erat gratiâ & sapientiâ plena; nec ex parte corporis, cum in eâ esset operaturus summus Artifex, sed quia quod non decet alias virgines, etiam in quibus concupiscentia fervet, & virginitas periclitatur, multò minùs decuit Virginem tam modestam & tam pudicam ac Dei Matrem.

XIII. Nec huic opinioni favent jura allegata: definiunt enim illa non tempus quando nubendum est, sed ante quod non est nubendum: ita ut matrimonium ante duodecimum contractum sit ipso jure nullum: Quare ex his nihil pro matrimonio virginis colligi potest,

nisi quod ipsa non nupserit ante duodecimum. Quod verò additur quod quando exoritur aliquod dubium ad ejus rectam determinationem recurrendum esse ad juris principia & intellectum, id verum est in dubiis juris: atque adeò verum est in dubio an aliqua in particulari quæ nupsit duodennis fuerit apta & habuerit sufficientem ætatem ad consensum requisitum, standum est juri: sed in dubiis facti non item; non enim ex istis juribus licet determinare in dubio, an hæc vel illa esset præcisè duodecim annorum quando nupsit.

Cùm ergo nec præter consuetudinem decuerit tam maturè Virginem pudicissimam nubere, nec etiam congruens fuerit tam adultam, ne fortè maligni inde acciperent occasionem revocandæ in dubium ejus ante conceptionem illibatæ pudicitæ, huc spectarunt authores trium aliarum quæ restant hac super re sententiarum, quarum

Prima est Joannis Anni in sua Chronologiâ, & Driedonis lib. 3. de Dogmatibus tract. 3. c. 5. part. 4. qui dicitur peperisse currente decimo-quarto: huicque sententiæ, præcedentis fulcra succurrere possunt, maximè verò quæ ex verbis Scripturæ & Ecclesiæ.

Sed si Beata Virgo peperit anno ætatis suæ decimo quarto currente, quando quidem dies Natalis Domini sit 25. Decembris, ipsa verò decimum-tertium compleverit octavâ Septembris, quo die nata est, oportet omninò quod habuerit tantum tredecim annos menses tres & dies septemdecim quando peperit, unde cõsequens sit ut non multò post duodecimum completum nupserit: nupserat enim ut alibi docemus aliquo tempore ante Annuntiationem Angeli & Conceptionem Verbi: quare ut fundamenta præcedentis sententiæ, quæ pro hac allegantur, inania sunt ita & rationes quæ contra illam militant, militant etiam adversus hanc.

Secunda sententia est Tostati Episcopi Abulensis in cap. 2. Matthæi quæst. 91. pro quâ etiam à nonnullis citatur Dionysius Carthusianus lib. de Laudib. Virginis art. 37. quæ docet Beatam Virginem cum nupsit habuisse quindecim annos & aliquod amplius, & decimo sexto

sexto completo Christum peperisse. Ratio Tostati est, quia in eâ etate profuvium menstrui fœminis accidit, & ab illo profuvio aptiores fiunt mulieres ad concipiendum ex Aristotele lib. 7. de hist. Animal. c. 2. quod quidem profuvium in suam intentû sollicitè & summo studio virgini appingit ut aliis mulieribus in cap. 12. Levit. quæst. 13. 14. & 15. quia fuit verè mulier ut illa, & alias superfluitates, quas etiam natura quotidie expellit passa est.

XVIII Sed etiam si ita esset, quod scilicet in eâ etate profuvium menstrui fœminis accideret, quodque ab illo profuvio aptiores fierent mulieres ad concipiendum, ut docet Aristoteles loc. citat. & Franciscus Valesius Medicus Philippi Secundi Regis Hisp. lib. de Sacri. Philosoph. cap. 10. quos refert & sequitur Thomas Sanchez tom. 2. de Matrim. lib. 7. disp. 104. num. 34. non eam Deus exquisivit aptitudinem in eâ ex cuius purissimo sanguine & virtute Spiritus sancti infinitâ tormandus erat Christus,

XIX. Adde quod menstrua sunt superfluis sanguis mulieris, quem tanquam impurum & noxium in illis natura expellit: Quod impurus constat: quod noxius probant sequentia, quod scilicet retentus graves in fœminis causet ægrotudines, quod ejectus ex eius contagione fruges non germinant, multa acefcunt, herbæ moriuntur, arbores sterilescent, ferrum rubigine corrumpitur, æra nigrescent, canes in rabiem efferuntur, & alia ejuismodi effecta pessima prodeunt, quæ refert Guarinus Veronensis verbo *Menstruum*: quare illum sanguinem tam impurum, tam noxium, tam pestilentem, tam virulentum, omnis animus pius in Matre Dei locum habuisse credere refugit, negantque omnes Theologi Moderni, idque colligunt ex doctrinâ Sancti Thomæ 3. part. quæst. 31. art. 5. ad 3. licet enim sanguinem habuerit qui in menstruis reperitur, qui fuit materia corporis Christi, non tamen excrementa illa sordida & virulenta, ea enim à generandi potentia ex peccati fomite excitantur, unde in statu innocentie non fuissent. Cùm ergo Beata Virgo fomite omni que caruerit libidine, ca-

ruit etiam indubiè istis menstruis fluxionibus. Quia verò hanc doctrinam à Theologis ex D. Thoma colligi diximus, juvat ipsiusmet Divi Thomæ verba loco citato hic transcribere: *Sanguis, inquit, menstruus quem fœmina per singulos menses emittunt, impuritatem quandam naturalem habet corruptionis: sicut & cetera superfluitates, quibus natura non indiget, sed eas expellit: Ex tali autem menstruo corruptionem habente, quod natura repudiat, non formatur conceptus: sed hoc est purgamentum quoddam illius puri sanguinis, qui digestionem quâdam est præparatus ad conceptum, quasi purior & perfectior alio sanguine: Habet tamen impuritatem libidinis in conceptione aliorum hominum: in quantum ex ipsâ commixtione maris & fœmine talis sanguis ad locum generationi congruum attrahitur. Sed hoc in conceptione Christi non fuit, quia operatione Spiritus sancti talis sanguis in utero Virginis adunatus est, & formatus in prolem. Et ideo dicitur Corpus Christi ex castissimis & purissimis sanguinibus Virginis formatum. Ita D. Thomas.*

Nec movent quidquam rationes Tostati in contrarium: Concedo enim Beatam Virginem veram fuisse mulierem ut aliæ. potentiam generandi habuisse ut aliæ, materiam ad corporatiorem divini fœtus in utero ministrasse, sed illa materia non fuit ut in aliis fœminis cum admixtione istarum sordium & impuritatum quæ ab illâ separari debuerint & ejici, quia in illo sacro corpore non fuit fomes & concupiscentia, ex quâ illæ prodeunt: Ex quo intelliges quomodo debent intelligi Patres quando dicunt Christum ex purissimo Virginis sanguine formatum: non enim hoc significat illum ex sanguine Virginis concretum, qui ab impuro fuerit separatus, sed quia illius sanguis nullam unquam habuit similem impuritatem: Nec est par ratio de aliis superfluitatibus quas natura quotidie expellit, hæ enim sunt purè naturales, & fuissent etiam in statu innocentie: at fluxus menstruorum habet ortum ex fomite. Vide Toletum in c. 2. Lucæ Annotatione 35. in fine. Itaque cùm in Virgine non fuerit profuvium sanguinis menstrui, non potuit ex illo aptior

aptior reddi ad conceptionem: Addo nec ad illam aptitudinem Deus attendisse debuit, ut eam Iosepho nuptui traderet.

XXI.

Tertia & ultima sententia, ac mihi & omnibus nunc omnium probatissima est quod D. Virgo anno ætatis suæ decimo quinto D. Iosepho fuerit nuptui tradita, & decimo-sexto pepererit Christum. Placet hæc sententia quod non ita accedat ad eam quæ nimis maturè eam nubit, & tamen in eâ ætate ipsius nuptias ponit, in quâ minor tunc etiam apud malignos & perversos potuit esse temerata pudicitia: quando nupsit suspicio; verèque in eâ verificari possunt verba Scripturæ & Ecclesiæ allata hic supra num. 7. Confirmaturque evidentissimè ex Patribus, S. Evodio Antiocheno, primo in eâ Sede post D. Petrum eo adhuc vivente Episcopo apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. in Fragmento cuiusdam Epistolæ cui titulus *Lumen*. Divo Damasceno lib. 4. de Fide Orthodox. cap. 13. S. Germano Patriarcha Cōstantinopolitano serm. 9. de Præsentat. Andræa Cretensi serm. de Sanctâ Deip. Cedreno in Compend. Georgio Episcopo Nicomediensi apud Baronium, quos ipse sequitur in Apparatu ad Annal. Eccles. num. 49. qui docent quod Beatâ Virgo fuerit præsentata in templo post annum tertium completum, ibique undecim annos totos exegerit. Ex hoc enim sequitur quod Beata Virgo ferè quindecim annos, imò fortè rotundos & integros habuerit. Atqui ut exiit è Templo tradita fuit à Sacerdotibus ex Dei per oraculum manifestatâ voluntate Divo Iosepho: Sequitur ergo quod decimo-quinto nupsit, & decimo-sexto pepererit. Vide etiam pro his quæ docent Author libri de ortu Mariæ Virginis, inter opera Divi Hieronymi. Divus Anselmus in fine Operum ubi de Deiparæ transitu, Divus Bonaventura in Meditat. cap. 3. D. Vincentius Ferrerius serm. 2. de Nativitat. Virg. Lucidius lib. 2. cap. 2. Major in cap. 1. Lucæ, & Dionysius Carthus. lib. de Laud. Virg. art. 37.

SECTIO II.

De Ætate Divi Iosephi quando Beatam duxit Virginem.

GRandævum fecerunt plerique, XI. GD. Epiphanius hæref. 78. qui etiam octogenarium eum vel eo majorem existimavit, Author libri de ortu Mariæ inter Opera Divi Hieronymi. Divus Damascenus orat. 1. de Dotmit. Deiparæ. Nicephorus lib. 2. Hist. cap. 7. & alii. Ad hoc autem ut ita opinarentur moti sunt vel quod existimarent Beatam Virginem non in matrimonium, sed in custodiam dumtaxat fuisse ei traditam, ad quam non homo aptus ad copulam, sed illam supergressus procul dubio exquirendus erat: vel quod crediderint si etiam in matrimonium ei tradita fuerit, conveniens omnino fuisse ut illa quæ futura erat Dei Mater, & ideò Virgo permanere deberet, traderetur tali cum quo ejus integritas nullum detrimentum pati, nullum discrimen subire posset, imò nec suspicionem, atque adeò seniculo jam debilitato, fracto & impotenti: huicque opinioni non parùm velificati sunt Pictores Antiqui, qui eum sub specie Seniculi istis temporibus effinxerunt. Illis subscripsere etiam ex recentioribus, Divus Vincentius Ferrerius citatus Section. præced. num. 21. seu ultimo, ubi ait *Ioseph antiquus, Maria juvenis 14. annorum*, utique completorum. Egidius Zamor. lib. de Sancto Iosepho. Immo noster Baptista Mantuanus lib. 2. Parthenic. cap. 9. in initio. His Metris.

*Frigentè & casto solitum servare pudori
Elegit de plebe virum, cui cana senectus,
Cui cana sulcantes crispabant tempora
ruga.*

Adeoquæ hæc opinio olim inoleverat, ut Joannes Ekhus serm. de Sancto Ioseph (cui consonat Cardinalis Baronius in Apparatu ad Annales Ecclesiast.) hanc quæstionem versans dicat, Hæc in re non lubet ad alterutram partem declinare ubi nullum nobis constat Scripturæ pro quacumque parte testimonium, eò maximè quod à receptâ

enopsis

„ & diu persuasâ opinione temerè dif-
cedendum non est. Facilius igitur
pateret antiquiori sententiæ authori-
tatem suam, fidemque manere. Hæc
Ekus.

XXIII. Verumtamen quia re attentius exa-
minatâ, rationes, quibus illi qui supra
adducti sunt ut ita crederent, non æqui
ponderis inveniuntur, oppositumque
omniñò suadent validissima ex Scrip-
turâ, Patribus, & ratione eruta Argu-
menta, hinc ab illâ meritiò Recentio-
res omnes discedunt, ut jam sententia
illa non tam antiqua quàm antiquata
reputanda sit.

XXIV. Nam quod illorum nonnulli volue-
runt ut hanc sententiam suam adstrue-
rent, Beatam Virginem non in matri-
monium, sed in custodiam tantum
fuisse Divo Josepho traditam, falsum
esse demonstravimus suprâ hoc Tracta-
tu cap. 11. & 12. ubi fusè ostendimus
matrimonium Deiparæ & Divi Josephi
fuisse verissimum, Mariam fuisse Divi
Josephi conjugem, Joseph fuisse Virum
Maria de qua natus est IESVS, qui vo-
catur Christus, ac tandem illorum ma-
trimonium fuisse omnium perfectis-
simum.

XXV. Quod verò alii secundò dicunt
etiam posito quod verum fuerit matri-
monium, adhuc debuisse esse valdè se-
nem, ut Virginis integritati cautum
esset, nonne mirandum quod illi Au-
thores integritatis custodiam in co ma-
trimonio quod Deus ab æterno dispo-
suerat, ut per illud utrumque Conju-
gem ad summas mundi prærogativas
& dignitates eveheret, maluerint Divi
Josephi ætati attribuerè, quàm Dei
Gratiæ, ejus virtuti, & continentia?
Quid enim an non potuit Deus Divo
Josepho conferre, ut cum uxore castè
conviveret, & potuit ætas? Sed unde
ergo ipsa Virgo Deipara tam casta? &
ut de viris loquamur: Contra hoc opi-
namentum produco Josephum Patriar-
cham hujus nostri Josephi locupletem
figuram Genes. cap. 39. & duos illos
Judices Danielis cap. 13. Nonne enim
ille Joseph Heræ suæ etiam ad libidi-
nem cum provocantis blandimenta &
vim superavit cum gratiâ etiam in ipso
juventutis flore? Hi verò licet senes &
cani nonne honestissimam Susannam

vesana illorum libidini obstantem
opprimere conati sunt: & quot millena
reterunt historiæ, exhibet experientia
quotidiana ejusmodi exempla? Castior
ergo evadet ille quem gratia Dei refri-
gerat & adjuvat etiam in viridi ætate,
quàm quem ætas longa, sine gratiâ, vi-
ribus extenuat.

Narrat Divus Basilius Magnus in XXVI.

Hexameron de quodam Sanctissimo
Presbytero cui nomen Ursinus, quod
cum senio confectus in lecto decum-
beret morti jam proximus factus, ad-
stantibus subdubitantibus an adhuc in
co vitæ halitus esset, mulierè quandam
devotam ejus ori applicuisse aurem,
quam ille illicò repulit dicens: *Mu-
lier abscede, adhuc ignis sub cinere latet,
paleam tolle.*

Audi etiam in eandem rem Sanctif- XXVII.
simum Patrem Gregorium Nazian-
zenum de seipso loquentem Carmine
de rebus suis.

*Ipse meus porrò testis queo casibus esse.
Quam nostrum genus in vitium pro-
clive feratur.*

*Nam qui jucunde prima vo in flore ju-
venta.*

*(Cum levis in molli versatur in pecto-
re sensus:)*

*Vmbrosâ solum ratione, & moribus utès,
Egregiis ducibus sublimiat cæta petebam
Certam Regali figens vestigia calle.*

*Nunc cum collecta est ratio, jamque
ipse senectæ;*

*Ad finem accessi, miser heu! velut
ebrius erro,*

*Ac servâ obliquus pugna me commo-
vet anguis, &c.*

Ex quibus patet quomodò vix ulla sit XXVIII
ætas tuta ab illo igne, qui in paradiso
voluptatis per peccatum primò accen-
sus, nec etiam sub cinere, id est corpo-
re semimortuo, Sanctissimorum viro-
rum extinctus erat; alio ergo remedio
opus quàm senio, ut firmum sit morta-
le peccus adversus libidinem, ad quam
ei innatum pondus: gratia scilicet Spi-
ritus sancti, quâ urique cataphractus
Divus Josephus Virginis Sponsus cum
ea purissimè & sine ullo vel minimo
periculo convivere potuit.

Quoad picturas verò illas antiquas, XXIX.
Respondeo cum Gersone Cancellario
Parisiensi 3. part. oper. serm. de Nativit.

K k

Virg.

gnabit
b.
Josephi
sv
m

Virg. confid. 3. circa med. primo per illud Horatii.

— *Pictoribus atque Poëtis
Quodlibet audendi semper fuit æqua
potestas.*

Secundò, hoc non fuisse ubique universaliter in usu, etenim testatur ibidem præfatus Cancellarius Parisiensis perorans coram toto Concilio Constantiensi in Germaniâ celebrato se vidisse in eadem Germania frequentes picturas Divi Josephi quibus representabatur velut in ætate juvenili: idemque de Poloniâ suâ testatur Pater Justinus Miechoviensis Ord. Prædic. super Litanias Lauretanas Discursu CXI. in fine. Tertio, ita effinxisse propter mentis virtutem: sic dicit Sapiens sapientiæ cap. 4. v. 8. & 9. *Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata, cani enim sunt sensus hominis, & ætas Senectutis vita immaculata, quemadmodum e contra peccator senex ætate, quotidie in vitiis adolescens* Isa. cap. 65. vers. 20. dicitur, *Puer centum annorum & maledictus.* Ita idem Gerson & post eum Salmeron tom. 3. tract. 39. Tolerus in Lucam cap. 1. Annotat. 59. quos citat & sequitur Justinus Miechoviensis supra. Quartò, denique ideò pingebatur senex ab initio nascentis, inquit Gerson, dum Mariæ perpetua virginitas nondum ut modò radices fixerat in cordibus fidelium, ne suspicarentur aliquid de Joseph & Mariâ, vel ut inquit Canisius lib. 2. de Deip. cap. 13. dedit hoc populi simplicitati ingeniosa vetustas ad depellendam rei amatoriam, & conjugalis congressus suspensionem: hanc enim facillè vel pareret, vel augeter vegetus & virili ætate juvenis, qui cum nubili puellâ, vel cohabitans, vel deambulans in tabella spectantium oculis subiceretur. Pictoribus tamen jam cum omnes sufficienter instructi sunt de continentia ab utroque in conjugio servatâ præcipiendum ut deinceps abstineant ab hoc cum representandi modo.

XXX. Et certè si hoc admittendum foret, nonne perversi intulerint quod quando Beata Virgo respondens Angelo nuncianti ipsam esse concepturam & parituram filium altissimi dixit, *quomodo fiet istud quoniam virum non cognos-*

co? id non dixerit non affectu ad virginitatem, sed ex nausea viri adeò vetuli? fuerunt sanè plurimi qui plura minus apparentia nequiter intulerunt.

Sed ad fortiora progrediamur. Primò, displicet hæc sententia ex hoc quod faveat alteri sententiæ asserenti Divum Josephum fuisse bigamum, aliamque ante Beatam Virginem duxisse uxorem, quam refutavimus hoc tract. c. 3. sect. 1. Non est verisimile quod in populo in quo nuptiæ tanti fiebant, & maledictus censebatur sterilis quod Josephus usque ad tantam senectutem cœlebs contra omnium morem mansisset, aut quod eum Deus irrisioni & fannis exponere voluisset, ei cœlibatum tam diuturnum inspirando, ut factus seniculus tandem ad nuptias quas spreverat convolaret, ex ipstus jussu; tantum ut cautum esset Virginis integritati, cui melius multò providere poterat.

Neque dicas quod qui dicunt Deum voluisse, ut ita senex esset ut esset cautam Virginis integritati explicandi sint, non quo ad rem ipsam, quis enim credat illos tam crassos fuisse, ut nescierint gratiam refrigerantem ad hoc fuisse præstantiorem quàm senectutem? ergò intelligendi sunt quoad nos & in æstimatione hominum: poterat enim si non fuisset D. Josephus senex, dubitari contra Virginis integritatem. Sed hæc evasio nulla est: nam Luca cap. 3. Jesus putabatur filius Joseph scilicet generatione, non ergo dum nupsit fuit in ea ætate D. Josephus in quâ bene cautum sit, ut Virgo integra mansisse credi poruerit.

Secundò: hæc sententia omninò pugnat cum causis desponsationis præcipuis à nobis hoc Tractat. cap. 16. asserendis desponsata est enim primò, quia ad tempus fuit necesse, ut Christus ex eo genitus putaretur prout de facto putatus est Luca cap. 3. & alibi ne scilicet Christus ut spurius haberetur, & Virgo ut adultera lapidaretur à Judæis. At si tam senex fuisset ut per ejus ætatem cautum esse Virginis integritati tam quoad rem quàm quoad æstimationem nostram, non id obtentum fuisset quin potius è contra ut constaret. Secundò, ut etiam diabolo patrus ejus celaretur

celaretur, ac sic vaser ille deciperetur, dum eum putat non de Virgine esse generatum: at si D. Iosephus fuisset tam senex, ut esset impotens, hoc dæmoni fuisset perspectum, ergo &c. Tertio, ut Beatæ Virgini & ipsi Christo in iis quæ ad corpus spectant ministraret, ad quod sustinendi erant labores peregrinationum & itinerum, eundem è Nazareth in Bethleem, atque inde, redeundum, fugiendum in Ægyptum hyeme mediâ, atque inde remeandum: laborandum manibus pro alendâ & procurandâ familiâ, &c. quæ omnia in tali ætate, in quâ per illam potuisset esse cautum Virginis integritati præstare minimè potuisset: Quin ipse potius alieno obsequio indignuisset quàm alteri præstare potuisset, sicque Virgini potius fuisset oneri, quàm solatio & auxilio.

XXXIV. Tertio, hæc Sententia injuriosa est Deo, Virgini, & Divo Iosepho. Primò Deo, quasi non potuisset conferre ut in iustâ ætate castè simul conviverent, vel illis hoc meritum invidisset. Secundò Virgini, quasi illius decor & pulchritudo talis fuisset ut illius aspectus ad frædam carnis concupiscentiam etiam Sanctissimum Virum incitasset, cum è contra doceant SS. Patres quod ex illius venerando vultu nescio quid divinum spiraret quod omnem libidinem spectantium restringeret: ita D. Bonaventura supra cap. præced. num. 13. & Doctor Angelicus D. Thomas in 3. dist. 2. quæst. 1. art. 1. ad 4. *Gratia sanctificationis, inquit, non solum repressit in Virgine motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit, ita ut quamvis pulchra esset in corpore, à nullo tamen concupisci potuerit.* Tertio, Divo etiam Iosepho injuriosa est quia detrahit excellentiæ virtutis ejus & castitatis. *Temperantia enim quæ est in Senectute, non tam temperantia, quam libidinis & incontinentiæ quedam est imbecillitas,* inquit D. Basilius Magnus Orat. 8. de Temperantiâ & Incontinentiâ.

XXXV. Quarto, est manifestè contra Scripturam, nam Luca cap. 3. vers. 13. dicitur: *IESVS erat incipiens quasi annorum triginta ut putabatur filius Ioseph,* utique generatione. Unde Divus Augustinus tomo 4. lib. 2. de Consens. E.

vangelist. cap. 1. in fine. *Manifestum est, inquit, illud quod ait, ut putabatur Filius Ioseph, propter illos dixisse qui eum ex Ioseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrabantur.* Et tomo 10. lerm. 63. de diversis cap. 20. in fine. *Aliter quidem putabatur esse Pater Domini nostri IESV. Christi, scilicet sicut cæteri Patres carne generantes, non solo spirituali affectu liberos suscipientes: nam dixit & Lucas qui putabatur esse Pater IESV, quare putabatur? Quia humana putatio & existimatio illuc ferebatur quod solè ab hominibus fieri: non ergo de semine Ioseph Dominus, quamvis hoc putaretur.* Quod si putatus est Jesus filius Ioseph, non ergo Ioseph ita senex, ut eum fecerunt supradicti. Item Isaia cap. 62. dicitur: *Habitabit juvenis cum Virgine,* idest ut interpretatur Glossa, Ioseph cum Maria. Vide hunc Textum à nobis hoc Tractatu supra cap. 4. explicatum.

Est etiam contra ordinem & decorum: quid enim magis absurdum & ridiculum quàm Virginem Juvenculam quindecim annorum jugare seniculo? quid absurdius quàm Deum, qui omnia ordinatissimè facit, matrimoniùm tam ridiculum, tam absonum ordinasse, suoque in hunc mundum adventui aptasse? Omnes clamant,

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Et Sanctus Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum Theognide continente.

Non juvenis vetulo Conjux est apta Marito.

Et Ovidius.

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juveni,

Tam præmitur magno conjuge junctâ minor.

In quâ tam magnâ tamque evidenti disparitate, hoc adhuc magis foæter, quod in utrisque, idest in Juvenculâ nubente seniculo, & in seniculo ducente juveniculam, est magnum signum incontinentiæ in utrisque.

SECTIO III.

Vera Aetas Divi Iosephi quando Virginem duxit.

XXXVII **V**ita humana ut constat dividitur in plures aetates: Aetates subdividuntur in Annos, qui rursus componuntur ex Mensibus, hi ex Septimanis, denique haec ex diebus. Quoad annos non potest definiiri quem praecise attigerat D. Iosephus quando Virginem duxit, an videlicet trigessimum, trigessimum-quintum, quadragesimum, vel quemlibet alium intra illos, nihil enim de hoc habemus vel ex Scriptura vel in ullo Authore Divi Iosephi synchrono, aut temporum eius vicino: igitur id solum restat, & possumus; ut dimissis annis, inquiramus de aetate.

XXXVIII Et quidem ex dictis haecenus sequitur quod fuerit in ea aetate in qua manifestissime apparebat ex habitudine corporis adhuc aptus ad generandum, non quidem quod ipse esset geniturus, sed ut posset Iesus eius putari filius, quod fuit necesse ad tempus; aptus etiam ad sustinendos labores, ut posset peregrinari, & in itinere supportare Matrem & Primum, utrisque alendis laborare, &c. erat enim in id destinatus a Deo. Sed quia videtur id totum potuisse in omni aetate praeter quam decrepita & fracta sicut ceteri homines boni temperamenti, quaestio est in quam fuerit? Ante resolutionem

XXIX. Suppono ex Aristotele & ceteris Philoſophis Aetates dividi & diversificari pro diversa eaque notabili complexionis corporum sive temperamenti immutatione: Hinc bifariam dividuntur vitae humanae spatia seu aetates, primo secundum notabiliores immutationes, secundum secundum minus notabiles, notabiles tamen.

XL. Primo modo dividuntur in tres Aetates: Prima est aetas augmenti: Secunda aetas consistentiae: Tertia aetas decrementi: Namque homo uno tempore crescit & acquirit paulatim justum ac debitum suae naturae magnitudinis terminum, ultra quem non amplius extenditur: alio tempore, nec crescit nec

etiam decrescit saltem notabiliter, sed manet velut in eodem statu, eandemque vim ac robur retinet: alio denique tempore frangitur, & paulatim deficit, quia sensim humidum radicale absumitur, calorque vitalis resolvitur: prima excurrit usque ad vigesimum quintum, secundum alios usque ad vigesimum-octavum: Secunda ab inde usque ad quinquagesimum, vel sexagesimum porrigitur: Tertia durat reliquo vitae spatio usque ad mortem.

Secundo modo dividitur communiter in septem aetates, Infantiam, Pueritiam, Adolescentiam, Juventutem, Virilitatem, Senectutem, & Decrepitiam. Nam & in illis satis notabilis observatur immutatio naturalis constitutionis hominis: Prima protenditur usque ad septimum annum: Secunda usque ad decimum-quartum: Tertia usque ad vigesimum-quintum, vel secundum alios, vigesimum-octavum: Quarta usque ad trigessimum-quintum: Quinta usque ad quinquagesimum: Sexta usque ad sexagesimum-quintum: Ultima ad finem vitae: Quae omnia tamen non ita mathematicè sunt accipienda, quin aetates mediae possint aliquid participare de finitimis, & extremae de sequente & antecedente. Exempli causa, Juventus media est inter adolescentiam & virilitatem, incipitque ubi adolescentia finit, finit vero ubi virilitas incipit: hoc tamen non impedit quin aliquando possit dici ille juvenis qui paucos annos habet minus quam viginti quinque, vel paucos amplius quam triginta quinque. His positis.

Dico D. Iosephum quando duxit Beatam Virginem in ea aetate fuisse, quae communi usu & consuetudine, habebat saltem aliquam proportionem cum aetate Virginis quam sibi desponsabat: est communis contra Abulensem in cap. 30. lib. Numeror. quaest. 31. qui licet recedat nobiscum ab ea sententia quae eum seniculum facit, in hoc quod docet fuisse adhuc manifestè aptum generationi & labori: Attamen tenet fuisse adhuc aliquatè tenem: ad quem videtur proximè accedere Gerson sermone de Nativitate Virg. Mariae Confid. 3. ubi postquam docuit non fuisse ita tenem ut volebant Antiqui, sed juvenem, seipsum

seipsum explicat addens. Sic autem exi-
ssimo Ioseph fuisse juvenem sicut juvenutis
terminos ponit Isidorus, quos extendit à
vigésimo octavo, ubi terminat adolescen-
tiam, usque ad annum quinquagesimum:
quo tempore etas tunc senectutis inchoat.
Fuit igitur Ioseph dum primò desponsatus
est sub quinquagesimo anno constitutus.
Quamquam qui Gersonem benignè
interpretari voluerit, facillè ad partes
nostras trahet.

XLIII. Probatur primò, ex duobus Scrip-
tura locis cumulatis, quorum primus
est Isaïæ cap. 62. *Letabitur sponsus su-
per sponsam, & habitabit juvenis cum
Virgine*, hoc est juxta Glossam utram-
que *habitabit Ioseph cum Mariâ*. Unde
Doctör Viguerius in suis Instit. c. 20.
§. 9. *Virgo non evassisset notam infamie
si vir ejus fuisset senex aut decrepitus: quod
autem esset juvenis apparet ex eo quod ha-
beretur*, Isaïæ cap. 62. *Letabitur sponsus
super sponsam, & habitabit juvenis
cum Virgine*, Hoc est Ioseph cum Ma-
riâ, hæc Viguerius. Secundus locus est
ex Evangelio Luc. cap. 1. *Missus est
Angelus Gabriel à Deo ad Virginem despon-
satam viro cui nomen erat Ioseph, virum
vocat Evangelista D. Iosephum tunc,
quando Beata Virgo annunciata fuit,
quod nomen secundum consuetum
modum loquendi nõ significat senem,
sed hominem justæ etatis: ex quo utro-
que loco collectivè eruo nostræ senten-
tiæ probatione: et si enim hæc duo loca
videantur invicem pugnare, quia unus
dicit juvenem, hoc est in quartâ etate
constitutum; alter virum hoc est in quin-
tâ etate, non tamen pugnant: quia ut
monuimus hic num. 41. hæc etates non
ita mathematicè capiuntur, quin me-
diæ aliquando possint participare de fi-
nitimis saltem ex communi consuetu-
dine loquendi: quod cum ita sit, di-
cendum, quod ex hoc quod dicitur ju-
venis simul & vir, colligitur ipsum non
fuisse in initio juvenutis, non enim
posset dici vir: nec etiam in extremo
virilitatis, quia non posset dici juvenis:
nam nec juvenus secundum suum ini-
tium est finitima virilitati, ut ei partici-
pare possit, nec virilitas secundum suum
extremum juvenutis, sed oportet om-
ninò quod fuerit in confinio utriusque
etatis, hoc est vel in exitu juvenutis*

vel in initio virilitatis.

Huic probationi tam plausibili suc-
currunt adhuc aliæ à nobis suprascriptæ:
XLIV. Prima, quia cum D. Iosephus ante Vir-
ginem nullam aliam duxerit uxorem,
ut dictum est supra, non est credibile
ipsum ultra istud tempus vel expectasse
vel à Deo retardatum fuisse ut nuberet,
cum illo tempore mores suæ gen-
tis nullo modo ferrent cœlibatum, in
illis intelligo qui non erant inter illos
Religiosi, seu Prophetici Eliani status.
Secunda, quia aliàs nimia & absurda
disproportio fuisset & nimis extra usum
& consuetudinem communem inter
ipsum & Beatam Virginem ad nubendum;
atque adeò aliquid habuisset
incongruè & ridiculi eorum matrimo-
nium.

His rationibus & aliæ suffragantur, XLV.
quarum una est, quod si debuit Di-
vus Iosephus ut profectò debuit, esse in
eâ etate in quâ esset & judicaretur ap-
tus ad generandum, ut sic tolleretur
omnis occasio suspiciendæ vitiosæ co-
pulae in conceptione Christi, nulla po-
test assignari ratio, quare non debue-
rit esse in etate, quæ etiam esset justa,
& proportionem haberet, aliqualem
saltem, cum etate Virginis, qualem
habet adhuc finis juvenutis; vel ini-
tium virilitatis, puta trigésimus annus
ut vult Major in c. 1. Luc. fortè quia est
justum medium juvenutis, vel trige-
simus tertius annus, ut volunt alij, quia
est etas plenitudinis Christi: quin è
contra congruentia non modica appa-
ret ita debuisse fieri.

Secunda, quia hæc sententia magis XLVI.
commendat Dei bonitatem & D. Iosephi
meritum, quorum hic sine Scrip-
tura, sine præcepto, sine exemplo, in
viridi etate, cum uxore juvene ac spe-
ciosissimâ continentiam servare potuit,
& ille gratiam ut posset contulit mu-
nificentiâ singulari: quod si senex et si
quinquagenarius tantum fuisset, po-
tuisset, possetque fortè quis putare
hanc ejus continentiam potius ex ali-
quali frigiditate, vel libidinis concupis-
centiæque remissione processisse, quàm
ex studiosâ continendi voluntate: un-
de Divus Bernardus Homil. 2. super
missus est, hunc Iosephum compa-
rat Patriarchæ Ioseph, qui in etate
juvenili

juvenili & pulchritudinis flore se-
vavit castitatem & fidelitatem Do-
mino suo.

CAPUT XV.

*Quonam tempore hoc matri-
monium inierint scilicet an
ante, an post Christi concep-
tionem.*

- I. **M**AJORIS fuit momenti hu-
jus resolutio quæstionis ad
magnitudinem & laudem Di-
vi Josephi, quam olim ponderatum sit
ab antiquis, quibus unica cura fuit pro-
pter illius temporis necessitatem, vir-
gineum partum adstruendi: ut proinde
non sit mirum, quod non in eâ ab
illis veneratione sit habitus, quæ ejus
meritis & dignitati debebatur, non
enim hæc illis plenè cognita fuit. Ab
hâc quæstione omninò pender alia
longè gravissima quæ est de ejus Pater-
nitate, seu quomodo & quàm strictè
sit Pater Christi Domini: At hinc cæ-
teræ ejus prærogativæ, omniæque ejus
magnalia, ut constat, & constabit: tan-
ti ergo cum sit momenti eam accuratè
discutiamus.

SECTIO PRIMA.

*Varia de hâc Quæstione Sen-
tentia.*

- II. **I**N hac materiâ ut in aliis fecimus,
omnes sententias referimus, tum ut
non videamur aliquid occultare vo-
luisse, tum etiam ut veritas, quam ubi-
que quærimus, magis appareat: nam
juxta communem præcæmiam, *Opposi-
ta juxta se posita magis elucescunt.*
- III. Ratio hujus varietatis est, quod Bea-
ta Virgo dicitur ante conceptionem
Verbi desponsata viro cui nomen erat
Joseph, Matth. cap. 1. & Luc. cap. 1.
Cum enim verbum *desponsata*, quod
ex vi vocis significat promissam, ex
communi usu significet etiam nuptam
seu maritam, maximè verò ante ma-
trimonii consummationem, hinc hæc
lucinatō.

Primò, ergo voluere nonnulli circa
hanc rem duo, scilicet ante Verbi con-
ceptionem fuisse solùm inter Beatam
Virginem & D. Josephum sponsalia de
futuro, nec illam ab hoc tunc domi ha-
bitam. Ita Simon Cassianus in Com-
ment. Evang. lib. 6. c. 6. & 18. Abulensis
in c. 1. Matth. Cardinalis Caietanus in
3. part. D. Thomæ quæst. 29. ad art. 2.
(in quo tamen discedit à D. Thomâ)
& Baronius tom. 1. Annal. in Appar.
& alii. Probatur prima pars, ex illo
Matth. cap. 1. v. 18. *Cum esset despon-
sata Mater IESV Mariv Joseph, idest, in-
quiunt, cum esset promissa: huicque
interpretationi videtur favere versio
Græca, quæ pro verbo desponsata habet
miseris. Secundo, ex illo ejusdem
Evangelistæ ibidem vers. 20. Joseph fili
David noli timere accipere Mariam conju-
gem. Ergo nondum illam acceperat in
conjugem. Probatur secunda pars. Pri-
mò, ex illo Matth. cap. 1. vers. 18. *Ante-
quam convenirent inventa est in utero
habens, idest antequam simul venissent
ad cohabitandum. Secundo, ex eod-
em Matth. c. citato vers. 19. Cum esset
justus & nollet eam traducere, hoc est,
in domum suam: nondum ergo tunc
cum illâ habitabat. Tertio, quia Lu-
cas cap. 1. dicit quod Deipara post tres
menses quibus mansit apud cognatam
suam Elizabeth, *Reversa est in domum
suam, non in domum Joseph, quo re-
versa fuisset, si ei ante cohabitasset, ita
Caietanus. Quarto, si Beata Virgo
quando annunciata est ab Angelo, fuisset
in domo Joseph, seu illi cohabitasset,
quomodo Divus Josephus Ange-
lum & Virginem inter se colloquentes
non audivisset? & si audivisset videns
ita contigisse quomodo Angelus nun-
ciaverat, unde anxius fuisset? Arris-
se potuit illis hæc sententia quod magis
faceret apud infideles ad fidem virgi-
nei partus.***

Alii voluerunt ante Conceptionem
Verbi fuisse quidem tantùm sponsalia
de futuro, ut præcedentes: verumta-
men cohabitasse & convixisse. Citatur
pro hâc Gerson in suâ Josephinâ & ali-
bi sæpè, maximè tamen parte 4. oper.
opuscul. 15. qui est de solemnitate Virgi-
nalis Connubii Lect. 3. ubi sic ille: *Ac-
cepit Mariam Adolescentulam prius
Joseph*

Joseph in Sponsam suam in Templo Jerosolymis, ubi dedicata Deo cum cæteris virginibus morabatur; porro Joseph post dies aliquot Mariam accepit juxta morem Gentis suæ in familiarum convictum suum secum in Nazareth, ita enim fiebat ad probationem morum Sponsæ. Illic in Nazareth priusquam conveniret Joseph & Maria, intellige solemnium ritu nuptiarum, & ut ita dicamus per verba de præsentem, nunciavit ei Angelus, quæ tradit Lucas Evangelista, & ita priusquam convenirent, dicente Matthæo, inventa est Maria habens in utero de Spiritu Sancto. Hæc illa.

VI. Sed respondent aliqui quod Gerson distinguit nuptias secundum ritum essentialem & secundum solemnem, seu secundum essentialitatem, & secundum solemnitatem: & quidem licet ita loco in assertionem citato loquatur, tamen in antecedentibus nihil aliud dicit, nisi quod tunc non fuerit ritus solemnium nuptiarum, cum tamen expressis verbis mentem suam aperiens dicat, quod tunc Maria non tantum erat desponsata per verba de futuro, sed de præsentem. Sed sive fuerit Gerson in hac opinione sive non.

VII. Dico huius sententiæ videntur mihi fuisse D. Hieronymus in cap. 1. Matth. ad illa verba, *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*. Ubi sic ille. *Non ab alio*, inquit, *inventa est nisi à Josepho, qui penè licentiâ maritali futura uxoris omnia noverat*. Illud enim penè licentiâ maritali significat Josephum tunc, id est quando ab eo inventa est Maria in utero habens non fuisse omnino maritum, sed penè maritum. Quid autem hoc est nisi Sponsum? Deinde illud *futura uxoris*, ergo tunc necdum erat uxor, tunc tamen dicitur futura, hoc est Sponsa. Quomodo verò tunc Joseph omnia futura uxoris novisset nisi tunc domi habita fuisset? Divus Chrysostomus homil. 4. in Matthæum super illud *Antequam convenirent: Non dicit Evangelista priusquam in sponsi domum adduceretur, intus enim jam erat, hunc quippe morem plerumque tenebat Antiquitas, ut sponsæ sponsum domibus haberentur, quod nunc quoque fieri interdum videmus*. Euthymius in cap. 1. Matth. ad eadem

verba. *Non dicit Matthæus priusquam ipsa veniret ad domum Josephi, jam enim in eâ erat. Multis siquidem mos erat, ut apud se haberent sponsas, propter securitatem*. Divus Bernardus homil. 2. super Missus est. *Mos, inquit, Iudaorum erat, ut à die desponsationis suæ usque ad tempus nuptiarum, sponsis sponsæ traderentur custodiendæ, quatenus earum ipsi eo sibi pudicitiam curiosius servarent, quo sibi fideliores existerent*. Prima pars est probata ad sententiam præcedentem, cum quæ convenit: Pro secundâ parte movetur ex hoc quod licet fuerint tunc tantum sponsalia, tali enim modo Joseph & Maria desponsati debuerunt aptari, ut conceptus Divo Josepho attribueretur, ne Virgo tunc haberetur ut fornicaria, & Christus ut illegitimus: Nam, ut inquit D. Thomas 3. part. quæst. 29. art. 2. ad 3. *Sicut in eâ quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio naturalis, sic in eâ quæ extra domum concipit, est suspecta conjunctio, & ita non esset sufficienter provisum fame Beate Virginis per hoc quod fuisset desponsata, nisi fuisset domi habita*.

Alii è contra voluerunt fuisse nuptiam, necdum tamen domi habitam: quia nimirum duo distinguunt in matrimonio: Primum, ipsam celebrationem contractus matrimonialis: Secundum, solemnem nuptiarum celebrationem, quam aliqui statuunt in benedictione Sacerdotali: Alii cum eâ addunt conventum amicorum & epulas, dicentes tunc & non ante solemniter sponsas introduci solitas. Probatur ex cap. 19. Genesis, ubi dicit Loth *Habeo duas filias quæ necdum cognoverunt virum*. Et inferius. *Egressus itaque Loth locutus est ad generos suos qui accepturi erant filias ejus*. Ubi vides filias Loth jam duobus illis fuisse maritatas, quia vocantur ejus Generi: & tamen constat illas necdum illis traditas, tum quia dicitur de illis generis, quod erant accepturi illas, tum quia dicitur quod illæ duæ filię necdum cognoverunt virum, tum denique quia dicitur Loth egressus ut loqueretur ad illos. Secundò ex Genes. cap. 29. ubi Jacob Rachel desponsata est pro servitute septem annorum, quibus finitis ait: *Da mihi uxorem meam, quia jam tempus impletum est ut ingrediar ad illam*. Qui

(scilicet

(scilicet Laban) *vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias, & vespere filiam suam Liam introduxit ad eum.* Et post pauca. *Imple hebdomadam hujus copule, & hanc quoque dabo tibi pro opere quo serviturus es mihi septem aliis annis. Acquivit placito hebdomada transactâ Rachel duxit uxorem.* En inquit P. Escobar usque ad celebrationem nuptiarum, nec datam Sponso Conjugem, nec acceptam. Congeritque alia huic similia exempla in Rebecca Genes. 24. in Philistâ Sampsonis sponsâ Judic. cap. 14. in Sarâ Tobie cap. 6. in Sponsis filiorum Jambri 1. Machab. cap. 9.

- X. Probant illi secundò hoc modo, quia Joseph nihil cogitans de futuro Conjugio venerat ex Bethleem Oppido Jerosolymæ propinquo, omninò imparatus ad nuptias. Quare hoc tam inopinatè inito Conjugio, cum nihil aliter cogeret, probabilius est illum vel statim in Bethleem unde erat remeasse, vel saltem deductâ Conjugem suâ in Nazareth ad domum quæ illi cesserat ex hereditate Parentum, eâque ibi relicta in Bethleem quàm primùm se contulit, ut ibi de re suâ familiari disponderet, atque ut minimum artis suæ instrumenta secum reveheret: eo autem tempore ab Angelo fuisse annunciatam, & Verbum Divinum concepisse: ac deindè omnibus dispositis successisse solemnem nuptiarum celebrationem quæ fiebat cum conventu Amicorum & propinquorum, Sacerdotali Benedictione acceptâ, cum quibus solemniter introducebatur maritata ad sponsum. Ita inter alios Escobar tomo 3. in Evangelia Sanctorum libr. 2. tit. de Mariâ nuptâ lect. 1. §. 7.

SECTIO II.

Vera sententia de tempore hujus Matrimonii.

- XI. **Q**Uarta eaque vera sententia est, Beatam Virginem & Divum Josephum ante Annuntiationem, seu Verbi conceptionem, fuisse conjunctos & matrimonio & convictu, seu cohabitatione: est communis Sancto-

rum Patrum, & jam ab omnibus recepta. Probatur primò ex Luca c. 1. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam Viro cui nomen erat Joseph.* Et si enim verbum istud *desponsatam*, quantum est ex vi nominis significet non jam de præfenti traditam, sed promissam de futuro: attamen ex communi usu & acceptione istius vocis sumitur etiam pro eâ quæ viro juncta est per verba de præfenti, maximè verò si, ut in nostro casu, sit recenter nupta, ut nullus adhuc intercesserit concubitus: Res est per se clara, & confirmatur, quia ibidem cap. 2. vers. 5. eodem nomine *desponsata* vocatur diu post conceptionem Verbi, cum esset jam partui proxima, ac indubitanter in Divi Josephi potestate. *Ascendit autem & Joseph à Galilæa de Civitate Nazareth in Judæam, in Civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo David, ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.* Si ergo potuit tunc sine ullâ ambiguitate uxor, adhuc dici desponsata, cur non & longè fortius ante conceptionem, cum essent recenter conjuncti?

Probatur secundò, ex Matthæi c. 1. vers. 18. *Cum esset desponsata Mater IESU Maria Joseph, antequam invenirent inventa est in utero habens, &c.* ubi duo dicuntur. Primùm, quod erat desponsata Maria, quando inventa est in utero habens: Secundùm, quod illa desponsata inventa est habens in utero antequam convenirent, quo significatur desponsationem talem fuisse, ut potuerint honestè & licitè quantum est ex parte vinculi seu desponsationis, sive etiam quoad nos, & juxta usum ordinarium convenire: at non licet isto modo convenire nisi prævio conjugio, ergo tunc erant verè conjuges Maria & Joseph. Nam istud, *antequam convenirent*, non intelligitur de conventionem in eandem domum ad cohabitationem, sed de conventionem quæ significat congressum carnalem, qui isto verbo modestiori expressus est ad honestatem: continet enim rationem cur voluerit eam occultè dimittere: non voluit autè dimittere, eo quod inventa esset

esset gravida antequam in eandem domum convenissent ad cohabitandum, sed quod inventa esset gravida sine suo congressu.

XIII. Petes cur illi duo Evangelistæ Matthæus & Lucas non dixerunt nuptiam pro desponsata ad majorem claritatem? Respondeo primò, cur etiam non dixit desponsatam solum, quod probabiliter dixisset, si voluisset significare fuisse tantum sponsalia de futuro inter illos: Respondeo secundò, quia hæ nuptiæ non fuerunt ut aliæ, ut agerent rem nuptialem, quare non per terminum *nuptiam*, quomodo illæ, qui sapit matrimonii consummationem, sed per terminum *desponsatam* eorum conjunctionem exprimere voluerunt, eo quod non aliter se gesserint quam si simpliciter desponsati fuissent.

XIV. Probatur tertio ex eodem Matthæo cap. i. v. 20. *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, ubi vides quomodo Evangelista illam quam jam *desponsatam* pronuntiavit vocet mox & continenter eam *conjugem*: Ut enim optimè observat Doctor Henricus Rampenne Huenfis tomo i. in Evang. ad illa verba. Si Maria tunc non fuisset nupta Josepho non dixisset noli timere accipere Mariam conjugem tuam, sed dicendum fuerat noli timere accipere Mariam in conjugem tuam. Porro illud accipere, cum contra ponatur ad dimittere quod cogitabat, eique ex adverso respondeat, significat retinere, quod est accipere constanter eam quam jam mente & voluntate dimiserat: Non poterat autem eam occultè dimittere, nisi jam illam accepisset, eique cohabitasset, nemo enim dimittit nisi quod accepit: ex quo manet probata secunda pars nostræ propositionis.

XV. Probatur quarto hoc firmissimo argumento quo utuntur communiter omnes Interpretes, inter quos Doctor Rampenne mox citatus, & ex nostris Guido Perpinianus, Beauxamis & Sylveira in Evangelia. Ideò enim ut Sancti Patres docent, Beata Virgo debuit desponsari, ut sub hoc integumento ipsa & Christus Dominus omnem infamiam notam evaderent: si enim de non desponsata conceptus fuisset & natus Christus, illa ut adultera vel fornicaria,

hic ut illegitimus habitus fuisset: putassentque Judæi, qui ei resisterunt, se habere aliquem suæ obstinationi prætextum & excusationem. *Quid enim*, inquit D. Ambrosius lib. 2. in Luc. cap. 1. *quid Judæis: quid Herodi posset adscribi si natum ex adulterio vel fornicatione viderentur persecuti*: sed si sponsalia tantum de futuro præcessissent Christi conceptionem, vel necdum tunc cohabitassent nupti, ex fornicatione vel adulterio Christus prodiisse visus fuisset, ergò fuit tunc nupta Virgo D. Josepho, & ab eo domi habitata.

Respondet Cajetanus, licet non cohabitarent, talem tamen ac tantam inter illos à nuptiis potuisse intercedere familiaritatem, ut posset Virgo illo tempore existimari non ab alio quam à Divo Josepho Sponso suo imprægnata, ut de facto existimata est: præsertim cum verisimile sit, inquit, quod simul cum Virgine ascenderit in Montana Judææ, ibique cum illa manserit.

Sed quàm hæc evasio! Primò enim ut possit Cajetanus negare nuptias seu cohabitationem licitam & honestam, ne cum aliis sentire videatur, fingit familiaritatem tantam, quæ eundem cum cohabitatione habeat effectum, ut scilicet ex eâ Beata Virgo gravida effecta potuerit existimari, & de facto existimata sit à Sponso suo cognita, sicque omnis infamia vitari: sed non advertit se illis inurere notam præcipitis libidinis, vel etiam gravissimi peccati mortalis in materiâ carnis, quam tamen ab his purissimis Cōjugibus quàm longissimè remotam esse decuit & voluit Deus, ut à totius continentię maximè verò conjugalis exemplaribus.

Etenim si quando Beata Virgo gravida apparuit nupserat, benè præsumpta fuisset præcipitata libido, quippe qui se cognovissent ex hypothesi ante expletam nuptiarum solemnitatem & præscriptum tempus ad cohabitationem: Si verò tunc fuit tantum desponsata per verba de futuro (quæ quidem est opinio Cajetani) eandem & majorem adhuc prurientis in eis libidinis incurrerunt notam, ac insuper fornicationis, quia nec sponsus ante initum matrimonium unquam licita fuit copula carnalis,

carnalis, & dictus fuisset Christus natus ex coitu illicito.

XVIII. Quod addit Caietanus verisimile est: Josephum sponsum cum Mariâ sponsâ in montana ascendisse ad domum Elizabeth, ibique cum eâ mansisse, non coheret, habetque aliquam implicitam: Nam si necdum nupserant, nec cohabitabant, quomodo ergo potuerunt honestè simul peregrinari, ibique tamdiu commanere? Deinde quid est cohabitare nisi ita commanere? Aut si non ascendit & necdum domi habitâ fuerat, quomodo in reditu imprægnata apparens, potuit suspicionem & notam viciosæ copulæ vitasse?

Probatur quintò efficacissimè, quia si tunc quando inventa est Maria habens in utero necdum erant inter illos nisi sola sponsalia de futuro, quorsum fuisset Joseph tam anxius pro eâ dimittendâ, & quidem occultè, quandoquidem omni tempore, & apud omnes gentes, sponsalia nuda per simplicem fornicationem dirimi notum sit?

XIX. Probatur sextò, quia si quando Beata Virgo inventa est in utero habens, inter illum & D. Josephum non fuerunt nisi sponsalia de futuro: vel jam cohabitaverant, vel tantum postquam Josepho cogitanti eam dimittere eo quod gravida apparet, dixit Angelus noli timere accipere Mariam conjugem tuam, hoc est post tres menses quibus profecta in Montanâ ad cognatam abfuit etiam ab oculis Joseph: Non primum: Cum authores tertie sententiæ teneant, non fuisse moris apud istam gentem ut nuptiæ statim introducerentur ad cohabitationem, sed expectare debuisse solemnitate nuptiarum, quam perficiebat benedictio Sacerdotalis, conventus amicorum & propinquorum, cum quibus solemniter introducebatur nupta ad sponsum: Quibus ergo horum credemus? si horum alterutris credendum esset, certè postremis potiùs crederem quàm primis: Quis enim admittat in populo Religioso & timente Deum, talem morem, melius talem abusum contra omnem honesti rationem, qualem invehant illi primi qui dicunt cohabitasse Judæos sponsis cum solis sponsalibus de futuro? Et Deus immortalis!

quàm plena periculi fuisset hæc alea sponsam juvenem ante conjugium initum committi sponso, eique cohabitare eo tempore toto quo sponsalia illud præcedere solent, & tunc quando maximè fervet amor? ergo postremis fides adhibenda potius, quàm primis, quia in eo quod asserunt plus est honestatis: non tamen etiam secundum, qualis enim fuisset existimatus D. Josephus, qui sponsam post trium mensium absentiâ in reditu gravidam cum evidentiâ apparentem in uxorem accipere voluisset? Qualis Virgo? nonne fornicaria? Qualis filius? nonne spurius ab omnibus habitus fuisset? quid clarius?

Quæres cur ne septimanâ, ne die, neve momento quidem ante matrimonium voluerit Spiritus sanctus fecundare Virginem? poterat enim, & exiguitas illa temporis nil impedisset quin Maria & Jesus à nota infamiæ liberi fuissent. Respondeo primò, cur Deus seu Spiritus sanctus hoc affectasset? Respondeo secundò, non tantum ab hoc conjugio removenda est omnis suspicio infamiæ, sed etiam immodestæ seu immoderationis: quare etiâ non decuit ut statim ac juncti fuerunt, Beata Virgo annunciaretur ab Angelo ac conciperet ut præcisè expleto nono conjunctionis mense pareret, ne viderentur cito in libidinem ruisse. Respondeo tertio, id divino factum consilio, ut scilicet Divus Josephus Christi verus Pater evaderet, idque strictissimo modo, maximèq; ad Patrem generatione appropinquante, ut explicabimus Tractatu sequenti: Sic Deus curavit Divum Josephum sublimare.

SECTIO III.

Satisfit oppositarum Sententiarum argumentis.

PRæcedenti Sectione earum Sententiarum absurditates palam fecimus, quibus nostra gravissimis suis argumentis communita, firmior evasit: ne tamen vel minimus cuiquam de ejus certissimâ veritate restet scrupulus, earumdem oppositarum Sententiarum

tiarum argumenta Sectione primâ adducta hîc diligemus, ut sic nostræ assertioni fides sit plenissima & abundantissima.

XXII. Ad ea quæ adducta sunt pro primâ parte primæ Sententiæ ex Matth. c. 1. vers. 18. & vers. 20. quod scilicet Beata Virgo tunc desponsata tantum dicatur, non verò nupta, satisfactum est Sect. præcedenti num. 11. 12. & 13.

XXIII. Ad primum pro secundâ parte e jusdem primæ sententiæ sumptum ex illis verbis Matth. c. 1. vers. 18. *Antequam convenirent, inventa est in utero habens*, solutio est in illis quæ habentur sectione præcedenti num. 12. ad quæ pro vitandâ repetitione remittimus.

XXIV. Ad secundum, Respondeo illud, & nollet eam traducere non significari de loco in locum, de templo vel domo paterna in suam ducere, ut intendit ista sententia, sed significat infamare, divulgare, inhonorare, & ut adulteram publicare: ita omnes expositores post Origenem hom. 1. de diversis, & Divum Augustinum epist. 54. eodem modo sumitur idem verbum *traducere* Sapientiæ cap. 4. vers. 20. *Et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum*, eodem modo Livius lib. 2. ubi de Volscis loquens publico consilio ac voce præconis à spectaculis profcriptis. *Vos, inquit, Volsci omnibus civibus, peregrinis populis, spectaculo abeuntes fuisse, vestras conjuges, vestros liberos traductos per ora hominum.* Et est certa traditio si vis verbi Græci *para diemasiitai* consideretur: vox enim illa significat exemplum statuere, publicæ infamiæ exponere: innuunt idem quoque hæc verba: *Cum esset justus, &c.* quibus redditur ratio cur noluerit eam D. Josephus inventam gravidam antequam convenirent, traducere, sed prætulit eam occultè dimittere: non enim magna fuisset justitia illam ob istam causam nolle ad convictam recipere, quis non idem fecisset? sed magna fuit justitia id fecisse quod nullus alius fecisset, abstinuisse ab accusatione, ne fortè innocens esset, & elegisse eam occultè dimittendo, id est exulando, rem totam divinæ Providentiæ committere.

XXV. Ad tertium ex Caierano futile est, non enim dicitur domus, in quam re-

versa est B. Virgo post visitatam cognatam, sua, quod ipsa sola in eâ habitaret necdum juncta Josepho, sed dicitur sua, quia non aliena; aliena autem non fuit, quæ domus viri seu mariti sui fuit.

Ad quartum adhuc inane est, Respondeo enim Beatam Virginem & Divum Josephum in eadem domo habuisse diversos lectos, & ut credibile est in diversis locis, ideoque potuisse Angelum Josepho non audiente & inscio, vel eo dormiente, aut tunc absente, vel in suâ officinâ operi suo intento, Deiparæ apparuisse & cum illâ eos, quos refert Evangelium, sermones miscuisse.

Ad id quod adjicitur potuisse hanc sententiam artifice suis authoribus, quod magis faceret apud infideles ad fidem virginæ partus, Respondeo quæ hoc cogitarunt decepti sunt: nam si infideles manent tales, nec sic credent Virginem concepisse: si verò ad Dei verbum convertantur, tam facile consentient quàm nos, quod sicut Virgo ex Dei dono manens Virgo concipere potuit, ita ex eodem Dei dono, cum viro vivens virgo manere.

Ad argumenta pro secundâ parte secundæ sententiæ, hæc utitur iisdem argumentis ferè quibus nos, quod scilicet Divus Josephus licet esset tantum sponsus non maritus, tali tamen modo erat Virgini aptandus: si verò ad Dei addici posset ob honorem Virginis & filii ejus: atque adeò dum hic conceptus est, debuerit illa esse domi habitata: ut etiam dicimus in nostrâ. Sed ineptè: nec enim ea est congruentia in cohabitatione simpliciter desponsatorum que in maritorum, ut proinde quoad hoc non possit simpliciter sponsus aptari sponsæ ut maritus conjugi, ut patet.

Quoad authoritatem D. Hieronymi, illud *penè licentiâ maritali*, facile explicatur dicendo quod per hoc nihil detrahe re voluit de veritate mtrimonii & mariti, sed tantum de licentiâ maritali, quam utique nunquam sibi arrogare voluit D. Josephus, ut alii mariti, ob propositum & votum perpetuæ continentiæ: quoad illud verò *futura uxoris*, dicendo non negari à Hieronymo

nymo fuisse uxorem de presenti, non tamen pronunciari uxorem de presenti, sed tantum de futuro, quia videbatur non amplius futura seu abjicienda, eo quod antequam convenissent inventa fuerat habens in utero.

XXX. Quoad D. Chryostomum fatendum est illum in eâ opinione fuisse, quod talis esset mos apud Judeos, ut sponsæ à sponsaliorum tempore in sponsorum domibus haberentur, usque ad tempus nuptiarum: sed videtur Divus Chryostomus deceptus & consequenter alii qui eum sunt secuti in exemplo de filiabus Loth ex cap. 19. Genes. quod istum morem probari existimavit: Etenim cum Angeli, quos Loth hospitio exceperat, ei dixissent: *Habes hic quempiam tuorum generum? aut fratres, aut filias, omnes qui tui sunt educ de urbe hac, delebimus enim locum istum?* Subdit mox Scriptura. *Egressus itaque Loth loquutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus, & dixit, surgite & egredimini de loco, quia delebit Dominus Civitatem hanc, Viden' quomodo Loth dicitur egressus ut loqueretur ad generos suos qui accepturi erant filias ejus: non ergo tunc habitabant in domo ejus cum filiabus suis. Ad ceteros Patres scilicet Euthymium & D. Bernardum pro illâ opinione citatos, cum Divus Chryostomum sequantur, nihil habemus addendum ad responsionem præcedentem.*

XXXI. Ad argumenta tertie Sententiæ Respondeo ad primum ex Genesis cap. 19. de filiabus Loth, ubi illi qui erant eas accepturi dicuntur ejus generi hanc locutionem esse accipiendam in sensu commodo: generi autem qui accepturi sunt filias alicujus manifestè sunt generi futuri, non verò de presenti: ita Dionysius Carthus. in hunc locum ex Eusebio. Constat utique ex Divo Hieronymo apud eundem Carthusianum dicentem, ut sequitur: *Hebraica veritas habet, locutus est Loth ad sponsores qui accepturi erant filias suas virgines. Ergo filia necdum erant maritata.* Ita Divus Hieronymus ex textu Hebraico originali.

XXXII. Ad secundum ex Genesis cap. 29. de Jacob & Rachele quod scilicet Rachel non fuerit introducta ad Jacob, sive

pro ipsâ per fraudem soror ejus Lia, nisi postquam vocatis multis amicorum turbis ad convivium fecisset nuptias; nec de facto ei actu tradita, quamvis jam præfata pro illâ peracta essent nisi post hebdomadam unam; Respondeo nescio quomodo id possit adducere ad suum intentum P. Escobar: cum manifestum sit ex capite citato Genes. Jacob apud Laban Patrem Rachelis in eadem domo cum ipsâ habitasse non solum ante conventum illum amicorum, sed totis septem annis quibus servivit pro ipsâ, ei pro hac servitute promissâ. Secundò, manifestè hallucinatus est Pater Escobar, qui verba illa, *Vespere filiam suam Liam introduxit ad eum*, quæ intelliguntur de introductione ad thorum, ut patet, accepit pro introductione ad cohabitationem. Nec etiam ex hoc quod non est ei de facto tradita Rachel post sororem suam Liam, nisi expletâ hebdomadâ unâ, potest colligi iste mos assertus à Patre Escobar: Sed id inde provenit quod cum supposita fuisset in locum Rachelis Lia, ac propterea hujus tunc nuptiæ solemnes essent, quæ tunc temporis durabant per septem dies, ut constat, ex lib. Judic. cap. 14. fuisset indecorum, & contra omnem honestatem intra dies nuptiales unius, aliam superinducere: aliis exemplis Sect. 1. hujus capituli pro hoc more probando congestis non immoror, quandoquidem minus urgere quam præcedentia, vel ex hoc colligere licet, quod ipse Escobar illorum loca notasse contentus fuerit.

Ad secundum fundamentum hujus tertiæ sententiæ quæ est Patris Escobar, quod scilicet putet Divus Josephum, quando Virgo ei data est in matrimonio, venisse ex oppido Bethleem, ac proinde cum inde venisset nihil cogitans de futuro conjugio, hoc celebrato, eò remeasse vel saltem statim post Beatam Virginem in Nazareth deductam, eò se contulisse, ut ibi de rebus ad se pertinentibus disponeret: ac interim Virginem in Nazareth Angelicum nuncium recepisse, & Verbum divinum concepisse: Respondeo etiam dato quod Divus Josephus Bethleemites fuisset, quod non, ut ostendimus part. 1. tract. 2. cap. 14. sect. 1. Quare non

non potuisset cum uxore sua illac transire, ibique sua agere, ac illis peractis una cum ea in Nazareth recta tendere: Nunquid hoc verosimilius est quam istud?

SECTIO IV.

Quo mense, quove die hoc matrimonium celebratum fuerit?

XXXIV. **P**rima Sententia est illorum qui volunt hoc matrimonium celebratum fuisse decima nona Martii, quia isto die Ecclesia celebrat festum S. Josephi; utpote paulo & sufficienter ante verbi Conceptionem in Virgine, propter quam solum hoc matrimonium ordinatum est a Deo, sex scilicet vel septem diebus ante eandem conceptionem: non enim, inquit illi, apparet ulla ratio propter quam isto die Ecclesia Festum D. Josephi instituerit potius quam alio, verosimilior hanc, a qua omnis felicitatis ejus initium. Sed hanc ratio imbecillis est valde, quia dies obitus est dies cumuli felicitatis ejus, ergo potius existimandum 19. Martii fuisse diem obitus ejus ut in aliis Sanctis, imò in conjugee sua Deipara, cujus dies festus præcipuus, est dies Assumptionis ejus in Cælum.

XXXV. Secunda Sententia est illorum inter ceteros Petri Aurati Ordinis Prædicatorum qui composuit officium de hac desponsatione, quod obtulit Paulo III. Summo Pontifici qui ex variis Authoribus antiquis, ut refert Ferreolus Locrius lib. 6. cap. 4. asserit contigitse 22. Januarii, obtinuitque, ut dicitur, ab eodem Pontifice concessionem, ut eo die celebraretur cum eo officio quod ei obtulerat, quodque consequenter anno 1546. illud eo die cepit Ecclesia Gallicana, quam deinde anno 1555. sequuta est Ecclesia Atrabatenensis in Belgio, licet illud remisit ad diem 23. sequentem, fortè propter aliquod impedimentum die præcedenti: Vide pro hoc Ferreolum Locrium citatum, qui refert litteras dicti Petri Aurati ad Summum Pontificem. *Caribagenam* tomo 4. lib. 18. homil. 9. Anthonium

Balinghem in *Kalendar*. Deipar. ad 22. Januarii. Tossanum Bridoul lib. cui titulus Gallicè *Le Triomphe Annuel de Nostre Dame*.

Tertia sententia, & quæ mihi magis placet, est has nuptias contigisse mense Decembri, idque non longè ab initio: ita Christophorus à Castro Hist. Deip. cap. 4. & alii: & colligitur ex Sancto Evodio Apostolorum contemporaneo apud Nicephorum lib. 2. Histor. cap. 3. ubi docet Beatam Virginem cum Divo Josepho mansisse (utique nuptam) quatuor mensibus intellige circa eamquam ab Angelo annunciaretur, & Verbum Dei in castissimis conciperet visceribus. Cùm enim annunciata fuerit ad finem mensis Martii scilicet vigesima quinta die, ut constat; initium autem Decembris ascendendo sit quartus mensis circiter ante vigesimam quintam Martii, sequitur ex sententiâ Sancti Evodii & Nicephori tunc desponsatam seu nuptam fuisse.

Cæterum probatur hæc nostra sententia hæc solidissima ratione, quod scilicet Beata Virgo tradita fuerit à Sacerdotibus Divo Josepho quando ipsa exivit è Cætu Virginum apud Templum degentium, eo modo quo diximus hoc Tractatu c. 3. Cùm enim ipsa trimula oblata fuerit in Templo à Parentibus, ibique undecim annis manserit: ad finem autem ultimi anni mansionis ejus ibidem dum Sacerdotes agerent de eâ in matrimonium collocanda, instaret solemne festum Encensiorum, seu Dedicationis Templi, quæ solemnitas incipiebat à 25. mensis Cassen, idest Novembris, & durabat octo diebus continuis, sicque terminabatur tertiâ Decembris, ut colligitur ex primo Machabæorum cap. 4. vers. 59. viderur omninò quod à Sacerdotibus captata sit hujus sanctæ Solemnitatis occasio, quia nimirum in illâ concursus erat venientium Jerosolymam ad diem festum: sic enim facilè intelligitur quo modo potuerit convocatio fieri, ac indici conventus virorum non nuptorum ex Tribu Judâ, ibique Divus Josephus ex Nazareth adfuisse, ut cum virgibus suis venirent ad Altare juxta præscriptû Oraculi, eiq; Virgo de templo tunc exitura tradi: quod alias quomodo

dò benè obtineri posset non apparet: Quomodo enim potuissent convocari qui erant ex Tribu David & cognatione Virginis?

CAPUT XVI.

Cur Deus hoc ab illis Matrimonium iniri voluerit?

- I. **D**ivus noster Damascenus lib. 4. de Fide orthodoxâ cap. 15. ait: *Hâc desponsatione id agebatur, ut & Virgini Custos praestito esset, & ei qui virgines observabat impostura fieret.* Divus Ambrosius lib. 2. in Lucam. *Benè desponsata, inquit, sed Virgo, quia Ecclesia est typus, quæ est immaculata, sed nupta concepit nos Virgo de Spiritu, parit nos Virgo sine gemitu: & ideo fortasse Sancta Maria alii nupta, ab altero repleta, quia & singule Ecclesie Spiritu quidem replentur & gratiâ, junguntur tamen ad temporalis speciem Sacerdoti.*
- II. Sed cum à Deo decretum esset, ut Beata Virgo, non de Viro, sed de Spiritu Sancto Filium Dei conciperet, & de facto ita concepisse omninò hominibus persuadendum foret, cur Deus voluit illud matrimonium ex quo perverſi anam & prætextum accepturi erant contra sentiendi?
- III. Albertus Magnus super *Missus est* c. 38. non unam hujus rei assignat rationem. *Desponsatio Deiparæ, inquit, & Iosephi utilis fuit ad multa. Primo, ut matrimonium bonum ostenderetur. Secundo, ut Domina bonorum omnium, nullo bono privaretur. Tertio, ut hostis tollatur. Quarto, ut testis castitatis adsit. Quinto, ut origo Domine per conjugem suum describeretur. Sexto, ut ab infamia servetur. Septimo, ut pœna carveatur. Octavo, ut à Christo tollatur persecutio. Nono, ut Filius Dei comprobetur scilicet ex testimonio Iosephi, cui dixit Angelus, quod enim in eâ natum est de Spiritu Sancto est. Decimo, ut Domino servietur. Undecimo, ut spirituale Matrimonium significetur. Duodecimo, ut Parentes spirituales ostendantur. Decimo tertio, ut humilitas Virginitati jungatur. Decimo quarto, ut occasio injuriæ de famâ virginibus tollatur. Decimo quinto, ut hu-*

militas & charitas Filii Dei ostendatur, qui potius voluit filius Fabri reputari, quàm infamari Matrem. Decimo sexto, ut Matris dignitas humilitati societur, ut quanto major sit, humiliet se in omnibus, ut sit Mater Dei & uxor Fabri. Hæc Albertus Magnus, quibus similia multi Sancti Patres.

Sed ea omnia clarius & distinctius ad tria capita reducit Angelicus Doctor 3. part. quæst. 29. art. 1. in corp. ubi docet ex tribus capitibus conveniens fuisse hoc Divæ Deiparæ matrimonium: quibus quartum addo: primò conveniens fuit propter Christum: Secundò propter Matrem: Tertio propter nos. Quartò denique (hoc membrum addo) propter Divum Iosephum, quæ omnia per totidem Sectiones prosequemur.

SECTIO PRIMA.

Causa seu Convenientia hujus Matrimonii ex parte Christi Domini.

Convenientia hujus matrimonii ex parte Christi multiplici probatur ex capite primo, inquit Divus Thomas citatus, *ne ab infidelibus tanquam illegitimè natus abjiceretur.* Undè Divus Ambrosius lib. 2. in Luc. cap. 1. inter medium & finem. *Quid Iudæis, quid Herodi possent adscribi, si natum ex adulterio viderentur persecuti?* Si enim non fuisset Mater ejus desponsata quando de ea natus est & conceptus (quod Scribæ & Pharisei ejus æmuli quacumque tandem viâ detexissent) non exiguum potuisset exinde oriri incommodum, & quidem non sine aliquo colore. Si enim leviora in eo calumniabantur & objiciebant, ut Messiam esse negarent: nunquam certè hoc tam grave, & in speciem apparens prætermisissent, cum luce clarius esset Messiam non posse ex illicito prodire concubitu.

Secundò, ut consuetudo ejus genealogia per virum describeretur, inquit Divus Thomas. Undè dicit Ambrosius lib. 3. in Lucam non procul à principio. *Qui in seculum venit, saculi debuit*

debut more describi: viri autem persona quaritur qui in Senatu & reliquis curiis civitatum, generis asserit dignitatem. Non sufficebat ad hoc ut Christus à Judæis abjici non posset, quod non appareret illegitimus, sed præterea necessarium fuit quod filius Abrahæ & Davidis probaretur ex quibus descensurum Prophetiæ prædixerant: Quare plurimum intererat ut in promptu haberetur ejus Genealogia quæ Judæis tanquam avitæ suæ nobilitatis tessera ostenderetur, ne prætextum habere viderentur, si cum idcirco repudiarent quod non è Regia Davidis stirpe descenderet: Non erat autem consuetudo apud Judæos ut nec multum apud alias nationes generationum series texere per mulieres, ut observarunt Sancti Patres & Interpretes.

VII. Tertio, ut partus ejus celaretur diabolo, qui deceptus est per hoc conjugium, dum eum putat, non de Virgine, sed de uxore esse generatum, inquit S. Martyr Ignatius apud D. Hieronymum in cap. 1. Matth. quem sequuntur Origenes homil. 6. in Luc. D. Gregorius Taumaturgus serm. 3. de Annunc. D. Basilii homil. de Christi generatione D. Hieron., citatus Divus Ambrosius lib. 2. in Luc. Divus Chrysof. Orat. de Annunciat. Noster Imperfectus in Matth. cap. 4. ad illa verba: *Et cum jejunasset 40. diebus & 40. noctibus postea esurivit*, Divus Damascenus lib. 4. de fid. Orthod. cap. 15. Theophylactus in cap. 1. Matthæi, D. Bernardus homil. 3. super missus est & homil. 4. in vigiliâ nativitatæ Rupertus Abbas de victoriâ Verbi lib. 11. cap. 19. S. Thomas citatus & communiter Theologi & Interpretes. Nam si per matrimonium diabolo & affectis ejus non fuisset occultatum Incarnationis Mysterium, sed clarè scivissent non de uxore sed de Virgine esse generatum, utique cognovissent esse pluriquam hominem, & ideo mortem Christi, ex qua salus nostra, non promovissent, sed potius impedivissent. Hinc Apostolus 1. Corinth. cap. 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est quam prædestinavit Deus ante sæculum in gloriam nostram, quam nemo Principum hujus sæculi cognovit: si*

enim cognovissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent.

Hanc rationem præ cæteris eruditè VIII. prosequitur noster Joannes Sylvanus Jerosolymitanus Patriarcha XLIV. vulgò Imperfectus in Matthæum loco mox citato num. superiore explicans Christi tentationem, cujus verba hîc admetior: *Multis modis, inquit, diabolus audierat quia Christus natus est in mundo, vel Angelis prædicantibus ad Pastores, vel Pastoribus referentibus ad Mariam, vel Magis quærentibus in Jerusalem adorare cujus viderant stellam, vel Ioanne ostendente Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: sed faciebat cum incertum natura ejus carnalis: Dicebat enim apud se. Hic non potest esse Filius Dei qui de muliere & de viro natus est: nam & ideo de desponsatâ & de domi habita natus est, ut partus virginis diabolo celaretur. Si autem de simplice virgine natus fuisset, facile poterat cognoscere diabolus, quia Filius est Dei. Cogitaret enim apud se, Maria fornicata non est, si enim fornicata fuisset, ego sine dubio scirem, quia omnis fornicatio me ministrante, committitur: sine dubio ergo iste Filius Dei est: nec enim potest fieri ut de muliere homo sine viro nascatur: Ideo desponsata intra vit in domum Ioseph, ut cum maritalis conceptio asseratur, unigeniti Dei nativitas non cognoscatur.*

IX. Prosequitur Imperfectus dæmonis hallucinationem: *Hic est, inquit, Rex glorie, qui pannis involutus, nec locum in diversorio potuit invenire, sed in præsepio positus est? Hic est Creator rerum qui creavit & per singulos ætatis gradus ascendit? Hic est ille sanctus, qui cum peccatoribus ut peccator est baptizatus? Quid ergo: ipse eum tentabo: & si quidem invenero eum hominem sicut pato, dominabor illius sicut omnium hominum: si autem invenero eum sicut audio filium Dei postmodum recedam ab eo, nec congregiar contra eum, quoniam qui vadit contra fortio-rem, occasionem illi victoriæ providet, si autem subduxerit se, evacuat virtutem ipsius.*

X. Hanc tamen rationem licet probatissimam non probant Scotus in 3. dist. 30. quæst. 2. nec Tostatus Episcopus Abulensis quæst. 31. in cap. 1. Matth. Cum enim diabolus omnia quæ corporaliter

raliter fiant perspicacitate sui intellectus naturaliter penetret ac pervadat; potuit primò advertere hos sanctos conjuges nunquam coivisse: Secundò, etsi ad hoc non advertisset, poterat videre virginalia claustra & facilè illa à corruptis discernere: Tandem potuit etiam eadem perspicacitate suâ agnoscere nullum in eâ esse semen virile.

XI. Sed hoc argumentum prævidit & prævenit Doctor Angelicus loco citato, ibique ad tertium illud sic solvit: dicendū quod sicut Augustinus dicit lib. 3. de Trinit. diabolus multa potest virtute suâ naturæ, à quibus tamen prohibetur virtute divinâ: quare diabolus prohibitum fuisse divinitus, ne id adverteret in Deiparâ, quod aliâ virtute naturæ & sui intellectus perspicacitate cognoscere potuisset.

XII. Quamvis hæc responsio plenissimè objectioni satisfaciat, urgebit tamen aliquis potuisse quoque demonem impediri ne virginitatem Deiparæ exploraret, etsi sine conjugio Filium Dei pareret. Respondeo primò, hoc argumento nihil effici, potuit enim etiam alio modo Christi legitimitati provideri, alio modo carnem sumere, alio modo filius Davidis comprobari, ab Herode liberari, &c. sed placuit Deo hoc & non isto modo hoc & ista omnia præstare. Respondeo secundò, isto modo non tantum id obtinebatur, sed & alia quæ hîc allegavimus, & deinceps allegabimus, non verò hoc modo. Respondeo tertio, hoc modo non adeò congruè & connaturaliter fuisset dæmon impeditus: & si impeditus fuisset non tamen positive ut fuit in nostro casu, dum putavit esse filium Iosephi, ex quo Ioseph erat matri ejus conjunctus quando fuit ex eâ conceptus.

XIII. Urgebis iterum sicut nunc existimavit dæmon Matrem Christi concepisse ex Divo Iosepho, ita tunc ex alieno viro concepisse putasset, ac sic æquè hoc modo deceptus fuisset ac nostro. Respondet optimè P. Suarez in 3. part. ad quæst. 29. non videtur Scotus piissimam SS. Patrum mentem assecutus: Tantam enim illi habuerunt de Virginitate puritate & virtute opinionem, tam

sublimem idæam (quod te Lector velim benè observare) ut non crediderint ipsam etiam apud ipsum dæmonem in sinistram suspicionem venire potuisse: unde si non potuisset existimare ut nunc illam concepisse de marito, quia in hâc hypothese non fuisset nupta, potius consensisset admittere sine viri operâ concepisse quam ex concubitu vitioso: diuturnâ quippe experienciâ & observatione probè cognoscebat Virginitatem & sanctitatem: Expertus enim erat nunquam se potuisse vel minimum in eâ motum pravum excitare, cum tamen aliâ non ignoret nullam ferè fornicationem fieri, nisi se authore & incentore. Et ideò omnibus pensatis, nullo modo posset adduci ut sentiret Beatam Virginem turpiter concepisse. Ergo ut commodius & aptius mysterium Incarnationis dæmoni occultaretur, ipseque facilius à curiosâ observatione & inquisitione averteretur, aptissimum medium fuit ut Virgo paritura prius Divo Iosepho desponsaretur.

Fuit ergo Conjugium hoc maximi mysterii, idest Incarnationis Verbi Divini, velut integumentum, ut proinde non incongruè dixerim, quod quem admodum olim Exodi cap. 26. ante Sancta Sanctorum velum ex hyacintho, purpurâ, coccoque bis tincto & bysso retorta, opere plumario, & pulchra varietate contextum Deus jussit oppandi, ita ante Sanctissima illa Dominicæ Incarnationis Mysteria Sacrum ex Mariâ & Iosepho Conjugium omnium virtutum varietate ornatum veluti velum voluit obtendi.

Videtur hîc elusus diabolus, inquit Justinus Miechoviensis super Litanias Lauretanis disc. 107. ut olim Saul quando occultè unctus fuit David in Regem à Samuele: Præceperat Samueli Deus: *Imple cornu tuum oleo & veni, ut mittam te ad isai Bethleemitem. providi enim in filiis ejus mihi Regem. Tunc Samuel, quomodo vadam? audiet enim Saul & interficiet me. Et ait Dominus, vitulum de armento tolles in manu tuâ, & dices ad immolandum Domino veni.* 1. Regum cap. 17. vers. 2. Hâc arte elusus fuit Saul, ne cognosceret sibi auferri

aufferri regnum & tradi Davidi. Ad eundem planè modum cùm Christus in utero Virginis ungendus esset à Spiritu Sancto Oleo lætitiæ præ participibus suis. Psalm. 44. ne diabolus hoc resciret, objectum est oculis ejus Virginis & Iosephi matrimonium, ut non adverteret Sacramentum.

XVI. Quartò, ut haberet à quo nutrire-
tur, idest certò, ex officio & obligatio-
ne, & ab eo quantum egere voluit (vo-
luit porrò quantum alii) curaretur.
Ioseph autem per desponsationem cum
Mariâ Matre ejus antequam ipse in cã
concuperetur, strictissimè tenebatur
cum alere & curare quantum egebat,
tanquam qui hoc modo erat verè Pater
ejus. Et per hoc etiam Christus, ut ita
loquar debitor Divi Iosephi constitui
voluit: Ex quo quanta ejus dignitas?
quanta excellentia? quanta merita? fu-
sus patebit ex iis quæ postea dicemus?

Quintò denique & ultimò, ut sub eo
XVII. sibi hoc modo obstricto securus esset à
malevolis, securè deportaretur in Æ-
gyptum, & liberaretur ab impiissimo
Herode qui quæsiturus erat puerum ad
perdendum cum, à perfidis Judæis,
qui ut impio Regi placerent, quære-
bant animam pueri. Ad rem D. Chry-
sologus serm. 146. circa med. *Quid est,*
inquit, quod ad Sponsam & non ad libe-
ram cælestis innocentia destinatur arca-
num. Et post multas rationes hanc in-
ter alias tangit his verbis. *Prædixerat*
Isaias cap. 7. Virginem parere Deum Cæli,
Regem terra, orbis Dominum, Reparato-
rem mundi, mortificatorem mortis, Red-
ditorem vita, perpetuitatis Authorem:
hoc quàm esset mundanis triste, terribile
Regibus, pavendum Judæis, ipse Domini-
cæ Nativitatis probavit eventus. Namq̃,
sibi natum Christum nunciantibus Magis
audivit Judæa, Herodes didicit, mox per-
dere Judæi, Herodes occidere molitus est
Christum, & dum successorem sibi timuit,
omnium perdere conati sunt Salvatorem:
Denique quia ipsum invenire nequiverunt,
delent patriam, lac miscent sanguini, co-
evos ejus parricidali furore collidunt, la-
mant innocentia socios, quia culpa parti-
cipes invenire non poterant quos punirent:
Et si jam nato Christo hæc faciunt, concepto
Christo tanta feritas quid fecisset? Hinc
est quod providetur Sponsus, providetur

maritalis species, ut celet miraculum, ut
tegar signum, ut velet Virginis partum, ut
crimini non det locum, ut furentis inse-
dias sic eludat: Christus quamvis morti
debitus, statim si fuisset ab utero extin-
ctus, mors præcept quod nostræ saluti ve-
nerat, abstulisset. Hæc D. Chrysologus.

SECTIO II.

Causa seu convenientia ejusdem
Matrimonii ex parte
Deiparæ.

P Rima hujus sacri conjugii ex parte XVIII.
Christi convenientia fuit ipsius
honus, ne scilicet haberetur tunc ut
illegitimus: fuit etiam prima ex parte
Virginis Matris ejus. Si enim ipsa ex-
tra conjugium peperisset apud ignaros
mysterii, & perfidos Judæos, non vir-
go sed scortum habita fuisset. Quis
namque videns puellam gravidam
& non desponsatam, putaret virgi-
nem & non potius corruptam? Quis
puellæ adultæ dicenti se absque ul-
lius viri commercio concepisse & ute-
rum gestare, crederet? si filio Dei tot
miraculis inlyto, tantâ vitæ integrita-
te conspicuo, tam admirabili sapientiâ
& prudentiâ prædito, isti non peperce-
runt, cum modò voracem, modò vini
potatorem, modò peccatorum & Pu-
blicanorum amicum, modò Samarita-
notum & dæmonium habentem, modò
insanum, modò blasphemum, modò
populi subverforem, modò seditiosum
appellantes, quomodo puellæ matri
ejus sine viro gravidæ, pepercissent?
Fuit ergo, inquit D. Ambrosius lib. 2.
in Lucam, *desponsata Virgo ne temerata*
virginitatis adneretur infamiâ, cui gra-
vis alvus corruptela videretur insigne
præferre. Tolerabilius verò, inquit Divus
Bernardus homil. 2. super missus est,
atque honestius fuit putari ad tempus Chri-
stum de conjuge fuisse natum, quam de for-
nicatione.

Discant hinc virgines non solùm ca-
stitati suæ consulere, sed & bonæ famæ,
nec putent se fecisse satis quod non ca-
dant in impuritatem carnis, nisi etiam
tollant causas & occasiones malæ suspi-
cionis: utrumque necessarium est veræ
XIX.
M m virgini,

virgini, conscientia, & fama: conscientia, sibi: fama, proximo. Hinc Divus Ambrosius loco mox citato: *Sciebat, inquit, teneram esse Virginis & lubricam famam pudoris: servatur itaque Sancte Maria sicut pudore integra, ita inviolabilis opinione virginitas: oportet enim Sanctos & ab iis bonum testimonium habere qui foris sunt, nec decuit sinistra virginibus opinione viventibus velamen excusationis relinquere, quod infamata Mater quoque Domini videretur.* Et D. Hieronymus in illud Itaiæ cap. 11. Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice eius ascendet: *Maria, inquit, virga est, flos Christus: at nunquam flos ascendit de virga foliis nuda, prius virga foliis adumbratur & honestatur, quam flos ascendat. Prius ergo Maria viro erat honestanda, quam Christus nasceretur.* Adjicitque. *Ex quo colligere licebit quantâ observatione mulieres curare debeant, ut honorem ac bonam famam conferrent, ne aliquid occasionis dent, ut de eis verbum dicatur malum.*

XX. Placet iterum audire Divum Anselmum, si tamen Anselmus est in epist. ad Philipp. cap. 4. vers. 8. terentem vestigia D. Augustini lib. de Bono Viduit. cap. 22. ubi sic fatur. *Sanctorum conversatio etiam cauta debet esse, ne forte cum mala vita non sit per hanc vitam, mala sit fama per negligentiam: nec audiendi sunt, qui quando reprehensi aliquâ negligentia suâ, per quam sit ut in malam veniant suspicionem, unde suam vitam longè abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam existimationem hominum non solum imprudenter, sed etiam crudeliter contemnentes, cum occidunt animas aliorum, sive blasphemantium Verbum Dei, quibus secundum suâ suspicionem, quasi turpis quæ casta est, displicet vita Sanctorum: sive etiam cum excusatione imitantium non quod vident, sed quod putant.* Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benè facit, quisquis autem famam, & in alios misericors est: nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. Et utique etiam quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem.

XXI. Dicesant etiam omnes summam Dei nostri bonitatem quam imitari debent:

dum enim homo propter hominem fieri voluit, consuluit ut id fieret cum virgini honoris incolumitate, quare maluit filius Fabri reputari: quod sibi præjudicare videbatur, quàm Matrem suam infamiam pati, inquitur supra hoc cap. num. 3. versus finem Albertus Magnus.

Cùm Alexander Magnus aliquando ad matrem suam Olympiam scriberet, legimus hunc sibi titulum arrogasse, *Alexander Iovis filius*, quem mater increpavit rescribens, quod ut se Jovis filium faceret, matrem suam faciebat adulteram. Non ita Christus Dominus, ut humilitatis, ita & charitatis exemplar: cum enim verè esset Filius Dei, voluit tamen filius Fabri haberi, ne Sanctissima Virgo Mater sua aliquam infamiam notam incurreret. Illud est Dei genium nihil velle ad honorem suum cum detrimento tertii, cum tamen de supremo quod ei in omnes creaturas cõpetit dominio, de omnibus & in omnibus pro suo nutu & arbitrio absolutissimè disponere possit. Quin potius licet se quoad affectum velit omnibus preferri tamen quoad effectum & opera desiderat primo proximo subveniri & satisfieri: hoc observat Lanuza tom. 2. homil. 23. §. 19. num. 58. & seqq. ex illâ Responzione quâ Dominus Pharisæos retundit, quando associatis sibi Herodianis, eâ mente ut illum caperent in sermone, percunctati sunt an liceret tributum dare Cæsari an non? fuit autè hæc Christi responso: *Ostendite mihi Numisma census: quo exhibito, Cujus est, inquit, imago hæc & superscriptio? iisq; respõdentibus, Cæsaris.* Intulit ille, *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo:* sed nunquid Deus prior & prior Cæsare? quare ergo non dixit reddite quæ sunt Dei Deo, & Cæsari quæ sunt Cæsaris? hoc videbatur relictus ordo requirere: sed non ita Christus cœlestis magister: hæc responzione non Pharisæis solum & Herodianis satisfacere voluit, sed etiam nos docere, non solum solvendum esse à nobis Deo, quod Deo; & Cæsari, quod Cæsari debemus; sed etiam eo ordine illis solvendum quo verba hæc proferuntur, & exteriora ista: idest primò Cæsari, secundò Deo: si enim primò Deo quæ sunt Dei reddiderimus, cum omnia ista

ista omnino, & quæcumque, sint Dei, quid restabit quod Cæsari, quod proximo reddamus? prorsus nihil: Vide pro hac doctrinâ D. Bernardum serm. 50. in Cantic. ubi de ordine charitatis ad illa verba: *Introduxit me Rex in celam vinariam & ordinavit in me charitatem*, Cantic. cap. i. vers. 4.

XXIII. Secunda convenientia hujus matrimonii ex parte Deiparæ, quam tamen Divus Thomas citatus primo loco ponit, est D. Hieronymi in illud Matth. cap. i. *Cum esset desponsata Mater IESU Maria Ioseph*. Eusebii Emiseni homil. in vigil. Nativ. Dom. & aliorum quam plurimorum, ne scilicet ipsa lapidaretur à Judæis. *Si virum non habuisset*, inquit Emisenus citatus, & *gravida videretur*, nulla ei excusatio subvenire posset, ut quasi adultera non lapidaretur. *Quis enim ei crederet de Spiritu sancto ejus uterum intumuisse? erat enim hoc inusitatum & sine exemplo.*

XXIV. Sed si Beata Virgo non fuisset desponsata, quare lapidata fuisset, cum hoc supplicium esset adulteratum? ubi enim tunc fuisset adulterium si non erat matrimonium? Respondet Divus Thomas loco citato ad 4. tripliciter, primò, quod iudicio adulteratum lapidabatur secundum legem non illa solum quæ jam desponsata erat vel nupta, sed etiam illa, quæ in domo Patris custodiebatur ut virgo quandoque nuptura: unde dicitur Deuteronomii cap. 22. si non est in puella inventa virginitas, lapidibus obruent eam viri civitatis illius & morietur, quia fecit nefas in Israël ut fornicaretur in domo Patris sui: juxta quod cum dicitur ne virgo lapidaretur ut adultera, non erit intelligendum quod lapidanda fuisset propter adulterium existimatum, sed quod punienda esset eadem penâ adulteræ. Sed hæc Responsio mihi non satisfacit, nam primò, Beata Virgo non custodiebatur ut virgo in domo Patris cum ejus parentes tunc essent mortui. Secundò, Levitici cap. 21. prohibetur Sacerdoti ne ducat scortum, non ergo tunc puniebantur puellæ simpliciter corruptæ penâ mortis: & Exodi 22. vers. 16. & 17. statuitur quod si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritq;

cum eâ, dotabit eam, & habebit eam uxorem: si Pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis quam virgines accipere consueverunt. Ex quibus locis aliisque quam plurimis manifestè colligitur in antiquâ lege simplicem fornicationem non fuisse morte punitam.

In duobus tamen casibus fornicaria morte plecebatur. Primò, si commisit fornicationem dum jam desponsata erat, propter violatam fidem sponsalium: Secundò, quando fornicaria post fornicationem in domo Patris commissam, ubi æstimabatur virgo, pro virgine se vendicans nubebat si probabatur ante fuisse corruptam, propter imposturam marito factam. De hac loquitur locus Deuteronomii citatus à D. Thomâ in responsione: & propterea in hoc casu, ut & in adulterio, ad quod hic proximè accedebat & aliquo modo reducebatur, Deus dederat signum ad dignoscendam illam quæ fuisset corrupta, ut patet ex eodem Deuteronomii loco: cum ergo in Beatâ Virgine si desponsata non fuisset non hi duo casus, sed simplex tantum fornicatio præsumi potuisset non veniebat lapidanda.

Respondet ibidem D. Thomas secundò, potest dici secundum quosdam quod Beata Virgo erat de stirpe Aaron: unde erat cognata Elizabeth ut dicitur Luc. cap. i. Virgo autem de genere Sacerdotali propter stuprum occidebatur: legitur enim Levitic. c. 21. Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro & violaverit nomen Patris sui flammis exuret: sed hæc Levitici lege non comprehenditur nisi filia ex Patre Sacerdote immediatè genita; qualis non fuit Beata Virgo.

Respondet tertio, ibidem D. Thomas, ex mente quorundam, dictum D. Hieronymi *ne lapidaretur à Judæis*, referti ad lapidationem infamiae. Sed tunc hæc convenientia eadem est cum præcedente. Quare hæc dimissa ad tertiam progrediamur.

Quæ dicit ideo Deum voluisse hoc matrimonium, ut Virgo à D. Iosepho curaretur quemadmodum & filius ejus, eique ab eo de necessariis provideretur: quæ quidem ratio se tenet ex

parte Virginis : eguit namque Maria adhuc tenera stirpis Davidicæ virguncula cum prole tot miseris & persecutionibus obnoxia, curatore qui eam adjuvaret in istis, debuitque ei esse certo quodam modo ac necessario obstrictus, ut fuit D. Josephus ei matrimonio conjunctus.

XXIX. Hanc convenientiam eruo ex illis verbis Angeli ad D. Josephum Matth. cap. 2. *Accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Egyptum, &c.* & ex illis ibidem : *Accipe puerum & Matrem ejus & vade in terram Israel.* Ex quibus evidenter patet & Puerum & Matrem cœlitus fuisse curæ D. Josephi commissos : sed dicitur primò, ut accipiat puerum. deinde Matrem, triplici de causa : prima se tenente ex parte rerum commissarum. Secunda, ex parte Dei committentis ministerio istius Angeli. Tertia, ex parte Sancti Josephi commissarii. Ex parte rerum commissarum ut enim ait Albertus Magnus dicit puerum primo, *quia dignitatem habet per se, & prior debet esse in curâ & postea matrem, quia dignitas & cura Matris est propter puerum*, vel ut noster Imperfectus in Matth. Homil. 2. *Non propter matrem puer natus est, sed propter puerum Mater preparata est.* Ex parte Dei committentis, quia ab eo primariò electus, D. Josephus propter puerum ; secundariò propter Matrem : vide quæ dicturi sumus Tract. seq. cap. 10. Tandem ex parte D. Josephi commissarii, quia prima ipsius cura, amor, omniaque ipsius studia, cogitationes, sollicitudines, labores, cœlicam illam sibi commissam prolem respiciebant, propter quod Angelus ei eo modo loquebatur, quo ipse intus afficiebatur.

XXX. Sed quare tollenda Mater cum filio ? an fortè si inventus fuisset Christus etiam in eo casu Mater cum illo occidenda, ne fortè Christo sublato, alium fortè pareret, qui successurus esset loco Christi occisi in Regnum Davidis, & ex eo Herodem deturbaturus ? an Christum ob periculum ? Mariam ob confortium & individuum vitæ societatem ? hoc omninò certum : illud etiam probabilissimè.

XXXI. Tertia convenientia ut Matris dignitas humilitati societur, ut quantò

ipsa major est tantò se humiliet in omnibus, ut sit Mater Dei & uxor Fabri, hoc est summa simul & infima : summa dignitate, infima humilitate : sicque merita sua in immensum augeat, dum electa ad summum mundi fastigium, subditur tamen Fabro, atque ab ejus voluntate & nutibus tota dependet.

Dixit olim Plinius ad Trajanum Imperatorem & rectè, *Cui nihil ad augendum fastigium superest, hic adhuc uno modo crescere potest, si se submitat.* Ita crescere potuit, & certè etiam crevit Summa Mater mundi que Induperatrix Maria. Quid aliud illà quæ erat Dei Mater electa & effecta ? nihil : submitit illa se. Primò, dum ancillam se dixit. Secundò, dum Elisabethæ in puerperio ministravit. Tertiò, dum Josepho per omnia morem gessit ex animo : Quare assurrexit, & eò quidem altius quò se demisit profundius.

SECTIO III.

Causa seu convenientia hujus conjugii ex parte nostra.

CONVENIENS etiam fuit hoc matrimonium quoad nos ex multiplici capite, atque imprimis ut in illis factis conjugibus haberemus extremæ continentia exemplar absolutissimum, virginittatis nimirum etiam in ipso conjugio illibata : ut ab illis discant ii qui habent uxores, ut sint tanquam non habentes : quod licet sit maximè arduum, non tamen impossibile, ut patet in tot & tantis horum sequacibus, quos hic supra recensuimus cap. octavo per quatuor sectiones.

Secundò, voluit Christus Dominus dum homo fieri dignatus est propter homines, nasci ex virgine, ut virginittatem sibi acceptam esse demonstraret : voluit tamen esse desponsatam & conjugatam, ne videretur matrimonium averfatus : hâcque ratione duplicem hæresim confutaret, illorum scilicet qui castitati bellum indicturi erant, & eorum qui damnaturi erant nuptias : hinc D. Basilius Magnus homil. de humanâ Christi generatione loquens de Deiparâ, reddensque rationem cur desponsata

desponsata fuerit, *Virgo erat & viro desponsata, & apta conjugali officio obeundo putata, ut & virginitas in honore ante omnia haberetur, & matrimonium non propterea improbaretur.*

XXXV. Tertiò, ut hinc disceremus homines non ex paupertate aut conditionis & exercitii vilitate mēiri & spernere, quia sæpenumero contingit, quod qui viliores sunt coram hominibus, Deo prætiores existant & chariores: Ecce enim D. Ioseph, si eum humanis oculis inspiciamus, contemptibilis erat, faber erat, pauper erat: unde & per contemptum Christus dictus est à Judæis carnalibus Faber & Fabri filius: & tamen in oculis Dei quantus ille fuit, qui in Dei Patrem & Virginis Deiparæ conjugem eligi, & erigi meruit? sic sic ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus 1. Corinth. c. 1. Vide S. August. 1. de Opere Monach. tom. 3. cap. 13.

XXXVI. Quartò, potissimum conveniens fuit hoc matrimonium ad adstruendam in nobis fidem Dominicæ Incarnationis: Per hoc enim matrimonium Deus nobis in D. Iosepho providit primarium testem, omnique exceptione majorem, quod Christus ex Virgine natus est, permissusque est dubitare, ut in illius hæsitatione omnes postea in Ecclesiâ orituræ dubitationes, efficacissimè resolverentur: dum enim ille confirmatur, nos instruitur. Hinc D. Ambrosius in Lucam, quem sequitur D. Thomas citatus ait: *Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset & dolere injuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret Sacramentum.*

XXXVII. Divus verò Chrysostomus homil. 4. in cap. 1. ad illa verba: *Ioseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam, ita loquitur, postquam dixit quia esset ex Spiritu Sancto, & absque ulla mixtione sexuum: sermonem suum etiam aliunde confirmat: Ne enim aliquis dicere, & unde hoc potest esse manifestum? quis vidit? quis audivit aliquando tale aliquid contigisse? neque putares discipulum quasi gratificatum Magistro ista consingere: introducit Ioseph ex his quæ passus est fidem*

dictis per cuncta facientem, ut planè hinc dicere Evangelistilla videatur: si non credis mihi, & testimonium tibi fortè meum suspectum est: crede igitur vel marito: & post pauca, Propterea verò Evangelista dixit quid justo illi acciderit ante notitiam, ut nequaquam de his quæ post notitiam rei sunt facta dubitares. Et certè si Mariatalis fuisset, qualem illam suspicio fingeat, non modo publicari meruerat, verum etiam ex legis autoritate puniri.

Sed inter omnes eximiè ad hoc propositum eximius Divus Bernardus homil. 2. super missus est post med. *Cum esset Virgo electa, & ut ostensum est Virgo conceptura, Virgo paritura, mirum cur desponsata fuerit? nunquid vel hoc casu factum quis dixerit? non est casu factum quod rationalis causa commendat, causa valdè utilis & necessaria, & divini prorsus adinventione consilii digna Dicam quod mihi, imò quod ante me Patribus visum fuit. Illa utique fuit ratio desponsationis Mariae, quæ & dubitationis Thomæ, &c. Sicut ergo Thomas dubitando, palpando, cõstantissimus factus est Dominica Confessor Resurrectionis: ita & Ioseph Mariam sibi desponsando, ejusque conversationem in tempore custodia studiosius comprobando, factus est pudicitia fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia, & dubitatio Thomæ, & desponsatio Mariae. Poterant quidem similis erroris laqueum nobis injicere, fidei videlicet in illo, Castitatis in illa, veritatem in suspensionem adducere: sed valdè prudenter & piè factum est per contrarium, ut unde metuebatur suspicio, firma sit certitudo: nam & defili Resurrectione citius quidem ego, qui infirmus sum, crediderim Thomæ dubitanti & palpanti, quàm Cepha auarienti & credenti: & de Matris continentia facilius sponso ejus custodienti, & experienti, quàm ipsi quoque Virgini de solâ suâ conscientia se defendenti. Dic quæso quis eam videns gravidam non potius diceret corruptam quàm Virginem? Non autem decebat hoc dici de Matre Domini: Tolerabilius verò atque honestius fuit, putari ad tempus Christum de conjugio fuisse natum, quàm de fornicatione. Sed non poterat, inquires, Deus apertum aliquod ostendere signum? quo videlicet fieret, ut ejus nec ortus infamaretur, nec Mater*

criminetur? Poterat utique, sed non poterat latere demones quod scirent homines. oportebat autem à Principe mundi aliquamdiu calari divini Consilii Sacramentum: non quod Deus si palam opus suum facere vellet impediri posse ab ullo metueret: sed quia ipse, qui non solum potenter, sed etiam sapienter quaecumque voluit fecit: sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias, propter orationis pulchritudinem servare consuevit; ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostra videlicet reparationis, non tantum potentiam suam, sed & prudentiam ostendere voluit. Et quamquam illud abter quomodo vellet, perficere potuisset, placuit ei tamen eo potius & modo & ordine hominem sibi reconciliare, quo non erat cecidisse: ut sicut Diabolus prius seduxit feminam, & postmodum virum per feminam vicit, ita prius à feminâ Virgine seduce-retur, & post à viro Christo aperte debellaretur: quatenus malitia fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus & prudentior appareret & fortior. Ita quippe decuit incarnatam Sapientiam spiritualem vincere malitiam, quo non solum attingeret à fine usque ad finem fortiter, sed & disponderet omnia suaviter. Attingit autem à fine usque ad finem, idest à Cælo usque ad infernum, & ascendero, inquit, in Cælum tu illic es, si descendero in infernum ades. Utrouque verò fortiter quanso & de supernis expulit superbum, & apud inferos spoliavit avarum. Conveniens ergo erat ut suaviter quoque omnia, cælestia scilicet & terrena disponderet, quatenus & illic dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret: & hic debellaturus mundum, nobis prius suâ humilitatis & mansuetudinis valde necessarium exemplum relinqueret, sicq; mirabili fieret moderamine sapientia ut & suis suavis & hostibus fortis appareret. Quid enim prodesset Diabolum à Deo vinci nobis manētibus superbis? necessario igitur desponsata & Maria Joseph, quando per hoc & à canibus sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur, & Virginis tam verecundia parcat, quam fame providetur. Quid sapientius? quid dignius divinâ providentiâ: uno tali consilio secretis cælestibus & admittitur restis, & excluditur hostis, & integra servatur fama Virginis Matrâ.

Alioquin quando pepercisset justus adultera? Hactenus D. Bernardus, quo quid eximius?

Sed quia Divus Bernardus in præ-tactis comparat desponsationem & dubium D. Josephi cum dubitatione D. Thomæ, differentiam tamen inter utrumque magnam observari cupio: Nam Thomas positivè discredidit, & cum incredulitate ac peccato, quem propterea Christum arguit dicendo, *Mitte manum tuam, &c. & noli esse incredulus sed fidelis.* D. Josephus autem tantum halitavit nesciens quam partem amplecti deberet, utpote cui eò usque mysterium necdum revelatum fuerat: sed tamen, modestiam & virtutem suâ conjugis expertam habebat, & idè Angelus cum consolatur dicens, Joseph fili David nolitremere accipere Mariam conjugem tuam, &c. Thomas postea credidit, sed cum vidit manifestè resuscitatum. Divus Josephus autem non vidit, nec potuit videre Christum, fuisse in utero conjugis de Spiritu Sancto conceptum, sed ad nudum Angeli asserentis verbum hætationem suam statim depoluit.

SECTIO IV.

Causæ seu convenientiæ hujus matrimonii ex parte Divi Josephi.

HÆ licet pauca sint non tamen parva, & quamvis solæ faciant directè ad intentum nostrum in hoc opere, ostendemus tamen ad harum calcem, nec in præcedentibus omnino à proposito nostro digressos fuisse. Igitur ad rem.

Primâ ex parte D. Josephi hujus matrimonii convenientia fuit, ad ostentionem & evidentiam meritorum ejus. *Bona enim mulier,* inquit Sapiens Ecclesiast. cap. 26. vers. 3. *est in parte bonâ rimentium Deum, dabitur viro pro factis bonis.* In quem locum Palatio hujus libri Commentator insignis. Intellige, inquit Deum habere bona quædam quæ tamen ut plurimum nocent: alia bona quæ nocere & prodesse solent: alia bona quæ profunt non tamen

obsunt.

obstant. Partem illam honorum quæ prima est largitur malis pro merito eorum, juxta illud psalm. 72. *Verumtamen propter dolos posuisti eis: dejecisti eos dum alleverentur: & illud ibid. Ecce ipsi peccatores abundantes in seculo obtinuerunt divitias.* Partem alteram dat quibusdam bonis hominibus, qui cadere solent & surgere. Tertiã partem dat Prædestinatis seu constantibus in bono. In hac classe est mulier bona. *Est enim in parte timentium Deum, & eis datur pro factis bonis.* Ita ut mulier bona cadat sub meritum tanquam medium quod maximè adjuvat ad vitam æternam consequendam: ejus enim convictu, & conversatione optimã, vir & avocatur à malo, & promovetur ad bonum: quod cum ita sit, vide quanta oportuerit fuisse D. Josephi merita, ob quæ talis ei à Deo mulier data: ob merita enim ipsius eam ipsi datam colligo ex Luc. cap. 1. v. 26 ubi pro eo quod legimus in vulgatâ nostrâ, *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, Mariana ex Syriaco apud nostrum Sylveiram tom. 1. in Evang. lib. 1. cap. 5. vertit, ad Virginem venditam viro cui nomen erat Joseph:* quod utique significat illam meruisse, atque pro eâ habendâ pretium tradidisse: quod verò illud pretium? non utique aurum vel argentum, quod nihil æstimabitur in comparatione illius: sed merita grandia: & quanta Deus immortalis: illa esse oportuit, quibus talem ac tantam mulierem sibi comparare & mereri à Deo potuit?

XLII. Secunda, ut in particulari ex hoc Conjugio summa Divi Josephi puritas patefceret, constaretque eum fuisse omnium mortalium castissimũ. Quod vel ex hoc conjugio liquet manifestissimè, nec video quonam argumento hoc validiori id probari posset, quomodo enim Deus tantæ Virgini alium quàm virginem conjugere potuisset? Tero vestigia Divi Bernardini Senensis, qui ante me hoc argumentum presertim. de Sancto Josepho tomo 3. ubi sic ille. *Quomodo potest mens discreta cogitare quod Spiritus sanctus tantã unione (conjugii scilicet) uniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? unde credo Joseph*

fuisse mundissimum in virginitate profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione.

Tertia, ut in D. Josepho per Incarnationem Verbi Divini tantum elevaretur & dignificaretur purus homo de sexu virili, quantum elevari & dignificari potuit: ita enim videtur oportuisse, quandoquidem per eandem Incarnationem sexus femineus in Virgine elevabatur ad Matris Dei dignitatem quã nulla major excogitari poterat. Vide à nobis dicta Parte 1. Tractatu 1. Proludio 5. Per hoc autem Conjugium hoc obrentum est: factus est enim per illud Divus Josephus ejusdem Verbi Divini Patrem strictè, ut non poterit strictius, saltem attentã Dei sapientiã. Vide quæ Tractatu sequenti de hãc materiã dicturi sumus. Undè consequenter quemadmodum de Deiparã dicimus, eam propter Maternitatem omnibus Cœlitibus esse prelatam, ita Divum Josephum, ex eo quod Christi Pater est (quod est per hoc conjugium) omnes omninò sanctos, quanti quanti sint, in merito & gratiã quemadmodum & in dignitate, Mariã solã exceptã, antecedere necessum est.

Quarta, ut sic elevatus, adhuc ex hoc conjugio meritum ejus accresceret: hinc enim factum ut non tantum ex Matris & Filii conversatione proficeret, sed etiam ut ex officio, quod ei per hoc conjugium obtigerat, Virginis & Christi Domini curam gerens, *eos paverit in innocentia cordis sui, & eos in intellectibus manuum suarum deduxerit, &c.* Ex quibus quantum hujus Sanctissimi Patriarchæ merita exereverint, quis vel cogitatione assequi, vel dignis possit sermonibus prosequi.

Ad hæc omnes aut ferè omnes aliæ convenientiæ in superioribus Sectionibus adductæ in eum etiam redundant: sub eo enim Christus Dominus legitimus habitus est, & Davidis ac Abrahamæ filius. Sub eo Mater famam conservavit, sub eo Divinus partus dæmonem latuit, per eum Herodis persecutionem effugit: sicque mysterium humanæ salutis congruo modo juxta divinæ Providentiæ dispositionem impletum est, quæ omnia quantum ad ejus gloriam conferant, quis non videt?

CAPUT

CAPUT XVII.

Cur ipsi hoc Matrimonium inierint?

I. **H**æc Quæstio multum differt à præcedenti, quæ enim in præcedenti Capite ex Angelico Doctore Divo Thomâ 3. part. quæst. 29. art. 1. latè deduximus, cum additionibus nostris, rationes sunt sumptæ ex parte Dei & Divinæ Providentiæ, ob quas ipse specialiter hoc matrimonium ordinavit. Hic videndum ex parte B. Virginis & D. Iosephi quid ipsos ad hoc matrimonium ineundum inclinaverit? Cùm enim Beata Virgo virginitatem vovisset, ut asserunt Sancti Patres, quod similiter fecisset Divum Iosephum docuimus supra: Nec ullus sit Catholicus qui neget eos saltem firmissimum habuisse propositum servandæ in conjugio virginitatis: Certum est non contraxisse matrimonium propter filiorum procreationem, qui solet esse velut proprius & intrinsecus matrimonii finis, quia fuisset contra votum: nec etiam potuerunt ad hoc contrahendum iis rationibus moveri, quæ ex parte Divinæ Providentiæ allatæ sunt Capite præcedenti, cùm illæ omnes Incarnationis mysterium respiciant, & futuram divinæ Proles conceptionem mirabilem, de quâ ipsi ante Gabrielis Annuntiationem nihil cogitare potuerunt.

II. Quod enim dicit Cedrenus in Compendio Histor. Mariam duodecimo ætatis suæ anno revelatione divinâ didicisse se futuram Matrem Dei & Hominis, omninò falsum est: cum evidenter repugnet iis quæ dicit D. Lucas de Angelicâ Annuntiatione. Turbatio enim Virginis, ejusque cogitatio qualis esset Angeli salutatio, ejusque interrogatio, quomodo istud fieri posset quod ei Angelus annunciabat? planè indicant eam prius fuisse tanti mysterii ignarâ, quod ei per Angelum nunciabatur, ut etiam omnes Patres interpretantur. Quare aliâ ex parte istorum factorum Conjugum ratio quærenda est, cum quâ rectè & sine peccato con-

trahere potuerint voto virginitatis obstricti.

Voluere nonnulli hos sacros Conjuges, ut erant divinæ legis observantissimi, idèd nupsisse ut obedirent legis præcepto, quod dicunt obligasse illo tempore viros & fœminas ad nubendum. Illud potro præceptum probant ex illo Exodi cap. 23. vers. 26. *Non erit infœcunda nec sterilis in terra tua.* & ex illo Deuteronomii cap. 17. vers. 14. *Non erit apud te sterilis urriusq; sexus.* Hoc quæ imprimis locum habebat in illis qui erant ex Tribu Regali Iuda, ex quâ futurus erat Messias, ut notavit D. Augustinus lib. 6. de Bono Conjugali, tandem ex illo Deuteron. cap. 25. *Male dictus qui non suscitaverit semen in Israel.*

Sed non est credibile tale præceptum à Deo positum fuisse, saltem quod obligaret omni tempore: In principio mundi quando propagandum genus humanum, vel post diluvium quando erat reparandum, videbatur præceptum generationi vacare, sed postmodum non: nec fuit sub lege Moyfi contra legem virginitatem servare, sed supra legem, ut docent SS. Patres & Theologi: unde illo tempore multi viri sanctissimi virginitatem coluerunt, quod non fecissent, si fuisset aliquod præceptum divinum quod illos ad generandum obligasset: Melchisedech etiam ante Moysem, & Josue Moyfi socium & successorem virgines fuisse scribit sanctissimus Martyr Ignatius epist. ad Philadelph. Eliam Prophetam Patrem nostrum: Sanctus Ambrosius lib. 1. de Virg. & alii: Elisæum & Jeremiam: Divus Hieronymus l. contra Jovinian. Danielem: D. Damascenus, lib. 4. de fide Orthodox. cap. 25. tres pueros Sidrach, Misach, & Abdenago, à Nabuchodonozor in in fornacem ardentem missos, idem ibidem. Essenos: Iosephus de antiquo Judaicis lib. 2. cap. 8. & lib. 2. de bello Judaico, & Plinius lib. 5. cap. 17. idemque dicendum de Sancto Domini Precursore Joanne Baptista.

Non ergo erat lege præceptum dare operam generationi, sed videbatur, quia sic judicabant ut plurimum Judæi carnales propter largas illas benedictiones

ctiones, quas Deus generantibus promittebat: unde eos peccare arbitrabatur, qui tantis benedictionibus suâ se voluntate privabant.

Vl. Nec verba ex libro Exodi cap. 23. verſ. 26. & Deuteronom. cap. 17. v. 24. supra adducta pro oppositâ sententiâ vim habent præcepti: sed sunt promissiones Dei ut patet evidenter legenti antecedentia & consequentia ad textus illos.

Vll. Ad illud Deuteronomii cap. 25. *Maledictus qui non suscitaverit semen in Israël*, Respondeo verba illa in vulgatâ nostrâ non haberi, quamvis ea citent Divus Hieronymus in cap. 56. Isaya, & Divus Augustinus lib. 14. contra Faustum cap. 13. Respondeo secundò, intelligi de illis qui generationi vacabant, non verò de illis, qui voluntariè & ex motivo virtutis studiosè virginitatem servabant: alius maledictus fuisset Melchisedech, maledictus Josue, maledictus Elias, maledicti Elisæus, Jeremias, Daniel, Sidrach, Misach, Abdenago, Effeni; maledictus Divus Joannes Baptista quod nemo dixerit.

Vlll. Deinde directè contra hanc sententiam: si Beata Virgo & Divus Josephus propter assertum legis præceptum nupsissent ut ei obedirent, debuissent etiam nubendo matrimonii consummationem intendisse, & generationi vacasse, cum ideò matrimonium fuisset in præcepto ne esset sterilis in Israël. Falsum istud consequens, ergo & antecedens.

Ix. Alii voluerunt nupsisse ut in externo vitæ statu se suæ genti conformarent, ne singulares apparerent. Ita Divus Augustinus lib. de Sanctâ Virginit. cap. 4. *Licet*, inquit, *Virginem se antea Deo novisset: quia tamen Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa voluerat.*

X. Vera, firma & absoluta omnium est sententia Doctorum admirandi hujus consilii non alium fuisse Authorem quam Spiritum Sanctum. In omnibus siquidem actionibus, maximè verò in iis quæ ad futuram Filii Dei spectabant Incarnationem, Beata Virgo à Spiritu Sancto regebatur, & D. Josephus. Ipse

igitur Spiritus Sanctus Divæ Virgini inspiravit ut perpetuum Virginitatis propositum in animo conciperet, illudque voto firmaret; concepit & voto firmavit: Ipse postea hanc ei mentem indidit ut se in matrimonium Josepho traderet; tradidit: Ipse eam edocuit quomodo animum alienum à copulâ haberet, & tamen matrimonio consensum necessarium præberet; præbuit. Similiter ipse D. Josephum disposuit ut eatenus castitatem coleret: Ipse ei aures hominis interioris aperuit ut Deiparam ad virginitatem ejusque votum exhortantem audiret; audivit & animum castum & pudicum ut servare dedit.

CAPUT XVIII.

Quàm felix hoc Matrimonium Divi Josephi, & unde?

Divus Augustinus lib. 9. de Genes. ad lit. cap. 3. Divus Gregorius in Psalmum quinquagesimum. D. Thomas & Scholastici part. 1. quæst. 98. artic. 2. Hugo à S. Victore lib. 1. de Sacram. part. 6. c. 24. docent quod in statu innocentie fuissent nuptie, quodq; per eas, ut nunc, propagatum fuisset genus humanum; Resq; est in confesso apud omnes, tum quia Deus in illo statu condens homines, masculum & sceminam fecerat eos: tum quia Eva dicitur tunc facta ut esset Adæ adjutorium, at in quod adjutorium, inquit D. Augustinus citatus, si nõ in adjutorium gignendi liberos? tum quia illis in eo statu dictum est: *Crescite & multiplicamini*: tum denique quia quomodo in Adamo peccavimus & ex illo traheremus originale peccatum, nisi in illo fuisset gratia in descensuros ex eo transfundenda, quæ per ipsius peccatum in nostram perniciem fuit exhausta?

Hæc res clarissima est, sed quales quæso fuissent tunc nuptie? utique eo statu dignæ, hoc est ut sanctæ, ita scelicissimæ, nullâque ne vel minimâ molestiâ admixtæ. Nullus libidinis ardor, nulla uteri tædia, nulli partus dolores,

N a

vel

vel pericula, nulla discordia inter conjuges, nullæ rixæ, nulla infidelitas, nulla suspicio, zelotypia nulla, nulla paupertas, nulla orbitas, nullæ curæ, nulla matrimonii onera. Conjugum summa consensio, gaudium ex invicem summum, liberorum utpotè Deo perfectè subjectorum educatio suavissima.

III. Quibus ò miserandam sortem nostram! quam dissimiles sunt nostræ? Nunc enim cum ardore libidinis filii procreantur, cum tædio in ventre portantur, cum dolore in lucem eduntur, cum labore educantur: Paupertas conjuges affligit, abundantia inflat, zelotypia urit, rixæ incendunt, mæror torquet, discordia lacerat, curæ premunt, matrimonii pondus obruit, mors deniq; separatur.

IV. Quàm benè ergo matrimonium alio nomine dicitur Conjugium quod significat quasi cõmune jugum? ut etiam ipsum nomen indicet matrimonium rem esse molestiq; plenissimam: Quamvis enim cætera vitæ genera suis non careant molestiis, hoc tamen inter omnia omnium sentina est. Quare Dardanenses Illyrici Eliano teste lib. 4. var. histor. cap. 1. ter solummodò per totam vitam lavari consueverant, in ortu, in obitu, & in nuptiis: ut significarent aequè sinistri loco præfagii: habuisse nubere, ac nasci, vel mori, ut proinde in nuptiis eadem quâ in ortu vel obitu ceremoniâ uterentur: nec ineptè certè, quemadmodum enim ad miserias nascuntur, qui in hanc lucem prodeunt, & vermium eica fiunt qui eâ exeunt: ita planè illi qui matrimonio copulâtur, obligantur ad colluctandum cum ingèti curarum molestiarum & laborum exercitu, fiuntq; miseri sollicitudinum & ærumbarum pabulum.

V. Quid quod in eo ipso in quo voluptatem sibi promittebant, tribulationem inveniunt? negas? nonne antequam jugum conjugii subeant sibi voluptatem carnis promittebant conjuges? nihil hæc veritate verius. At Paulus 1. Corinth. cap. 7. vers. 28. *Si acceperis uxorem, inquit, non peccasti, & si nupserit Virgo non peccavit, tribulationem tamè carnis habebunt hujusmodi.* Et equidem verè, voluptas enim quæ est in actu conjugali quàm vilis est, quàm brutalis? quàm pudenda, sed quàm illi

brevis, nonne momento transit, sed quanta, quàm innumera eam à tergo sequuntur aspera: iis illa ita opprimitur & eliditur, ut omninò ablorbeatur. Mox enim à conceptu subeunt fastidia, in somnia, vertigines, melancholia, præcordiorum angustie, absterge appetitus, & totius naturæ perturbatio, sequuntur partus dolores acerrimi, ex quibus quàm sæpè morbi insanabiles & mors? &c. quæ quisque sibi ipsi representare potest uxorum à maritis, maritorum ab uxoribus, utrorumque à liberis, ab affinibus, à fortunâ, à morte, &c.

Quare Divus Hieronymus lib. 1. contra Jovinian. versans mox citatum Apostolilocum. *Nos ignari rerum, inquit, putabamus nuptias saltem carnis habere lætitiã, cum tamen carnis habeant tribulationem. Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in quo solo videbantur habere delicias, quid erit reliquum propter quod nubunt.*

Sed quid his immoramur tamdiu? in illud Virgineum Mariæ & Josephi conjugium convertamus oculos, quod etiam in præsentis rerum statu per peccatum funestato (in quo nullum quantumvis faustum sine molestiâ) felicius tamen longè omnium felicitissimis, illis etiam quæ in illo priori fuissent innocentia statu, conjugium, inquam, illud omnium conjugiorum primum & faustissimum, quod suâ bonitate omnium præsentis status malignitatem abstergit, & prioris felicitatem status incomparabiliter superat & obscurat: conjugium in quo omne nuptiarum bonum proles, fides, Sacramentum: conjugium denique in quo convictus sine libidine, proles sine concubitu & sordibus, uterus sine gravedine, sine dolore partus, Mater sine viro, Pater sine generatione, procuratio familia sine distractione, omnia necessaria sine curis & inquietudine.

Sed ad rem propius accedamus, quod. VIII. nam quæso potuit esse conjugium illo felicius, aut illi unquam simile, quod à Deo ipso fuit, & ex quo ipse Deus? quam hoc magnum! quam hoc incomparabile & divinum!

Felix fuit Adæ & Evæ matrimonium quia à Deo fuit, non tamen felicissimum

num, quia non ex illo Deus. Felicissimum ergo Mariæ & Divi Josephi fuit quod utrumque habuit: Non illos libido, vel alia quævis passio copulavit, non Parentes, non propinqui ad illud impulerunt, quin etiam nec ipsi quidquam de hoc cogitabant, quibus animus erat longè alius, perpetuam scilicet servandi continentiam: sed Deus solus qui illud voluit, ad illud eos singulari modo, oraculo scilicet & miraculo accivit, ut docuimus supra. Quàm sanctum ergò illud matrimonium, quod ita ab omni passione & homine liberum? sed cum nullum sit in matrimonio bonum quod non sit à Deo, nonne Deus omninò in hoc effusus, cujus ipse tam singulari ratione Author? cui ipse præfuit? quod ipse ordinavit, procuravit, promovit?

X. Quod si ex hoc capite, scilicet quod sit à Deo tam felix esse debuit hoc conjugium, quantum quæso ex hoc quod Deus ex illo, quod huic soli contigit & continget? In cæteris conjugiiis si proles, hæc ex concubitu & nonnisi homo: in hoc, nullus concubitus, & tamen proles, & hæc Deus, & ex hoc illa Mater Dei: iste ejus Pater. Quid hoc divinius? Quis unquam prolem ausus fuisset cogitare, quis sperare sine concubitu? sed quis prolem ipsummet Deum? Quanta ergo hujus sacri felicitas conjugii, quæ omnem spem, omnem superat hominis cogitationem? O quæ tu ex hoc Sanctissime Josephi te enim alloquor, quia tua hæres agitur, qui per hoc factus es Pater Dei, idque modo tam perfecto & sublimi, ut saltem in præsentis rerum statu non poteris sublimiori. Potuisset quippe Deus absolute si voluisset ex Virgine innuptâ concipi & nasci: propter te ergo aliter voluit, ut quod ab æterno de te cogitaverat & disposuerat, in tempore adimpleret. Cogitaverat inter puros homines de virili sexu te ad summam attollere dignitatem, quemadmodum & Conjugem tuam inter foeminas: ut ergò illud exequeretur, hoc Conjugium elegit, quo quidem tantus effectus es, ut quo altius ascēderes nihil excogitari possit, non enim potest purus homo altius ascendere quam ut sit Pater Dei eo modo quo tu es.

Sed & alia est in hac Divi Josephi foelicitate foelicitas singularis, quam hic omittere non possum, & quænam illa? Audi, Apostolus 1. Corinth. cap. 7. vers. 33. docet quod in aliis conjugiiis vir qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est; in multas nimirum curas, ita ut uni Domino non possit vacare integrè, sed partem Deus, partem uxor, eamque non modicam, partem liberi non minorem sibi vendicent, quod etiam verum est in conjugiiis aliis castis & sanctis, sicque infelicitè homo conjugatus dividitur inter cælum & terram, sed in hoc Divus Josephus fuit cæteris foelicior, quod in suo conjugio omnes illius curæ, cogitationes, labores in Deum rectà tendebat, eumque Deo uniebant: Nam si de prole alenda cogitaret, proles Deus erat, Deum ergo tunc cogitabat & attingebat, immò in ipsum totus immergebatur. Cum enim cogitabat se Deo laborare, se Deo sudare, se de laboribus & sudoribus Deum alere, o quantà quàm divinam perfundebatur suavitate! Si verò de Sponsâ, in ipsâ nihil videbat quod ipsam non spiraret & inspiraret sanctitatem: in ipsâ verba mentem ejus in Deum efferebant, aspectus ipsi, cor & animam sanctificabant: Modestia norma vitæ erat & actionum; forma denique o miraculum! nonnisi castas in ejus mentem cogitationes ingerebat, puras in pectore flammam accendebat. Miraculum dico & meritò, nam forma licet vim habeat magnam, ut corda nequet conjugatorum; quia tamen non est innoxia post peccatum, quod illam veneno & contagione suâ ut cætera infecit, vix ulla reperitur quæ non ei famuletur, nulla quæ non impura excitet desideria, quæ vix abstinentia, mortificatio, & pugna extinguere possint. Quare graviter Tertullianus lib. de cultu foeminarum. *Decorem, dicit, naturaliter invitatores libidinis.* Sed Sanctissimæ Virginis forma & pulchritudo, cum nunquam fuerit conjuncta cum peccato, quin è contra fuerit semper cum summâ gratiâ, pudore, sanctitate matitata, effectus omninò contrarios nata erat producere, castas inquam afflare cogitationes, sancta accendere desideria

desideria, pudoremque sanctum in ipsis etiam impudicorum cordibus instillare. Quid ergo in D. Josepho qui tam sanctus erat & purus? Quam ergo ille erigebatur in Deum quando illam aspiciebat? quam illius cor in amorem Dei exardescebat dum illam audiebat? ut verè illi, & sanctè posset ipse dicere quod Cantic. cap. 2. vers. 14. Sponsus enim ipse erat, illa sponsa. *Surge Amica mea, speciosa mea, columba mea, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis. & facies tua decora.* Per uxorem ergo adhuc magis Deo uniebatur, per quam ceteri ab eo miserè distrahantur: nonne ergo Divus Joseph ex hoc Conjugio summè felix.

- XII. Illud ergo primum & summum huius Conjugii bonum, nullique unquam commune quod illud à Deo, quodque ex illo Deus. Et ex hoc quasi ex perenni quodam fonte rivuli, omnia alia bona, quæ ad Conjugium summè felicitandum excogitari possent, profuxerunt.

CAPUT XIX.

Alia ex quibus hoc D. Josephi felix matrimonium.

- I. **T**RIA adhuc invenio ex quibus felix evasit hoc Divi Josephi cum gloriosæ Dei Genitricis matrimonium: primum est eorum inter se proportio & similitudo. Secundum, Amor mutuus. Tertium, eorum concordia, consensio, & unanimitas, de quibus per totidem Sectiones.

SECTIO PRIMA.

De perfectâ eorum proportione & similitudine.

- II. **P**rima lex Conjugii est ut sit proportio, & aliqualis paritas inter eos qui nubere volunt, hocque ut matrimonium faustum sit, suæque felicitate non careat, vix enim aliter faustum erit: inde illud Ovidii in epist.

Dejaniræ ad Herculeum.

Si qua voles aprè, nubere, nubere pari.
eademque fuit septem Græcæ Sapien-
tiam, aliorumque plurimorum senten-
tia, uti fusè tradit Tiraquellus lib. 5.
Connubial. num. 16. & seqq. unde
Antonius Solonem ita inducit lo-
quentem, *Par pari jugato Coniux, quod
impar est dissidet.*

Neque hæc paritas aut proportio tantum debet esse in conditione, ætate & opibus, sed etiam, & hoc maxime, in moribus & ingenio: si enim miretur v. c. tradas fero & turbulento, nonne ovem committis innoxiam lupo? columbam accipitri? quæ concordia? quæ animorum unio? quæ pax domi? quomodo tranquilla familia esse poterit, ubi est tanta animorum & affectuum dissimilitudo? In naturalibus asser non adglutinatur marmori aut lapidi, propter nimiam dissimilitudinem, sed alteri ligno sive asseri, ferrum propter eandem rationem non unitur auro vel argento, sed ferro vel chalibi: similiter surculus nucis non inseritur pomæ, nec pomus nuci, sed nux nuci, pomus pomæ, quomodo ergo adglutinabitur, inseretur, unietur uxor viro moribus & ingenio dissimili?

Hæc etiam mihi videtur una ex causis istius legis apud Judæos quæ vitium erat ne viri vel mulieres unius tribus desponsarentur alteri ex aliâ Tribu: primò, enim per hoc procurabatur paritas vel proportio in conditione, hoc est in genere, & aliquo modo in opibus: Secundò, etiam in complexionibus & inclinationibus, cum enim in eo casu essent eodem sanguine propagati, & ex eodem communi stipite orti, videbantur ex hoc habituri aliquam complexionum consonantiam, quodque retinentes suæ qualitates originis, tam facile essent inter se uniendo, quam duæ aquæ guttæ ex eodem fonte & canali decurrentes.

Cæterum quidquid sit de istâ lege, certum est quod Deus illam similitudinem & proportionem posuit perfectè in Adamo & Evâ, quos ipse conjunxit, quorum matrimonium, utpote primum, debebat esse regula cæterorum: patet ex illo Genes. cap. 2. vers. 18. *Dixit quoque Dominus Deus non est bonum*

*num hominem esse solum; faciamus ei ad-
jutorium simile sibi: ubi pro illis verbis:
Faciamus ei adjutorium simile sibi, Sep-
tuaginta verterunt, faciamus ei adju-
torium secundum ipsum, id est respondens
& congruens ipsi: quod adjutorium
fuit mulier, quam Deus ex illo forma-
vit, ei que dedit uxorem.*

VI. Porro quam putas fuisse hanc simili-
tudinem? non utique in naturâ solum,
sed etiam in gratiâ & in moribus, ut ex-
ponunt SS. Patres & Interpretes: & ra-
tio est manifesta, quia aliâ si mulier
quam Deus dedit Adâ in uxorem tan-
toque univit coedere, fuisset ei diffimi-
lis in moribus & ingenio, licet fuisset
ei similis in naturâ, non tamen fuisset
ei adjutorium secundum ipsum, res-
pondens & congruens ipsi, sed potius
impedimentum magnum ut constat.
Quare dedit Deus huic mulieri non
tantum ut erecta esset in pedes, excel-
so vultu, rectoque totius corporis ha-
bitu, ut Adam; non tantum animam
immortalem libero arbitrio præditam,
& supernaturalium bonorum ac foeli-
citatâ æternâ capacem, sed ei etiam
contulit gratiam & justitiâ origina-
lem, & cæteras virtutes, perfectam
corporis & appetitus ad rationem sub-
jectionem, & rationis ad Deum, se-
cundum quam poterat sine difficultate,
ut Adam, à malo declinare, & bonum
facere, sicque in acceptâ justitiâ perse-
verare.

VII. Hanc quoque similitudinem posuit
Deus in hoc Divi Josephi & Deiparæ
omnium sublimissimo Conjugio, eam-
que omnium perfectissimam & absolu-
tissimam: si enim in illo Adâ & Evæ
Conjugio, quod à Deo & recto devia-
vit, tanta similitudo & proportio ex
hoc quia à Deo quanta hic, ubi & ex
Deo, & propter Deum, quia Deus ex
illo proditurus erat:

VIII. Deuteronomii cap. 2. vers. 10. *Non
arabis, inquit Deus Israeli, in bove si-
mul & asino.* Non vult Deus illa duo
animalia eidem jugo copulari, quod
scilicet essent disparia, non tantum in
naturâ, sed maximè in viribus. Cavet
ergo Deus ne illa diversæ speciei bru-
ta ex consociatione sub eodem jugo
forte, ut fieri posset, commisceantur
extra ordinem naturalem: & ne ex im-

paritate virium totum onus recidat in
debilius: si ergo in Deo tantus est re-
cti ordinis amor, ut cum etiam in ip-
sis procuret animalibus, quanto magis
in hominibus, qui eidem matrimonii
jugo alligari debent, à quo ducuntur
Conjuges? *Nonne enim Domino cura est
de bobus, & non de hominibus?* non vult
ergo Deus dissimilitudinem aut dispro-
portionem in illis qui conjugari de-
bent, quandoquidem nec illam appro-
bet in brutis. Et idèd Apostolus 1. Co-
rinth. cap. 6. hoc præceptum ponit,
Nolite jugum ducere cum infidelibus.

IX. Quod si Deus ita curat & in consoci-
atione brutorum, & in hominum
conjugiis, quod ipsimet homines dis-
ponunt, ut sit proportio inter conju-
gandos, illenc hoc neglexerit in hoc
singulari matris sue Divi Josephi, quod
ipsemet præ omnibus curavit matri-
monio? cui ipse solus intendit? quod
voluit esse omnium exemplar? ex quo
ipse proditurus erat? fuit ergo de-
bita inter Mariam & Josephum pro-
portio.

X. Planè fuit & quidem in omnibus.
Primò, in conditione erant enim am-
bo ex eadem Tribu, imò ex eadem
Regiâ Davidis familiâ, imò etiam con-
sanguinei. Secundò, in ætate: hinc
illud Isaïæ cap. 62. v. 7. *Habitabit juve-
nis cum Virgine,* hoc est, ut ait utraque
Glossa, *Joseph cum Maria.* Tertio, in
opibus erant enim ambo ditissimâ,
quam ex mentis opulentia elegerunt,
paupertate contenti. Quarto, in for-
mâ & specie, si enim Maria erat pulchra
ut Luna, Joseph post JESUM filium
suum fuit speciosus formâ præ cæteris
filiis hominum, quia JESUS in formâ
vultus & habitu corporis debuit ei assi-
milari, ut melius ejus filius æstimare-
tur, quod fuit necessarium ad tempus.

XI. Quod si in his caducis voluit etiam
Deus cavere, ut essent invicem similes,
quanto magis ut essent tales in inclina-
tionibus & affectionibus: & ut ex his
ad majora trãscamus quanto magis ad-
huc in gratiis & prærogativis? tandem
quanto amplius adhuc in virtutibus:
ne verò verba tantum dedisse videamur,
quamvis hæc ratiocinatio effica-
citer concludat, nonnulla etiam isto-
rum omnium accipe exempla.

- XII. Quoad inclinationes & affectiones, fuit similitudo & proportio in illis ex indole & naturali complexione; fuit ex gratiâ, fuit ex illorum studio: fuit Maria integritatis carnis amantissima, fuit & Ioseph ad eam ita propensus, ut illic ipsâ suadente, eam cum ipsâ voverit: fuit Mariae animus à terrenorum affectu liberrimus, fuit & Divi Iosephi, cui non fuit difficile Magorum munera in pauperes distribuere, retentâ sibi solâ providentiâ Divinâ. Fuerunt ambo devotissimi, ibant enim ambo per omnes annos in Jerusalem in die solemnâ Paschæ, Lucæ cap. 2. & etiam in aliis anni solemnitatibus, ut censent SS. Patres: Ambo mirabantur simul, simul dolebant, simul gaudebant. Mirabantur super his quæ dicebatur de JESU, dolebant de JESU amisso, gaudebant de reperto.
- XIII. Quoad gratias & prærogativas, fuit Maria prædestinata ut esset Mater Dei, Ioseph ut esset illius Pater: Fuit illa præfigurata & prophetizata, similiter & ille: Nata illa ex patribus sterilibus Divino munere, ille genitus ex Patre procedente ad ejus generationem, non ex libidine, sed ex Dei lege: Fuit illa in Conceptione Sancta, hic statim à Conceptione, &c.
- XIV. Quoad virtutes, hoc patet ferè ex toto opere, ut tamen uno probemus exemplo, expende quomodo uterque se gesserit in illâ urentissimâ tentatione, quando Virgine cœlitus imprægnata, ignorante mysterium Divo Iosepho, cogitabat hic de illâ occultè dimittendâ: ac primò quidem Virginis hoc in casu expende virtutes, postea Iosephi.
- XV. Primò quæ hujus Sanctissimæ Virginis prudentia, quæ Sponsi tristitiam & dubium perspicens, causamque sciens, noluit quidquam dicere ejus quod sibi contigerat, *Prudenter reputans*, inquit D. Chryostomus homil. 4. in Matth. *parum profuturum si Sponso ipsa secretum revelaret, non dixit, quia non existimabat sibi credi à Sponso, & maxime in suspicionem non ex levi causâ adducto.*
- XVI. Expende deindè animi fortitudinem, dum cuilibet periculo infamiæ & etiam vitæ maluit se exponere, quàm gratiam sibi à Deo factam, & revelationem viro propalando, vel tantillum ab honesto seu recto deviare.
- Expende etiam in hoc facto ejus justitiam eximiam, dum sic Sponso suo humiliter submissionem deferrebat, ut pro hoc ipse contra eam offendi non potuerit, & tamen Deo quod suum erat, scilicet secretum & taciturnitatem non denegaret.
- Quartò, denique expende ejus hic temperantiam: & quænam ei similis: suam sic temperavit de Sponso sui longè amantissimi afflictione teneritudinè, ut ne verbum, imò nec signum foras effuderit vel minimùm, intrinseci, quem patiebatur in corde ob ejus inquietudinè, doloris. Discurre similiter de ejus hic quoque Fide, Spe, Charitate. Fides in eâ in hoc casu non tepuit cum non discrediderit de Prole Divinâ quam gestabat, etsi videret Deum permittere Sponsum suum de fidelitate suâ dubitare, quod impedire potuisset: Nonne enim poterat cogitare, etsi ventrem gestaret, illusionem tamen aliquam subesse præviæ revelationi, quandoquidem Deus Sponsum suum non relevaret, sed se in ultimum discrimen adduci videret. Sed quid de ejus spe, quam sic firmam hic habuit, ut certissimè expectaret sibi Deum in illo adfuturum periculo in quo exposita erat: quare nec de se apud Sponsum purgandâ cogitare voluit, sed totam rem Deo fiducia plena commisit. Charitatem etiam licet hic non ita manifestam, non tamen minus veram: non tantùm quia nihil contra virum, de se omninò innoxia, dubitantem, per iram, aut certè aliquam animi ægritudinem effutiit, sed etiam ex hoc, quod tunc istud de se dubium ob Dei amorem sustinens, & à Cœlo auxiliium firmiter expectans, ei tunc maximas à Deo gratias impetravit, cum quibus ita se gessit in hac anxietate, ut ab eâ meruerit liberari, & in eâ merita sua cumulâri supra modum.
- Jam perpendendū quàm similes sint his hujus Sanctissimi ejus Sponsi virtutes in hoc eodem quem versamus casu.
- Primò, quæ major prudentia quàm Divi Iosephi, qui etsi ad oculum offensam videret suam, tamen non citò, non illicò, non statim, nò præcipitanter se

se gerit, sed consultè, sed maturè: & quomodo potuisset aut consultius, aut maturius? Hinc Evangelium. *Hac autem eo cogitante*, in quæ verba Glossa, *Notatur*, inquit, *animus Sapientis qui nihil temerè vult incipere*. Iterum quæ major prudentia quàm Divi Josephi, qui illum modum advenit in tam lubricâ occasione, occultè discedendi ab eâ, quo & Virginem non offenderet si esset innoxia, & se interim ab omni noxâ liberaret, si fortè è contra non esset innocens? *Intelligens*, inquit Divus Augustinus serm. de Nativit. *Mariæ uterum gravari turbatur, quod Mariam quam de Templo acceperat, & nondum cognoverat gravidam sentiebat, secumq; astabat disputans & dicens: Quid faciam: prodo, aut taceo: si prodero, ad ulterio non consentio, sed vitium crudelitatis in erro: si taceo malo consentio, & cum adulteris portionem meam pono: quoniam ergo tacere malum est, adulterium prodece pejus dimittam eam*.

XXI. Ac si fortitudinem consideras, quæ major? cum ut ab honesto ne discederet, sic se temperavit, ut non solum nihil foris extraneis proderet, sed nec etiam domi, sic mansuetè se gerens, ut nec ipsi uxori, quæ apparebar culpabilis, verbum illum, multò minus durum, diceret: unde pulchrè D. Chrysostomus Homil. 4. in Matthæum paulò ante med. in supradicta Evangelii verba: *Hac autem eo cogitante notatur*, inquit, *mansuetudo Joseph quia nulli narravit suam suspicionem, neque ei qua suspecta erat, sed in se cogitabat*.

XXII. De Justitiâ verò patet, quia ex hoc ipso eum vocat justum sacer Evangelista dicens; *Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere voluit occultè dimittere eam*.

XXIII. Quod si de temperantiâ sit sermo & de mansuetudine, quanam fuit major quam D. Josephi in hoc casu? Certè sciscitor ubi usâ unquam fuit major amaritudinis occasio. Nulla ergo mansuetudo major, & ita de reliquis virtutibus: fuit ergo verè Josephi adjutorium Mariæ simile sibi.

XXIV. Quod cum ita sit, expende nunc magnitudinem gratiarum, prærogativarum, & virtutum Sanctissimi Josephi, eamque invenies omnem superare

captum humanum; adjutorium enim simile debebat esse Dei Genitrici, seu secundum ipsam, quare & simile in gratiis & virtutibus: sed quales hæ erunt? quid dicam? Sanctus ob hoc Divus Joseph quantum Beata Virgo, non quidem, sed ad instar illius. sed secundus ab illâ seu secundum ipsam, cui nullus æquiparandus, tantùm abest ut præferendus.

Et certè inquit D. Bernardinus Senensis tom. 3. ser. de S. Josepho art. 2. c. 1. *Quomodo cogitare potest mens discreta, quod Spiritus sanctus tantâ unione conjugii scilicet uniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? unde credo Joseph fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione. &c. ut esset adjutorium simile Virgini, seu secundum ipsam*.

XXV. Eodem modo de eruditione ita pietate insignis vir Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis Sermon. de Nativit. B. V. Decuit, inquit, ut Maria tantâ puritate niteret quâ nulla sub Deo major queat intelligi, ut Sanctus Anselmus ait, ita decuit ut Joseph tantâ prærogativâ polleret, quæ similitudinem & convenientiam exprimeret talis Sponsi ad talem Sponsam, de quâ natus est Jesus qui vocatus est Christus & ut potest intelligi ex Matthæi cap. 1. Beatissimus Joseph fuit super omnes homines purus, similis Virgini glorioz.

SECTIO II.

De eorum Amore.

XXVII. Inter omnes amicitia amores conjugalem esse summum & excellentissimum, cui proinde cæteri primas cedere debent, sententia est Aristotelis lib. 2. Ethic. cap. 2. & omnium Philosophorum. Adeò perfectum esse hunc amorem constat Theologis & divinis Scripturis, ut cum amore proprio sui ipsius, non tam contendere, quàm unâ ire videatur: quare cum Deus in reliquis animalium speciebus marem & foeminam seorsum cõdiderit, in

in humanâ specie tamen non sic, sed ex viro mulierem fabricavit, ut per hoc disceret homo, mulierem à se, ut partem sui, diligendam. Sed clarius & expressius Apostolus ad Ephes. c. 5. Qui uxorem suam diligit seipsum diligit, quia nimirum vir & uxor sunt duo in carne unâ: unde D. Thomas in Commentariis in hunc locum Apostoli, infert odium in Conjugem esse contra naturam, & peccatum ejusdem speciei cum odio sui ipsius, quod est tantum hominum perditorum, & desperatorum.

XXVIII Quare cum amicitia ut sic, hoc est generaliter loquendo, docente Petro Blesensi Tract. de Amicitia, qui extat Tom. 12. Biblioth. Magnæ SS. Patrum part. 2. *Sit quedam vita hominum, sine qua nullum est vita humane solatium*, quid esset conjugium sine illâ, nisi infausta catena, quâ duo remiges misere colligantur, ut ab invicem torqueantur, & simul tabescant? Sed cum eodem Blesensi attestante ibidem paulo ante verba jam citata: *Amicitia sit divitibus pro gloria, pauperibus pro censu, exulibus pro Patriâ, imbecillis pro virtute, egrotis pro medicinâ*: quid ergo efficiet conjugalis quæ inter omnes amicitias est summa?

XXIX. Cum ergo amor conjugalis, qui inter omnes amicitia amores est primus, tantum conferat ad conjugiorum foelicitatem: videndum quantum fuerit Mariæ & Josephi amor, & quam fœlix fuerit eorum conjugium aliquo usque postea conjicere valeamus. Summum verò illum fuisse, & talè cui nullus unquam similis, quis inficiabitur? sed accipe hujusce veritatis argumenta locupletissima.

XXX. Perfectio amoris conjugalis altius erigi non potuit, quàm quo illam erexit Apostolus ad Ephes. cap. 5. dicens: *Viri diligite uxores vestras sicut Christus Ecclesiam*, cujus proinde reciprocum erit, ut uxores viros suos diligant sicut Ecclesia Christum. Scopum ad quem conjuges in amore suo collimare debent ita erigere voluit Magnus Doctor gentium, non quod fieri posse putarit ut eo unquam pertingerent: sed voluit ut amorem suum quantum possent intenderent, ut hâc ratione saltem eò

ille perveniret, quo debet: sciebat quippe quod quantumvis intentionem suam erigerent, fore ut ex humanâ infirmitate satis remitteretur, atque nimis sæpè etiam infra id quod sibi invicem debent caderet.

Perfectior est ergo ille Conjugum amor, non qui omninò similis est ei quo Christus & Ecclesia se invicem prosequuti sunt, sed qui propius ad illum accedit: nullus verò ad illum Christi & Ecclesiæ amorem ita prope accessit ut Josephi & Mariæ: hoc enim huic sacro Conjugio Deus debebat & concessum est: quod ut videas & fateare, tria observanda in amore Christi ad Ecclesiam, & Ecclesiæ ad Christum. Primò, ejus puritas: Secundò, firmitas: Tertiò, effectus: In quibus omnibus nullus amor ita accessit ad istum Christi & Ecclesiæ amorem, ut amor Josephi & Mariæ reciprocus, Singula videamus.

Primò, quàm purus ille amor quem Deus ut hujus author Conjugii de suo accendit! quàm purus ille amor quem non in carne sed in spiritu uterque consummavit! quàm purus ille amor utrimque infusus spiritui licet carni inferto, carni tamen sine carne, ut ita loquar, idest sine fomite, & undequaque sanctæ, à quâ proinde corrumpi spiritus vel amor, aut infici minimè potuit! quàm purus denique amor quo hæc meruit esse Mater, ille Pater, Domesticus, Bajulus, & Nutritus Agni Immaculati!

Fuit Deus singulariter Author conjugii Adæ & Evæ, quare etiam illis implantavit amorem istum mutuum, ut eximium, ita purissimum. An non eximius ille amor quem aquæ multæ nec flamma ipsa obruere potuerunt? Quid enim? nisi fuisset eximius ille amor in Conjugem quem Deus in primi pectore parentis Adæ accenderat, an post peccatum, ad quod illa eum induxerat, potuisset adhuc illam in suis oculis sustinere? Cum recordatus fuisset ex illius persuasionem provenire, quod paradiso expulsus esset in terram laboris, quod cœlifavoribus exutus in tam fœdam omnium miseriarum sentinam decidisset, nonne molestia quam ex hac recordatione passus fuisset, tantum illius

illius odium & horrorem ei inuississet, ut eam amplius ferre non potuisset: an illam deinceps aspexisset nisi ut funestum Tartari Titionem? ut causam suam maledictionis abominandam? Quare Deus qui hanc praevidebat offensam seu indignationis occasionem, & quod nisi serio & summe praecaveret, nunquam susteretur odium ex recordatione tam funesti eventus enasciturum, eum ita fortiter illius amoris illigavit, quod quidquid deinceps accideret, odisse minimè posset, & nonne etiam post istum suum à tantà felicitate lapsum, ejus adhuc quasi coecus amore, eam vocat Matrem viventium, quae morientium potius merebatur appellari? nec dubitandum in Evà erga virum amorem fuisse reciprocum & similem.

XXXIV. Sed ut ille amor primis parentibus à Deo conjugii illorum authore impressus eximius, ita etiam purissimus. Vis & illud videre? generationi quidem illi in eo statu, in quo Deus illos conjunxerat si mansissent, vacaturi erant? sed quomodo? omnino sine libidine, & ex solo rationis ductu & imperio, ita docent Theologi: quàm pura ergo illorum conjunctio! quàm purus illorum amor! sed quantus ille si cum amore Josephi & Mariae comparetur? attende.

XXXV. Quàm magnus ille casus quod Virgo recenter nupta Josepho, antequam convenirent inventa sit in utero habens? Quis posset unquam in conjugio contingere atrocior viro? sed quid viro statim à contractis nuptiis quando amor maximè fervet? quid denique viro quem ipsa induxerat, ut à se continere vellet? certe sanctus Henricus Imperator è domo Bavaricà, licet Sanctus, post multos annos probatae conversationis, sine ullà vel minimà apparentiâ, sed nescio quâ tentatione, in suspicionem fidelitatis suae conjugis Sanctae Cunegundis adductus, quantumvis conaretur quietari, non potuit nisi postquam illa Deo inspirante, in testimonium innocentiae suae super candente ferro longurio nudis pedibus ad quindecim passus nihil ustulata ambulavit ingenti prodigio. Quam major hic casus imprægnationis Mariae certif-

simè & evidenter apparentis, quam se non cognovisse sciebat? Quam ergo fuit D. Josepho coelestis Mysterii, quod in eà Deus operatus fuerat, minimè conscio gravis? an ille tamen tantus quantus est ejus extinxit amorem? imò ne verbum quidem quod illam contristare potuisset extorquere potuit. Sed an minuit ardorem? è contra tùm primum sensit quantum illam amabat, quando vidit eam sibi relinquendam: sed quantumvis eam amaret, prius tamen Deum: & idè nec illi nocere voluit eam traducendo, quia eam amabat: nec Deum offendere cum illà manendo quamvis doleret, quia Deum prae illà diligebat. O quam magnus amor! sed quam justus, quam ordinatus amor!

Vis jam videre quàm purus ille XXXVI. amor? audi non me sed D. Augustinum tom. 10. serm. 63. de diversis cap. 6. ad finem, ubi vertens illa verba: *Voluit occultè dimittere eam*, ita loquitur. *Turbatur quidem maritus sed non servit iustus: tanta enim justitia tribuitur huic viro, ut nec vellet habere adulteram nec auderet punire vulgatam. Voluit eam, inquit, occultè dimittere, quia non solum eam punire noluit, sed nec prodere: Attendite sinceram justitiam: Non enim propterea parcere volebat, quod habere cupiebat: Atulti enim amore carnali adulteris uxoribus parcent, volentes eas & adulteras habere, ut eis per carnalem concupiscentiam perfruantur: Hic autem vir virtuosus habere eam non vult, ergo non carnaliter diligit. Et tamen non vult punire, ergo misericorditer parcat. Qualis hic justus est? nec tenet adulteram, nec propterea parcere videtur, quia libidinosè diligeret: & tamen nec punit, nec prodit: merito planè testis electus est virginittatis uxoris. Qui ergo humanà infirmitate turbabatur, divinà auctoritate firmatus est.*

Vis iterum videre quàm purus ille XXXVII. amor? quis vir castius dilexit uxorem quàm Joseph Mariae? an in eo, etiam cum tanta esset ansa, fuit zelotypia? Quae uxor virum amavit purius quam Maria suum Josephum? nonne illa cum ad vivendam carnis integritatem incitavit? an si Maria cum Angelo, licet sine corpore, purius conversata fuisset?
O o purius

purius convixisset? purius tractasset?
purius locuta fuisset quàm cum suo Josepho?

XXXVIII. Sed quid firmitus hoc amore? fuit ex fonte purissimo, Deo scilicet derivatus: fuit totus in spiritu: & ideo quod non habuerunt in carne, auctum eis fuit in spiritu: fuit ergo ut eximius & purissimus: ita & firmissimus: quis enim nescit vinculum spiritus esse longe fortius vinculo carnis? nonne scriptum est digito Dei; *Spiritus promptus est, caro autem infirma?*

XXXIX. Non parùm juvabit ad illustrandum & commendandum hunc D. Josephi & Deiparæ singularem amorem adducere exemplum, quod nisi auctor omnium exceptione major D. Gregorius Turonensis referret lib. de Gloria Confess. cap. 42. incredibile videretur, de duobus conjugibus, qui se etiam mortui in sepulchro invicem complexi sunt: defuncto quodam Hilario viro Senatorio, anno vertente obiit & uxor; quæ cum eodem tumulo quo ille utpote satis capaci conderetur, subito elevatâ vir dexterâ conjugis cervicem amplexus est, quod admirans populus, deposito secessit operculo, cognovitque quæ eis castitas? quis timor in Domino? quæ etiam inter ipsos dilectio fuisset in seculo qui se ita amplexi sunt in sepulchro.

XL. Huic subnecto & alterum non minori admiratione dignum par conjugum apud Arvernos ex eodem Diyo Gregorio Turonensi ibidem cap. 32. & Ferrando de reliquiis pag. 427. qui exemplo Mariæ & Josephi conjuncti conjugio, non coitu; non sunt ab alterutro in voluptate carnali polluti. Mortuâ uxore post multos annos castissimæ vitæ, & ille non multò post migravit à sæculo, sepultusque est in loco suo. Porro cum utriusque sepulchrum è diversis parietibus collocatum fuisset, & viri quidem ad meridiem, alterum autem ad Septentrionem: miraculi novitas, quæ eorum castitatem manifestaret, apparuit: nam mane factò, cum ad locum populi accederent, invenerunt sepulchra pariter, quæ inter se distare reliquerant; scilicet ut quos tenet socios Cælum, sepulchrorum hic corporum non separet monumentum. Hos usque hodie *Duos*

Amantes vocitare incolæ loci voluerunt, eosque summo venerantur honore, quid firmitus isto amore qui adhuc post fata durat?

An D. Josephus & Deipara minus dilexerunt se quam illi? dubitas? dubium deponere: nonne enim post mortem se invicem cõplectuntur? an eos ab invicem mors separavit? nequaquam: simul enim sunt in corpore & animâ in cœlo. Vide hujus asserti argumenta infra part. 2. Tract. 1. cap. 5. cui & hoc exemplum suffragatur cum sit divinum: nimirum gloriosi hi Principes terræ quomodo in vitâ suâ dilexerunt se, ita & post mortem non sunt ab invicem nec corpore nec animâ separati.

Tandem quoad effectus, quis in his iterum Divum antecessit Josephum? quis maritus plura fecit pro uxore, aut pertulit quàm ille? tacco labores pro eâ & ejus prole exanthlatos, silico ejus sudores, sollicitudines, peregrinationes, &c. Nonne ut sponsæ suæ inclinationibus se conformaret & aptaret; etiam in votum castitatis, seu continentiam, inter conjuges tamarudam, & eo usque inauditam consensit? qualis iste amor? nonne pro eâ vagus esse elegit, & peregrinus super terram, ne eam cum dedecore fulpare teneretur?

Mirantur multi nec immeritò amorem ejusdem rustici Neapolitani erga conjugem, de quo fusè P. Cordier libro cui titulus Gallicè, *La Famille Sainte*, part. 1. cap. 3. §. 1. ex Joviano Pontano lib. 3. de *obedienciâ*, cap. 4. quem eo libentiùs huc adduco, quo jucundius erit illud videre in personâ tam vili & abjectâ, à quâ nihil simile sperandum videbatur.

Itaque Barbariæ Piratæ excurrentes ad prædam, descenderunt in ejus Regionem, quando ipse in agro æstate metebat: Ut ibi calores solent esse tunc maximi, suæ conjugi fortè spicilegium agenti, fecerat facultatem umbram ut quæretet alicujus arboris vel sæpis è viciniâ, quâ inventâ, ibi stetit aliquamdiu mulier, sed malo suo; in manus namque Piratarum istorum incidit, qui eam triremibus impostam in captivitatem abduxerunt. Factò aliquo temporis intervallo, cum omnes circumquaque à facie Piratarum fugerent

fugerent, nec illam ad se reverti videret rusticus, coepit suspicari quod verum erat, eam ab illis captam & abduendam: hinc lachryari, flere, gemitibus ac suspiriis aërem implere, exclamare, ah conjux amantissima, deliciae meae, animula mea, ubi es modò? quomodò te amisi? ubi te inveniam? cumque se sine illa vivere non posse crederet, statuit tandem apud se, vel cum eâ captivus vivere, vel eam recuperare; & libertati asserere. Postquam ergo hinc inde de eâ inquirendo discurrens, minimèque reperisset, ad litus tandem perveniens vidit inde Triremes ad anchoram, nihilque cunctatus existimans illam certissimè ibi esse, mari se commisit, atque ad illas enavit, quas ubi attigit, causam quæ ipsum eò adduxerat aperit. Cui Barbari funem protendunt, ut per eum in navim conscendat. Hic ad gubernatoris pedes provolutus rusticus, Domine, inquit, vides ad pedes tuos omnium maritorum infaustissimum pro uxore suâ supplicandum. Expertus maris clementiam, quod ad te mihi aditum concessit, de tuâ desperare non possum. Nec tamè illius libertatem deosco nisi velis (non mihi suppetit unde illam redimere possim) sed tantùm ut cum illâ mihi vivere liceat sive liber sive captivus. A die quâ illam despondi, promisi eam me servaturum sicut me ipsum, nec unquam derelicturum, sed cum eâ seu mala seu bona patiturum: Sacramento teneor, vel igitur illam mihi redde, vel si magis placet, me cum illa constringe; mihi acceptius erit cum eâ pari, immò & mori, quam sine eâ vivere. His rustici verbis, melius dicam, hoc miro & stupendo amoris prodigio commorus gubernator, Respondet non ei esse liberum suam ei uxorem reddere; Tunitii Regem, cui militabat, audiendum: interim bono animo esse jubet, spondens se in ejus favorem Regi locuturum: Quo responso contentus rusticus, cui sufficiebat cum prædilectâ uxore posse vivere, Tunitium appellunt, exonerantur rates, prædaque educitur: dum ad captivos ventum, ecce meus rusticus cum uxore Regi præsentatur, hæc, ut mancipium; ille, ut captivus voluntarius: fa-

ctum ejus narratur, quod cum voluptate exceperit Rex barbarus, miratusque tantam in tam vili personâ virtutem quamvis ad mortem Christianos odio prosequeretur, eum uxoremque ejus in libertatem asseruit, oblato etiam illi ut eum apud se retineret in domo suâ, officio & stipendio non exiguo.

Quantus ille ignis, quam firmus LXV. iste amor, qui in istius pectore rustici arsit? qui omnia pericula maris, captivitatis incommoda nihili fecit, ne ab animæ dimidio suâ avelleretur: sed quis ille si cum amore Divi Josephi erga Beautissimam Virginem conjugem suam longè charissimam comparetur? iste enim Rusticus se quidem in captivitatem tradidit pro dilectâ sua uxore, sed in ipsâ captivitate suâ solatium & satisfactionem querebat, & inveniebat de illius præsentia, molestiâ captivitatis longè majorem: At D. Josephus dum Mariam suavissimam conjugem suam inventam gravidam occultè dimittere voluit, utique pro ejus intimâ dilectione (ne scilicet eam traducere deberet) exilio se condemnavit; (hoc enim sonant ista verba: *Voluit occultè dimittere eam,*) in eo longè adhuc majus supplicium & separatione ab eâ quæ in oculis ejus tam gratiosè lucebat, experturus. Iste omninò sperabat se obtenturum suam suæque uxoris libertatem; Josephus nihil nisi perpetuum exilium, separationem morte acerbiorē perpetuam; iste movebatur ab amore carnali; Josephus non nisi ex amore spirituali: quanta ergo inter utrumque differentia?

Sed quantum iste amor crevit? quantum auctus est utrimque in hæc occasione? ex parte Divi Josephi quidem, quando post talem anxietatem, cœlitus didicit suam uxorem esse Deo gravidam, & se per illam, patrem tantæ prolis omniumque mortalium foelicissimum? quo putas illam deinceps aspexit oculo? quo in honore, pretio, & amore habuit? qui ante pro eâ exulare paratus erat, an non post etiam mori paratus fuisset?

Ex parte etiam Sanctissimæ Virginis: nonne enim mulieres pudicæ sic honorem, sic æstimant pudorem, ut mallent potius quodvis subire vitæ discrimen quàm ejus vel minimum nævum XLVII. incurere?

incurrere? graviusque putent huius
dammum quam illius? quod cum sit at-
tende ergo quantum sanctissima Virgo
debuerit Divo Iosepho? quantum illi
se seferit obstrictam, dum prima in-
ter pudicas, verecundissima inter om-
nes verecundas, ei illud debuit quod
supra ipsam aestimabat vitam, scilicet
pudoris famam? quales ergo dilectio-
nis flammæ erga Sanctissimum ma-
ritum putamus in Virgine excitasse il-
lud, scilicet quod viderit se ab eo ita
dilectam, ut cum posset illam traduce-
re, idest propalare (quamvis nihil tim-
meret) non fecerit tamen, sed potius
elegerit exulare & vagus esse super ter-
ram cum tantâ molestiâ & amaritu-
dine?

LXVIII. *Quinque amoris amicitia (qui in
conjugibus summis esse debet ut dixi-
mus) enumerat effectus D. Thomas
secundâ secundâ quæst. 25. art. 7. in
corpore ex Aristotele 9. Ethic. cap. 4.
Unusquisque amicus, inquit, primo, qui-
dem vult suum amicum esse & vivere: Se-
cundo, vult ei bona. Tertio, operatur bona ad
ipsum: Quarto, convivunt ei delectabiliter:
Quinto, concordat cum ipso quasi cum eo-
dem delectatus & contristatus.* Ex his
quinque tres primos fuisse eminentis-
simè in D. Iosepho respectu suæ lectis-
sima conjugis carum est ex dictis. An
non enim illam voluit esse & vivere,
pro quâ ut ne propalaretur, & vel mi-
nimum periclitaretur, voluit ipse in
perpetuum exulare? an non ei bona
voluit, pro quâ adeo semper sollicitus
fuit? de cuius bonis & exaltatione
ut de suis semper gavisus est? an non
operatus est bona ad ipsam, pro
pro quâ de facto exulavit in Ægypto?
quam in exilium comitatus est? pro
quâ laboravit, sudavit, cuius virgini-
tatem, famam, &c. custodivit? In qui-
bus an putas Virginem passam se ab
amantissimo suo in amore superari?
quis unquam in hoc dubium consen-
tiet? Itaque de duobus ultimis effecti-
bus restat videndum.

XLIX. *Convivunt ex Divo Thomâ & Ari-
stotele amici, & maximè boni conju-
ges, delectabiliter: sed quis sic ut Ioseph
& Maria? hinc cum Beata Virgo in-
venta esset habens in utero antequam
convenissent, eaquæ idcirco ab eo my-*

sterii, quod in eâ Deus mirabiliter ope-
ratus fuerat minimè conscio, esset di-
mittenda, ne peccaret vel eam tradu-
ducendo, vel cum eâ manendo, quan-
ta utrimque poena? quanta molestia?
quantus dolor? adglutinatae erant per-
fectæ duæ istæ animæ: si ullæ unquam,
quàm ergo dura, quàm sensibilis futu-
rat erat Divo Iosepho ista separatio? &
quam illi triste de eâ cogitare! pro-
Deus immortalis, in quiebat, quomo-
do conversa est in luctum ci-hara mea?
quomodo subito evanuit omne gau-
dium meum? quomodo Sol meus
mihi obtenebratus est? ah me mise-
rum! quandoquidem ab illâ avellor
quæ tamen gratiosè lucebat in oculis
meis. Quid ergo oportet me Mariam
relinquere? me sponsam dimittere?
sponsam adeo amabilem & mihi cha-
ram? ô durum casum! ô eventum a-
cerbum! quod mihi vivendum & sine
illâ vivendum in quâ totum vitæ meæ
bonum. O munde sine requie! ô Ma-
ria! ô quàm angor, & ut maneam te-
cum, & ut te deseram! qui tuæ suavis-
simæ præsentia assuetus est quomodo
ille poterit tuum scribere repudium? ô
sponsa! ô dilecta mea! cujus hoc ag-
gredietur manus? saltem non erit mea,
non erit manus huius tui infelicissimi
sponsi, qui se semper tam beatum in
tuo reputabat convivio: nam etsi à te
recedo, te tamen diligo: ergo ut pere-
grinus abeo, ut vagus & confusus per
orbem oberabo! Malo enim meo
gustui detractum & voluptati, quam
aut Deum offendere, aut tuam re-
putationem lædere: hæc vel similia
D. Iosephus apud se. Si cum eâ non vi-
xisset delectabilissimè, an ex solâ sepa-
rationis cogitatione ita excruciatius
fuisset? & tantam passus fuisset suarum
cogitationum lanienam?

Quod si tunc cum eam simpliciter
ut uxorem suam respiciebat nec quid-
quam altius de eâ cogitabat, ita dele-
ctabiliter convivebat, quam putas de-
lectabiliter convixit, cum ab Angelo
divinitus confortatus didicisset illam ip-
sam suam uxorem in oculis suis tam
gratiosam, esse ipsissimam Summi Dei
Matrem & parentem?

Video aliquod huius rei indicium in
Evangeliis, in eo scilicet quod vix un-
quam

quam unus, quoad uterque vixit, sine altero deprehendatur: ita nimirum convictu mutuo delectabantur, ut nec vel tantillum ab invicem disjungi possent, aut alterutrius absentiam ferre: hinc simul in Montana Judææ ad salutationem Elizabeth ascendisse censent quàm plurimi Doctores & Interpretes, inter quos noster Sylveira in Evangelia: non enim videtur statim à contractis nuptiis eam tunc solam dimittere potuisse: Sed ut indubitata proferamus, cum omnes irent ut profiterentur singuli in Civitatem suam, ascenderunt uterque in Bethleem, quamvis ad id non tenerentur fœminæ: Hinc Pastores invenerunt Mariam & Joseph & infantem positum in præsepio: hinc postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, tulerunt uterque simul JESUM in Jerusalem, ut sisterent eum Domino: Hinc, ut perfecerunt omnia secundum legem, reversi sunt simul in Galilæam in Civitatem suam Nazareth: hinc, ibant uterque simul per singulos annos in Jerusalem in tolemini die Paschæ; & juxta plurimos Interpretes in omnibus anni festivitibus: hinc, simul pergunt in Ægyptum, ut puerum etipere de manu impii Herodis: hinc, simul ibi manserunt usque ad ejusdem Herodis obitum: hinc, eo mortuo, simul inde reversi in terram Israël: hinc, audito quod ibi Archelaus filius Herodis regnaret pro eo, simul secesserunt in partes Galilææ.

LII. Verbo uno ita sibi adherent ubique Joseph & Maria, ut vix de Joseph loquatur Scriptura, quin etiam loquatur de Mariâ, *Jacob autem genuit Joseph Virum Mariæ. Cum esset desponsata Mater IESU Maria Joseph, &c. Joseph autem vir ejus, &c. Joseph filii David nolit timere accipere Mariam, &c. erant Pater IESU & Mater mirantes super his, &c.* Et alia eodem modo frequentissimè: ita nimirum adglutinatus erat Divus Joseph, dilectæ sponsæ suæ, ut nec sine illâ esse, nec sine illâ queat nominari. Quoad quintum effectum amoris quod scilicet concordat cum amico quasi cum eodem delectatus & contristatus, argumentum est sequentis Sectionis.

SECTION III.

De eorum concordia, consensione & unanimitate.

LIII. **M**atrimonii felicitas, quæ inchoatur in Conjugum ad invicem similitudine & proportione, crescit quoque & augmentum capit ex mutuo & reciproco eorum amore, omnino absolvitur, perficitur, & consummatur in hæc eorum concordia, consensione, & unanimitate, secundum quam idem est utriusque Conjugis in omnibus sentire, idem quoque & velle.

LIV. De hæc concordia loquens ex æternæ sensu sapientiæ Syracides Ecclesiastic. cap. 25 vers. 1. & 2. *In tribus, inquit, placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.* Ubi nota illud *benè sibi consentientes*, per quod inquit noster Robertus Ivorius Anglus in suis Commentariis in hunc locum, indicat scriptura qualis sit illa Conjugum concordia quæ Deo probata est, nimirum concordia & consensio in bono: hoc enim vult illud, *sibi bene consentientes*, nam si vir vel uxor ad malum provocat, & hic vel illa consentiat, non sibi benè consentiunt: *Qui enim non odit patrem & matrem & uxorem*, inquit Christus Matth. cap. 10. utique in hoc casu, *non potest meus esse discipulus.*

LV. Licet potrò hoc ita esse indubitatum sit propter istius Scripturæ auctoritatem, & quia naturali lumine notum: amplius tamen manifestare voluit eadè Divina Sapientia, quando ipsa carnem assumptura humanam, non eam ex Virgine simpliciter sumere voluit, sed ex Virgine conjugatâ, & pacatissimè cum optimo sponso convivente: adeò verum est, & nullibi quantum hîc, quod ubi fuerint duo vel tres consentientes congregati in nomine Dei, ibi sit Deus in medio eorum Matth. c. 10. vers. 19. & 20.

LVI. Sed ut ex hoc manifestè constat castam Conjugum consensionem Deo summè placere; ita ex eodem eam quoque

quoque Deiparæ & Sanctissimi Joseph Conjugum incomparabilium consensionem summam fuisse manifestissimum est, utpote quæ Deo ita placuit, placereque tanto argumento demonstravit.

LVII. Quod ut amplius assequare, attende primo divinam istam prolem quæ ex eorum sacro prodiit Conjugio. Quis nescit in aliis conjugis prolem esse maximum & præcipuum conjugum nexum & unionem, in quâ sunt propriè duo in carne unâ, & in quam tendit eorum amor & conjunctio ut in finem, quem si non assequuntur vacillant semper & turbantur sæpè, tristes sunt ut plurimum & inquieti: sed quantumcumque ante prolem triste fuerit conjugium, si ex eâ proles prodit serenitatem advehit & gaudium, amorem firmat & pacem, deincepsque qui ante vix se poterant amare jucundè & pacificè convivunt. Sed quid hæc terrenæ proles ad illam divinam quæ Mariæ & Josepho obrigit, & obrigit tam divino modo? Præterquàm quod aliter hæc unanimitem istam causat in eorum conjugio, quàm illæ in aliis, nempe ut causa efficiens sine quâ nulla usquam pax aut concordia: Deus enim est qui inhabitare facit unius moris in domo. psal. 67. vers. 7. quantus ergo ille amor? quantus nexus? quanta unio? quanta concordia? quanta unanimitas?

LVIII. Attende secundò, pulchram horum trium, ex quibus tota coalescit matrimonii felicitas, similitudinis scilicet, amoris, & consensionis, commissuram: similitudo quippe ista, cum sit conformitas & similitudo inter conjuges secundum qualitates virtutes & habitus, uti diximus Sectione primâ, quid est nisi concordia, consensio, & unanimitas inchoata & in actu primo: quid verò hæc consensio secundum quam idem de facto sentiunt, & volunt conjuges, nisi ista conformitas, & similitudo perfectæ & in actu secundo? amor verò medius est inter istam similitudinem & inter consensionem, quia nec se amare possent si dissimiles essent, & si non se amarent, nec inter se concordiam & unanimitem habere, idemne sentire, & velle possent? Itaque amor nascitur ex similitudine, & ex eâ natus

efficit consensionem & unanimitem. Cum ergo tam justa sit & tam perfectæ inter hæc tria commissura; oportet etiam ut inter illa sit accurata proportio: quare quo major erit inter illos similitudo, & proportio, eò & illorum amor erit major, & quantus amor, tanta & concordia, consensio, & unanimitas. Ex quo infero: cum ex dictis in duabus præcedentibus sectionibus, fuerit summa inter Deiparam & D. Josephum similitudo, conformitas, & proportio; & inde summus eorum amor: consequenter fuit & inter eos summa concordia, consensio summa, summaque unanimitas.

Sed hanc veritatem tantâ ratione firmatam, ab effectibus iterum probemus ad conjugatorum instructionem. Hæc concordia quid est nisi ordo inter conjuges, secundum quem uxor & ratione & sponte viro tanquam capiti suo se submittit, & vicissim vir mulieri honorem deferret tanquam consorti, eique quantum potest cedit & complacere studet? *Pax domestica*, inquit Divus Augustinus in sententiis num. 163, est ordinata cohabitantium imperantii, obediendiq; concordia: imperant enim qui consulunt. sicut vir uxori, parentes filiis, Domini servis, obediunt autem quibus consulitur, sicut mulieres maritis, filii parentibus, servi dominis. Ad stipulantur D. Joannes Chrylostomus homil. 10. in epist. ad Coloss. Virorum, inquit, est diligere, obtemperare uxorum: si quisque quod se debet attulerit ac præstiterit & firma persistent omnia. vir si diligit uxorem quoque ex eo reddetur amica: uxor si subdita sit, reddetur ex eo vir mansuetus, & D. Ambrosius lib. 3. epist. 25. ad Eccles. Vercellens. sub finem: Mulier, inquit, viro deferat non serviat, regendam se præbeat non coerendam, indigna est conjugio quæ digna est jurgio: vir quoque uxorem tanquam gubernator dirigat, tanquam consortem vitæ honoret participet ut coheredi gratia.

At ubi hæc magis quàm inter D. Josephum & Deiparam? de hujus ad illud subjectione, vide à nobis dicenda cap. seq. sect. 2. à num. 14. usque ad 19. quoad D. Josephum verò habuit auctoritatem in Beatam Virginem ut ejus sponsus & maritus, eâ se sponte ac lubentissimè

bentissimè ei subiciente: sed quomodo eà usus est? attendant hoc benè mariti: putatisne ipsum ei unquam imperitasse? ipsum unquam ei duriusculè locutum? absit, qui tam mitis fuit & moderatus dum eam vidit imprægnatam, & nesciens esse de Deo, ut ne verbum aut nutum qui eam contristare posset prorulerit; quando eam Matrem Dei esse cognovit quomodo quæso illam suspexit? cum quantâ observantiâ, honore, & reverentiâ erga illam se gessit? Huius aliquale vestigium accipe ex ipso Evangelio: *JESU enim duodenni amisso coque post tres dies in tēplo & inter Doctores reperto. Virgo sola, utriusque tamen nomine ad eum locuta est dicens: Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes querebamus te.* Nihil ipse licet ipsius curæ commissus esset cœlitus, licet Pater esset & caput familiæ, licet pro eo alēdo laboraret & sudaret, sibi propterea arrogavit, sed per reverentiâ & summâ modestiam sponfæ suæ ut quæ eum de se genuerat, reliquit exultans ex modestiâ prorsus admirabili non sibi licere quod matri: sed vicissim Virgo ipso ex humilitate & deferentiâ tacente, filium interpellans, Josephum sibi anteponit dicens: *Ecce Pater tuus & ego dolentes querebamus te.* Hinc S. August. serm. 63. sapius cit. cap. 11. *Nec se marito in ordine nominis præferat, ut diceret ego & Pater tuus, sed Pater tuus & ego; non attendit utriusque sui dignitatem, sed attendit ordinem conjugalem.* O mirum humilitatis utriusque certamen! sic fortis impedit in fortem & ambo pariter ceciderunt, ubi ergo hæc, quid mirum si pax tanta, si tanta concordia, si tanta consensio?

LXI. Sed alia adhuc accipe huius consensio- nis ab effectibus argumenta: unde inter conjuges jurgia & discordiæ? nonne ex eo quod aliud vult uxor, aliud maritus? hinc illud Terentii in Eunuch.

Novi ingenium mulierum.

Nolunt ubi velis, ubi non velis cupiunt ultro.

Sed in his sacris conjugibus Mariâ & Josepho quam eorum sentire, & velle, cogitationes, studia, desideria, vota erant unita? licet unum fuisset cor am-

borum anima una, non potuissent esse magis: hinc simul mirabantur, simul dolebant, simul gaudebant. Erant Pater JESU & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo, Lucæ cap. 2. Etce admirationem communem & simultaneam. *Fili quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus & ego dolentes querebamus te.* Etce dolorem communem de amissione pueri, & communem sollicitudinem & diligentiam ad eum requirendum, desiderium commune ad eum recuperandum, consequenter & commune gaudium de ejus inventione. *Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemnium Paschæ, & iterum: Cum factus esset IESVS annorum duodecim ascendentibus illis Ierusalem secundum consuetudinem diei festi: ecce communem utriusque devotionem.*

Sed accipe majora: nonne D. Iosephus ut Virgini pudicissimæ se conformaret vovit castitatem? vel, etsi hoc nolles, servavit illam totis triginta annis quibus ei convixit? nonne ditissimam spiritus paupertatem cum eâ amplexatus est? quæ quam ardua sint, & tunc rara essent, nemo est qui non sciatis meritò proinde Abba Rupertus lib. de Glor. filii hominis. *O conjugium verum & sanctum: Conjugium cœleste non terrenum: quomodo enim vel in quo conjugati fuerunt? nimirum in eo quod unus spiritus, & una fides erant in eis, sola illis deservit corruptio carnis. Propterea verissime dixit Apostolus, quia primus homo de terrâ terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis: Non quod iste IESVS Christus, qui ex Mariâ natus est, de cœlo cum carne venerit: & per Mariam quasi per fistulam transierit, sicut quidam dixerunt hæretici sed quod conjugum vita sive conjunctio tota fuerit cœlestis, & Spiritus Sanctus amorum conjugalis amor in amobus præfidens.*

Quare liceat mihi his ea atterere quæ gravissimus Tertullianus lib. 2. ad uxorem in fine scribit in laudem martirionii Christianorum in eadem fide & religione concordantium, his verbis: *Vnde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renunciant, Pater rato habet? Quale jugum fidelium duorum unius specie, unius voti,*

voti, unius disciplina ejusdem servitutis? Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio, ubi caro una, unus & spiritus: simul orant, simul voluntantur, & simul jejunia transgunt, alterutro ducentes, alterutro hortantes, in Ecclesia Dei pariter, in connubio Dei pariter, in angustiis, in refrigeriis: neuter alterum calat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est, liberè ager visitatur, indigens sustentatur: Eleemosina sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento sonant inter duos psalmi & hymni, & mutuò provocant quis melius Deo suo canet. Talia Christianus videns & audiens gaudet, his pacem suam mittit, ubi duo, ibi ipse, ubi & ipse, ibi & malus non est: Paradisi terrestris instar est ejusmodi matrimonium, sed sine serpente. Societas est inter Prisca & Aquile, quam Apostolus, domesticam Ecclesiam, vocat ad Romanos cap. 16 v. 5. non celebratur in Canà idest zelo & emulatione, non in Galileà, id est volubilitate & mutabilitate: neque ubi vinum deficit, & amor arefcit: prægustus est æternarum nuptiarum, ad quas vocati sunt Christus, Mater, & discipuli, & discipulorum successores inebriati torrente voluptatis, dicentesque Christo servasti bonum vinum usque adhuc.

LXIV. Dives est hæc matrimonii concordis descriptio, sed quantacumque sit, levis est tantum expressio, & imperfecta adumbratio illius Divæ Deiparæ & Sancti Iosephi, de quo hic nobis sermo. Nam quanta putas fuit inter illos concordia? quanta consensio ubi omnis concupiscentiæ tomes religatus, omnes passionis, non solum moderatæ sed omninò extinctæ, ubi suavissimus omnium virtutum concentus, ubi denique Jesus æternus amor, amborum nexus, utriusque corda in seipso strictissimè unita inter se tenebat, fovebat, accendebat, perfundebat: ut proinde de illis justius dixerim quod de Theodohado Gothorum Rege & Amalescantha ejus conjuge Cassiodorus lib. 10. variat. *Inierunt sacra connubii fœdera, ut tanquam in duobus luminibus, unus esset aspectus, & concordem sensum nemo crederet segregatum: sic sunt etiam simul quos gratia conjungit, & parentela conciliat. Ardum sibi hoc forsitan æstimet*

impares mores; difficile est illos aliter vivere, qui sibi possunt bonarum cogitationum similitudine convenire.

SECTIO ULTIMA.

Quæ ratione fœlix erit & Christianorum matrimonium?

Fœlix erit si fuerit ad normam LXV matrimonii Divi Iosephi & Sanctæ Deiparentis: cum enim ex dictis illud inter omnia fuerit fœlicissimum, proculdubio fœlix erit & vestrum ô Christiani Conjuges! quantum tert præfens rerum status, si huic fuerit simile, tantoque fœlicius erit & melius quanto fuerit illi similis & conformis. Quare illud vobis, vos qui contrahere vultis, ob oculos proponite, in illud tanquam in omnium conjugiorum exemplar præstantissimum, & speculum perfectissimum animum intendite, ut ea quæ in illo observaveritis, vobis vestroque statui congruentia, fideliter omniq; studio exprimere, saltem adumbrare satagitis.

Erit verò vestrum ad illius normam, LXVI si quod illi, hoc vos quoque effeceritis: præcedant scilicet vestrum matrimonium nonnulla, comitentur alia, alia denique subsequantur: ut enim fœlix sit matrimonium, benèque eis qui illud suscipiunt succedat, illud præcedere debent intentio & consultatio: libertas & iudicium comitari: amor & patientia subsequi: quæ quia in matrimonio D. Iosephi & Deiparæ Virginis in summo gradu inventa sunt, ideò fuit in summo gradu fœlix.

Primò, intentio debet præcedere, LXVII quia ab eâ bonitas vel malitia cuiusque actus humani, ut docent Theologi in moralibus: Matrimonium ob duos præcipuè fines institutum. Primò, ab initio in officium naturæ, ut scilicet hæc viâ natura humana congruo modo conservaretur & propagaretur. Secundò, post lapsum etiam in remedium prurientis concupiscentiæ: cum enim homo per peccatum factus sit lubricus, & ad libidinem proclivis, vix sibi continere potest: & ideò Deus matrimonium remedium esse voluit tantum pruritus,

pruritus, ut sic extra occasionem peccati fieret. Ita omnes Theologi.

LXVIII Qui ergo alio fine, aliâ intentione quam istis contrahunt, vel contracto uruntur matrimonio, ut scilicet libidinem suam expleant, non homines sunt, sed equi & muli, & potestatem habet super illos dæmonium, inquit Angelus ad Tobiam Tobia cap. 6 Quia nimis mirum hi Deum à se & à mente suâ excludunt, in eo quod matrimonio cuius Deus Author Genes. cap. 2. v. 23. & 24. & Matthæi cap. 19. vers. 5. sceleratissime abutuntur, eju que sanctitatem & finem à Deo præstitum impie pervertunt.

LXIX. Sed aliquid amplius à conjugatis timoratis exigit propositum Divæ Deiparæ & Sancti Josephi exemplum: quid verò illud? quid scilicet cum ipsi contraxerint cum proposito nunquam utendi matrimonio, discant hinc Christiani conjuges, si ut illi continere non possunt, saltem sic matrimonio suo uti, ut in eo nec ipsum quarant concupiscentiæ remedium, nec consentiant in carnis voluptatem quamvis subintrat, sed tantum prolis intendant procreationem, ut si fieri posset quod, ut Maria & Joseph, haberent prolem sine matrimonii usu, per quem cadunt in libidinem, ab eo abstinere vellent.

LXX. *Iustitia utendi conjugii*, inquit D. Fulgentius Ruspensis Episcopus epist. 1. cap. 3. *hæc est ut non explenda libidinis, sed substituenda prolis obtentu sibi conjuges congruo tempore miscantur: sic ergo queri debet & nuptiis fructus, ut cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus.* Hinc D. Chryostomus homil. 21 in epist. ad Ephes. & homil. 5. in epist. ad Thessalonic. *Propter vitæ communionem, & liberos procreationem puella ad unctâ est viro, non turpitudinis risusq; gratia.* Et Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromat. *Matrimonium propter liberos non propter voluptatem esse debet.* De quâ materiâ disputans D. Augustinus in Enchiridio cap. 78 ita pronuntiat: *Putari posset non esse peccatum misceri coniugi non filiorum procreandorum causâ, quod est bonum nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis: ut fornicationis sive adulteriâ, sive cuiusquam alterius immunditiæ mortifera*

rum malum, quod turpe est etiam dicere, quod potest tentante satanâ libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo ut dixi hoc putari non esse peccatum nisi addidisset Apostolus. 1. Cor. cap. 7. hoc autem dico secundum veniam non secundum imperium: *Quis autem iam esse peccatum neget cum daret veniam facientibus Apostolica autoritas fateatur?* O si hoc modo essent moderata Christianorum conjugia, quàm essent sancta? quàm boni ex talibus matrimonii filii procreari? at quia è contra evenit, ideò tot confusiones inter conjuges, & filii tam pravi.

Audite conjuges ad rem Imperfectum nostrum in Matth. cap. 1. ad illa verba: *Booz autem genuit Obed ex Ruth, mirè philosophantem.* Booz inquit, *senior constitutus, non sibi uxorem accipit, sed Deo, non propter passionem corporis sui, sed propter iustitiam legis, ut suscitet semen proximo suo non magis amore prolis quam Religione fervens.* De Ruth verò paulo intra sic. *Si communicationem viri desiderasset quasi puella lasciva, aliquem irvenem potius appetivisset: Quoniam autem non lascivia sue, sed Religiois fatiis facere cupiens fuit familiam potius sanctam elegit, quam juvenem atatem.* Tum deinde post pauca sic infert ex hi. *Talis ergo Booz ex tali coniuge Ruth qualem filium genuit: Obed, qui interpretatur subditus: nunc autem qui divitias eligunt & non mores, pulchritudinem & non fidem, & quod in meretricibus solet queri, hoc in coniugiis optant, propterea non generant filios subditos sibi, vel Deo, sed contumaces contra se, & contra Deum, ut filii eorum non sint fructus iustæ coniunctionis eorum, sed pœna condigna irreligiositatis ipsorum.* Quàm eleganter! quàm verè!

Debet etiam præcedere consultatio, LXXII. primò, apud ipsos contrahentes, non enim in tanti negotio momenti sine magnâ deliberatione & maturo examine procedendum: Deinde cum aliis qui bene consulere possunt, maximè verò cum Parentibus tum ob reverentiam illis à prolibus debitam, tum ob amorem eorum & benevolentiam iunctam cum maiori prudentiâ, & experientiâ ejusdem iugi quod suscepturi sunt: Ante omnes tamen Deus consulendus,

P P

lendus,

fulendus, tūm quia primus & præcipuus Pater, tūm quia ab ipso pendent omnia, adde in particulari quod ex Scripturâ Proverb. cap. 19. vers. 14. *Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem proprie uxor prudens.* Non quod domus & divitiæ non sint etiam donum Dei, sed quia illa à parentibus hæreditate filiis relinqui possunt, uxor verò prudens, licet sollicitè, adhibito etiam aliorum prudentium amicorum consilio, ab eis quærat, attamen à Deo maximè procuratur, & ab eo precibus, elemosinis, jejuniis, aliisque bonis operibus petenda & promerenda: Et si enim Deus cuncta disponat, suâq; providentiâ etiam minima attingat, magis tamen majora & magis necessaria vel oportiora, qualis est homini uxor prudens, moribus & viri ingenio congruens, quia nimirum ab eo pendet & hæc prudentia, & sine illo haberi non potest.

LXXIII Hoc planè modo Diva Deipara & Divus Josephus contraxerunt, de quibus licet incertum sit an eorum tunc parentes in vivis essent, illud tamen ex dictis certum, non nisi de consilio Sacerdotum & Dei, quem sibi bonis operibus demeruerant nutu & voluntate, etiam per oraculum & miraculum patefactâ de matrimonio ineundo cogitasse.

LXXIV Secundò, libertas debet comitari matrimonium: cum enim unio viri ad uxorem, & uxoris ad virum, sit usque ad mortem, & adeò stricta, tantisque incommodis obnoxia, nulli debet nisi volenti tantum jugum imponi: Quo circa ut ratio parentum à liberis dum hæc de re deliberatur audienda, ita vicissim & à parentibus horum libertati multum concedendum, quia eorum res agitur. Et quidem cum de ipso statu eligendo deliberandum, an scilicet nupturi sint, an non, ita hæc optio illis relinquatur, ut vix quidquam in eo sibi parentes præterdere debeant: cuius tamen contrarium, quam multi parentes præstant cum magno animæ suæ & liberorum suorum periculo, qui hos deputant claustris, istos avocant & illigant nuptiis. Si verò de personâ tantum deliberatur id est cui nubendum, parentum simul rationi & libe-

rorum inclinationi ac libertati dandus locus, ut nec illorum consilium ab his contemnatur, nec horum libertas ab his cogatur; sed quantum fieri poterit inter se concilientur. Si enim totum hic liberorum inclinationi concedatur, cum illa ut plurimum cæca sit, quam absurdos liberi committent errores, plus enim sæpè juvenulo placebit scenica mulier, quam modesta: similiter si parentum authoritati totum, & libertati nihil concesseris, illi sæpè plus conditionem, genus & divitias attendunt, quam mores & ingenium: quomodo ergo unanimes illi erunt, quorum mores adeò diversi? quomodo ibi pax; ubi nullus amor?

Dices Maria & Josephus nihil minus cogitabant quam nuptias, imò ab illis toti alieni erant: Maria quidem, nam cum post exactos in templo annos consecutos, sacerdotes curarent vitam pulcherrimam ulmo alligari, quod non deceret tantâ pulchritudine præditam puellam diutius apud templum commorari, recusat illa egressum, affirmans se teneri ex virginitatis libamine. Joseph verò, cum enim Pontifice auctore res tam nova cœlesti commissa fuisset oraculo, responso inde accepto viros solutos ex Davidis familiâ die Enceniorum solemniter congregatos in Jerusalem, monendos esset gestantes ad altare virgas, ille ascenderet in Mariæ Conjugem cujus florens virga descendenti è Templi vertice columbæ nidulum efferreret. Joseph solus, quem tenebat, propositum caluitatis, fugit ad latebras, qui tamen ad illius castissimæ Virginis Connubium electus erat. qui tandem sacerdotali præcepto evocatus, profert virgam, quæ mox in conspectu germinans, columbæ è culmine delaptam excipit, per quod signum apparuit evidenter quod esset cœlitus designatus Mariæ Sponsus.

Sed etsi nuptias ita averfarentur, ubi tamen hoc miraculo uterque didicit voluntatem Dei ô quam libenter illam amplexati sunt! istâ enim Dei voluntate magis volebant illi quæcumque volebant, quam quæ suâ propriâ; cum in illis non propria sed iola Dei voluntas regnaret: & hoc ipsum quod hæc tenus nuptias noluerant, ideo noluerant, sent,

sens, quod Deus nolle voluisset.

LXXVII Judicium quoque matrimonium comitari debet, quia plurimum illorum interest qui contrahunt ut bene animadvertant quid faciunt: quantum durat contractus: quid ex illo sequi possit: & quid in plerisque frequentius sequatur: ponderare an matrimonium sit melius quam non ipsum: an non in comparte sit aliquid cum proprio ingenio, moribus, & indole incompatible: ne si forte ex defectu advertentia aqua igni jungatur, bellum ex contrariis illorum qualitatibus sequatur non desitutum, nisi per unius vel alterius partis interitum & destructionem.

LXXVIII Maximè non est nubendum cum aliquâ passione, quæ rationem præoccupet: v. c. propter amorem divitiarum & pecuniæ, libidinis, ob tantillam perituram pulchritudinem, &c. Cum enim passio sit violenta, nullum autem violentum sit durabile, periculum est ne ejusmodi amor tandem in odium deflectat acerbum.

LXXIX Quoad hanc partem cum inter Divam Deiparam & Sanctum Josephum tanta esset similitudo & proportio morum, tanta affectuum sympathia quid illis fuit cunctandum ut uterque hanc partem amplecteretur? Deinde quæ passio potuit in hoc matrimonio partium turbare judicium, ubi non nisi ex Dei nutu & voluntate processum?

LXXX Tandem amor debet subsequi & patientia: Amor quidem: quantumvis enim intentio & consultatio præcessissent, libertas & judicium comitaretur, si ex his amor non sequatur, quid illa proderunt ad matrimonii felicitatem? è contra verò, ut illa defuissent, si amor adsit, ut potest, quamvis ratio & difficillimè, hic solus omnia præstare poterit, conjugibusque avitam pacem dare in qua felicitatis matrimonii summa. Plura de Divi Josephi & Deiparæ amore mutuo vide hoc cap. sect. 2.

LXXXI Patientia verò, tum quia si fortè ea quæ supra, vel illorum aliqua abfuerint, maximè verò amor, patientia erit ultimum remedium, & secunda post naufragium tabula: tum quia fieri nequit, ut homo & mulier ita perfectè per-

omnia quadrent, quin aliquâ ex parte aliquando claudicent: nullus est qui non habeat suum defectum: si vis ergo portari, porta: ita Apostolus *alter alterius onera portate*: tum denique quia potest quoque contingere, ut etiam sine alterutrius culpâ aliqua contingant, quæ inter se ferre debeant: exempli causa: pro ut Divo contigit Josepho & Deiparenti in ipso limine sui matrimonii: Cum enim ille vidisset gravidam Mariam, quam sciebat se non cognovisse, & nesciret mysterium: hinc cœpit alter ex altero torqueri, sic ut sibi invicem remedium afferre nequirent. Afflictabatur Joseph videns uxorem suam non ex factu suo gravidam, & quod propterea necessum erat eam deferere quam oculitus amabat. Afflictabatur & Maria videns conjugis sui longè dilectissimi inconstitudinem, & quod illi enudare secretum nec posset, nec tunc quidquam profuisset. Quod si hoc matrimonium tam sanctum tantis fuit amaritudinibus respersum, quid mirum si alia suis etiam aliquando divexentur.

Legimus apud Ezechielem cap. 1. de LXXXII
Animalibus quorum unum habebat faciem hominis, secundum Leonis, Tertium Bovis, Quartum denique Aquilæ: cum eadem animalia idem Propheta cap. 10 rursus enumerat bovi Cherub subrogat. Quid mysterii hic? quomodo qui paulò ante vultum præferrebat bovis, postea faciem Cherub induit? Res est, inquit, noster Avendano serm. de Sancto Josepho §. 6. ad finem, Quod Bos cum Leone commune jugum ducebat, quorum animalium sunt admodum contrariæ qualitates. Leo namque est rapidus, iracundus, incitatus, sævus: Bos verò tardus & mansuetus. Quis hæc tam diveria indole conjugavit animalia? Deus. Bos autem Leonem conjugem tam imparem patienter tulit, quam obrem ex bove in Cherub transformatus est. Apologus est accipe mysterium.

Multoties uni jugo adstringuntur LXXXIII
vir ingenii Leonini, & mulier mitis indolis, quæ bovis instar domus jugum & omne illius onus portat, & prudenter omnia facit, fertque omnia æquanimitè.

nimiter. At quo prämio putas? Cüm ex hac vitâ demigrat Cherubini merito ornata; Cherubini prämio cumulatur. Ferant ergo patienter uxores quæcumque jugum duxerunt cum viris asperis & austeris, dives enim eas manet remuneratio: hoc autem crebro secum recogitent: cum in matrimonio Mariæ & Joseph fuerint etiam suæ spinæ & ærumnæ, suum absque iis ulquequaq; esse non posse, Deumque velle ut per Crucem quisque prædestinatorum ut Crucis filius tendat in cælum, & perveniat ad coronam.

nonnulla quæ hic titulus supponit, seu quæ hunc sponsi titulum præcedunt; alia quæ illum comitantur: alia denique quæ illum consequuntur. Quæ hunc titulum præcedunt; illa sunt quæ ei à Deo collata sunt ut ad hanc dignitatem dignè & ut par erat præpararetur: Quæ comitantur, illa sunt quæ ipsa dignitas per se confert & secum advehit: quæ consequuntur, sunt illa quæ ei propter istam dignitatem ad ornamentum adjecta sunt: quæ toridem Sectionibus, eodemque ordine prosequemur.

CAPUT VIGESIMUM ET ULTIMUM.

Quæ bona Divo Josepho ex eo quod Virginis fuerit Sponsus provenerint?

I.

MAGNA sunt omninò quæ hujus singularis intuitu dignitatis Divo Josepho sunt à Deo collata dona cœlestia, & quisea vel mente assequi, vel dictione complecti sufficiat? impar est omnis eloquentiæ vis explicandæ gloriæ tantæ. Hinc noster D. Damascenus Grat. de Nativ. Beat. Virg. *Dignitas hæc, inquit, fuit concessa Divo Josepho singulari Dei dono, & per dispensationem omni sermone præstantiorem.* Similiter alii Patres & Doctores loquuntur. Sed si ita est, quid ergo hæc aggredimur? quid nitimur? imò ex hoc magis audendum, quandoquidem materia ipsa, ex hoc quod est ineffabilis, fandi tribuat copiam, nec possit deficere quod dicatur, ubi nunquam poterit esse fatis omne quod de eâ dicitur: Quare ex hoc ipso supra omnia hæctenus eâ de re dicta, vel deinceps, seu à nobis, seu à quocumque dicenda, mente consurgamus, agnoscamusque illa quantacumque sint, & nobis videantur, minora tamen esse meritis ejus & dignitate: quibus prælusus ad rem veniamus.

I I.

Distinguo itaque dona quæ Divus Josephus sub hoc titulo Sponsi accepit & illa in tres Classes divido: sunt enim

SECTIO PRIMA.

Dona Divo Josepho collata ut dignus fieret esse Sponsus Beatissima Virginis.

Pulchram noster Sylveira tomo 5. in Evang. lib. 8. cap. 18. quæst. 9. movet difficultatem, per quam nobis ad præsentem, quam versamus materiam, facimus aditum. Quærit ille cur Christus Dominus cum matrem suam Sponso orbatam, moxque filio orbendam, esset Joanni Virgini commendaturus, non illud fecerit in coenaculo, sed distulerit usque dum esset in Cruce?

Nec valet si dicas id contigisse quod Beata Virgo non esset prærens in coenaculo, unde nec de illa fieri ullam apud Evangelistas mentionem. Ubi agunt de ultimâ cœnâ, quod tamen non videbatur reticendum si adfuisset. Contrarium enim vel ex eo redditur indubitabile quod Exodi cap. 12. n. 2. ubi de manducatione Agni Paschalis, & institutione cœnæ legalis, lex sic præcipiebat: *Tollat unusquisque agnum per familias & domos suas: sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad vescendum Agnum, assumet vicinum suum qui junctus est Domui suæ, &c.* Atqui si Apostoli adfuerunt cœnæ legali quam fecit Christus, cui immediate successit cœna Sacramentalis (quod hic censerentur esse de familiâ & domo Christi) quantò magis ergo Mater ejus? & certè cum quo Beata Virgo fecisset, juxta hanc legem, cœnam istam

istam Agni, si non fecisset cum filio suo: quod si huic interfuit, cur subsequente mox Cœnâ Sacramentali à mensâ surrexisset & inde discessisset? Huic nostræ Sententiæ in hac responsione adstipulantur D. Hieronymus epist. 150. quæ est ad Hedibiam quæst. 2. Divus Chrysostomus homil. 83. in Matth. Euthymius & Theophylactus in Matth. Titus Bostrensis in cap. 12. Lucæ, Archiepisc. Paleot. lib. de Pass. chorda 7 cap. 11. noster Sylveira tom. 5. in Evang. lib. 7. cap. 7. quæst. 26. Cajetanus, Suarez, Valquez, Cabrera, Lorca, noster Corneio, Cardinalis Lugo, & alii in 3. part. D. Thomæ quæst. 81. Imò Christum, Sacram Eucharistiam inter omnes primò Matri suæ porrexissè docent inter alios Christophorus à Castro, Barradius, Paulus Scherlogus apud eundem Sylveiram tom. 3. in Evangel. cap. 35. quæst. 19. ubi etiam aliter & probat principaliter propter B. Virginem Eucharistiam institutam fuisse, & magis pro illa, quàm pro omnibus aliis simul collectivè.

V. Quod verò Sacri Evangelistæ loquentes de hujus Sanctissimi Sacramenti institutione, solùm mentionem faciant de Apollolis: præterquam quod argumentum est ab autoritate negativa, ut aiunt, exindè provenit, quod illi cum hujus Sacramenti institutione conjugant Sacerdotum ordinationem per quos hoc Sacramentum est conficiendum, quod cum non competat Beatæ Virgini ratione sexus sui, idè solùm mentio facta est Apostolorum,

VI. Respondet igitur ad propositam Quæstionem noster Sylveira citatus, non fuisse committendam Virginem discipulo nisi ob merita: probata autem sunt illius merita, non in Cœnaculo, sed apud Crucem: ibi enim eluxit ejus fidelitas, amor, fortitudo, & constantia: cum solus ex Apostolis eum non deseruerit, sed ad Crucem utique comitatus sit. Ad hujus Responsionis confirmationem expendenda verba Christi, dum ei Matrem suam commendavit. *Cum vidisset ergo IESVS, inquit Evangelista, Matrem & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri*

sua, Mulier ecce filius tuus, deinde dicit discipulo, ecce Mater tua. Ubi nota particulam illam ergo illativam, per quam manifestè innuitur idè Joanni hunc delatum honorem & dictum *Ecce Mater tua* quod cum vidisset Jesus sibi in Cruce adstantem. Vides ergo Joanni non fuisse traditam Virginem in Matrem adoptivam ob quæcumque ejus merita, sed requisita fuisse prius grandia valdè, illa scilicet quæ jam jam tetigimus: quanto majora ergo debuerunt esse in Divo Josepho, cui longè sublimiori & excellentiori modo tradi debebat, nempe ut sponsa, idèst Conjug, & ut esset unus cum illà: Scriptum quippe est, *Dimittet homo Patrem & Matrem suam, etiam naturalem, & adhaerebit uxori suæ.*

Sed quænam illa D. Josephi merita? VII. 1. Regum cap. 13 ait Scriptura. *Quasi vit Dominus virum secundum cor suum, quem Regno Israel præficeret.* Quæ verba D. Chrysostomus homil. de David & Goliath ponderans ait. *Quærendo indicari Deum primò singulos homines ac universos atrigisse, examinasse cunctos, pluri-mosq. prævidisse ex quorum numero eligeret Regem: invenit tandem David, cuius meritum transire non potuit.* Atqui ex D. Bernardo homil. 2. super Misus est. *Divum Josephum tanquam alterum David Dominus invenit.* Prævidit ergo Deus cunctos homines, perpendit singulos, ut videret quem regno suo, quem familiæ sanctæ, quæ regnum Dei in terrâ constituebat, præficeret, unius Divi Josephi meritum invenit, quod transire non potuit. *Inventus est,* inquit Metaphrastes orat. de educat. Mariæ, & ortu Christi, *Joseph qualem quærebat ratio.* Quid est qualem quærebat ratio, nisi talem ut esset similis Mariæ? omnia ergo quæ in Mariâ summa & ineffabilia sunt reperta gratiæ dona, in Josepho quoque, si non in æquali, quod non velim dicere, in suppari tamen gradu, excelluerunt.

Cum Sacrum Evangelium de Divo VIII. Josepho sermonem instituit, mox ut eum virum Mariæ pronunciat, Patrem quoque Christi indicat in eo quod asserit de eâ Christum natum Matth. cap. 1. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ de qua natus est IESVS.* Et infra ibidem.

*Cum esset desponsata Mater IESU Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto Et Luc. c. p. 2. Ascendit Ioseph à Galilæa in Bethleem, cum Mariâ desponsata sibi uxore pregnante. Quid hoc est? nimirum in Divo Iosepho esse Virginis Sponsum & Patrem Christi sunt ita inter se conjuncta, ut vix unum tangi possit, quin alterum retonet: Ratio est quia etsi fuerit electus Divus Iosephus ut esset Virginis sponsus, non tamen propter hoc ultimatè & præcisè, sed ut per hoc fieret Christi Pater eo modo quo Tractatu sequenti cap. 10. eoque nomine Christum ut Pater filium per omnia sollicitè curaret: Cùm ergo illæ duæ qualitates ita sint inter se connexæ, consequenter & dona; ut proindè vix possit quidquam de istis donis dici quæ sub unicâ istarum duarum qualitatum accepit, quin simul etiam alia subintelligantur. Ergò cùm Divus Iosephus ab æterno electus fuerit ut esset Virginis Sponsus, & per hoc Christi Pater verissimè; certum est quod ex vi hujus electionis eas omnes gratias acceperit, quas dignum fuit illum habere qui ad talia munia electus erat. Cogita jam apud te qualia sint ista munia? Cogita quid sit esse Virginis Sponsus? quid Christi Patrem? & unum æquè verè ac alterum, ut infra ostensuri sumus? Ah Deus immortalis! quem tanta Virgo merebatur Sponsus? quem Patrem tantus filius? *Inventus est Ioseph qualem querebat ratio.* Primariæ sunt mundi dignitates istæ, omniumque quas cognoscimus potiores, primas ergò & supremas gratias accepit: & porro ita est. Gratiæ enim aliæ sunt infusæ, aliæ acquisitæ: quoad infusas habuit omninò primas. Gratiam enim sanctificationis in utero accepit, eamque adeò uberem ut in eo carnis extinxerit fomitem, tantamque ei tribuit firmitatem in bono, ut ne venialiter quidem unquam peccasse censeatur, vide à nobis dicta Parte 1. Tractatu 3. Quoad acquisitas verò ita cum istâ infusâ dietim crevit in sanctitate & virtutibus, ut per illas talem Sponsam à Deo meruerit. Hinc ubi nostra vulgata legit: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph. Maria ex Sy-**

riaco apud nostrum Sylveiram tomor. in Ev. ngel. lib. 1. cap. 5. ut diximus adhuc supra, veritè. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem venditam viro cui nomen erat Ioseph:* quo significatur ipsum illam meruisse, sive pro eâ habendâ pretium dedisse quod merebatur: Castitatem attulisse qualem merebatur castitas ejus; humilitatem, qualem merebatur humilitas ejus; mansuetudinem, fidem, qualem merebatur mansuetudo, fides ejus, & ita de reliquis.

Fuerunt qui dixerunt D. Iosephum IX idcò fuisse valdè senem antequam duceret Virginem, ut removerent à Beatâ Deiparante omnem suspicionem corruptelæ in ipsius cum illo connubio, sed nimis puerilis est hæc ratio, non enim anni faciunt castum, sed Dei gratia, ut patet in senibus illis apud Danielem, qui voluerunt opprimere castam Sulannam, & in Ioseph Pro-Rege Ægypti valdè juvene qui è contra Heram ipsum ad luxuriam vehementissimè allicientem delusit è manibus illius elapsus. Quare alii dixerunt per hoc Authores voluisse Divum Iosephum multis annis opus habuisse, ut merita congrua comparare posset, quibus dignus redderetur tali conjugio: quemadmodum Jacob quatuordecim annis servire debuit ut pulchram Rachel obtinere posset. Dico ego non longè ab his postremis recedens, Iosephum statim à conceptione suâ fuisse in utero sanctificatum, & utu rationis ibi donatum, quo ex tunc posset mereri. & incessanter in gratiâ procedere, sicque ut fieret aptus ad desponsationem tantæ Virginis.

SECTIO II.

Dona quæ hunc titulum Sponsi comitantur.

Titulus Sponsi duo complectitur, X
titulus est autoritatis, & titulus amoris. Quoad primum, quod sit titulus autoritas patet ex Apostolo ad ad Ephes. cap. 5. v. 23. & ad Coloss. cap. 3. vers. 18. Ubi quasi definitivè pronunciat: *Vir est, caput mulieris,* & idcò

ideò ibidem mulieres exhortatur ut *subdita sint viris, sicut Domino*. Hinc etiam sacra Genes. c. 18. v. 12. vocat maritum suum Abraham Dominum suum. *Postquam consensui, inquit, & Dominus meus vetulus est voluptati operam dabo?*

XI. Quare Aristoteles licet Gentilis lib. 3. Oeconom. cap. 1. & 2. etiam Gentilibus suis præscribit: *Exitmare debet mulier bene composita, mores viri esse legem vite sue, impositam sibi à Deo per conjunctionem matrimonii. Quæ hæc ergo negligit, Deos ipsos videtur negligere, quibus presentibus sacra fecit, & matrimonium inuit*. Et Cato apud Livium lib. 34. *Majores nostri nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt, sed in manu esse virorum*. Et ideò idem Cato apud eundem Livium Decade 4. lib. 4. accusans arrogantiam & supercilium mulierum Romanarum hoc quasi monstrum proponit. *Omnes, inquit, homines uxoribus dominantur nos omnibus hominibus: nobis autem uxores*

XII. Hæc porro autoritas viri in mulierem & subjectio mulieris ad virum, est ordinis naturalis, & fuisse etiam in statu innocentia, cum hæc tamen differentiâ, quod nunc mulier est subdita viro etiam invita, & nolens, in statu verò innocentia lubens, & ex ordine rationis.

XIII. Nec contra hoc facit quod Genes. cap. 3. vers. 16. dicitur Evæ post lapsum & in pœnam peccati sui. *Sub viri potestate eris*, non enim non ideò ante sub viro, sed non eodem modo: quia nimirum non lubens, volens, & ex ordine rationis, ut tunc, sed etiam invita & nolens, ut signifi- ant verba immediate sequentia, *& ipse dominabitur tui*. Quod mariti Dominum, & mulieris coactam ac duram subjectionem, meruit mulieris non natura sed culpa, *Quod tamen nisi servetur, depravabitur amplius natura & augetur culpa* inquit D. August. lib. 11. de Genes. ad litt. c. 37.

XIV. Quare cum Divus Josephus fuerit verus Mariæ Spontus seu maritus & hæc vera ejus uxor: esto in eâ nulla unquam fuerit culpa neque originalis neque actualis, fuit tamen illa verè ei subdita, sed sicut in statu innocentia Eva ex ordine rationis, non sicut ho-

diernæ mulieres, invita.

Hanc etiam Divi Josephi in Beatam Virginem autoritatem & Virginis ad Divum Josephum subjectionem clarè indicat Evangelium. Hinc prius de ipso loquitur quam de Virgine Matthæi cap. 1. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ: hic per ipsum non per Mariam deducit Christi genealogiam* Matthæi cap. 1. & Lucæ cap. 3. hinc cum de sacris his cõjugibus loquitur, præponit Josephum Mariæ Luc. c. 2. *Erant Pater IESU & Mater mirantes saper his quæ dicebantur de illo*. Hinc demique et tanquam capiti subiant revelationes, & intimabantur mandata divina circa curam pueri, non verò Matri, ne inquit D. Chrysostomus homil. 8. in Matthæum si Virgo revelaret Divo Josepho, videretur in illam habuisse autoritatem, eique quasi legem dare, cum proprium sit mulieris, ut subdita sit viro. Virgini datum fuit ut esset Mater Christi: Josepho ut esset vir ejus & caput familia: Noluit Deus illius juri præjudicatum.

Et ita se porro erga illum gessit humillima Virgo: in subiectione enim ad D. Josephum verè virum suum quæ est ex ordine naturali, non obstantibus prerogativis suis, modestè se ex ordine rationis continuit, directionem & regimen subit, & licet conscia quod divinam in utero suo prolem gessaret, tamè non fastidivit maritum: quidquid verò uxor obsequentissima præstare potest conjugi hoc illa multò cumulatius præstitit Josepho: Cum illo proficiscitur ad censum quem Cæsar, indixerat: cum illo peragit omnem Purificationis & Præsentationis Ritus: cum illo diebus solemnibus anni ascendit ad templum: hunc sequitur in Ægyptum: huic adhæret in Ægypto: cum eo revertitur in terram Iudæi, cum eo secessit in partes Galilææ & venit Nazareth, nec dedignatur dici uxor Fabri, nec molestè ferri filium suum reputari & appellari filium Fabri, quem & ipsa appellabat Patrem ejus. Nulla unquam fuit uxor quæ reverentius obedierit suo marito. Quidni cum oculis suis ipsa cerneret filium suum omnium Dominum illi & sibi per omnia subditum? Lucæ cap. 2. versu 51.

Quid

XV.

XIX.

XVI.

XIX.

XX.

XVII. Quid dicent hic illæ mulieres quæ propter formam feroculæ aspernantur sponfos? Quid illæ quæ dotem subinde maritis exprobrant? Quid illæ quæ illis arroganter insultant perinde quasi Domina virorum, non uxores & subditæ Domini & Apostoli autoritate? Quid illæ quæ totam domum rixis replent, iurgiis subvertunt? Maria religiosissimè morem gerit, & observat suum Iosephum: nec unquam respondat aut præit marito, & vos pudet obsecundare viris vestris, sine quibus steriles essetis & inhonoræ?

XVIII. Hujus etiam in Virgine subjectionis ad virum argumentum validissimum est quod illa de se & de hoc loquens ad filium, Iosephum sibi præponit dicens: *Fili quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus & ego dolentes querebamus te.* Lucæ c. 2. v. 48 in quem locum ita D. Augustinus tom. 10. serm. 63. de diversis cap. 11. *Non est præmittenda Fratres maximè propter disciplinam faminarum sororum nostrarum tam sancta modestia Virginis Maræ Christum pepererat, Angelus ad eam venerat & dixerat ei.* Ecce concipies in utero & paries filium & vocabis nomen eius JESUM: hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur. *Meruerat parere filium Altissimi, & erat humilissima: nec se marito, nec in ordine nominis præferbat, ut dixeret ego & Pater tuus. Sed Pater tuus, inquit, & ego, Non attendit uteri sui dignitatem sed attendit ordinem conjugalem. Non enim humilis Christus Matrem suam superbire docuisset. Pater tuus & ego dolentes querebamus te. Pater tuus inquit & ego, quia caput mulieris est vir quanto minus debent superbire cæteræ sceminae?*

XIX. Ex hoc autem manifestè colligitur maxima Divi Iosephi gratia: sicut enim Mariæ Sanctissimæ summam fuisse gratiã, concludimus ex hoc quod ut Mater Christi erat Christo quadantenus superior, propterea enim inter illam & Christum maxima debuit esse similitudo, licet major gratia in Christo: sic summa debuit esse in Divo Iosepho gratia ut caput esse posset Mariæ, quia inter eos ut sic debuit esse similitudo & relatio proportionis, licet major gratia in Mariã.

XX. Dices si Mariæ caput fuit Divus Jo-

sephus, ergò hic excellior illã: falsum consequens, ergò & istud antecedens undè sequitur. Respondeo fuit excellior Divus Iosephus secundùm quid, concedo, absolutè nego. Nam celsitudo Divo Iosepho data est propter Mariam & Christum: Atqui Propter quod unumquodque tale; & illud magis, ergo &c. Sicut enim Maria est Mater Christi, & in quantum Mater est quadantenus illius superior, non tamen illo excellior, quia Mariæ data est celsitudo propter Christum: Sic cum Divo Iosepho data sit Sanctitas propter Mariam & Christum, licet hujus & illius respectu, officio sit caput, in gratiã tamen est inferior, & in illã Maria quodammodò caput Divi Iosephi, quia in gratiã est supra illum.

XXI. Secundò hic titulus Sponsi est titulus amoris: Et cum ex amore se invicem sibi tradant Conjuges (non enim ullã vi, metu, aut coactione fit hæc traditio, sed voluntate, sed amore:) ut hujus sacri foederis principium est amor, ita & cibus ac nutrimentum: nec enim convivent Conjuges sine amore. Quare licet vir in uxorem habeat auctoritatem ut caput, sicut mox dicebamus, non eam tamen regere debet ut Dominus mancipium terrore, sed ut sociam & amicam amore. vel ut animam carnem suam, cui intimè unita est, & ita conglutinata, ut cum eã unum faciat: quã etiam comparatione utitur Apostolus ad Ephesios cap. 5. vers. 28. & 29. *Viri debent diligere uxores suas sicut corpora sua, qui suam uxorem diligit, seipsum diligit, nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam.* Et ex hoc iterùm amore Divi Iosephi qualitas & eximia decora metienda.

XXII. Neque seipsos tantùm tradunt sibi invicem Conjuges, sed etiam omnia sua. Necposito matrimonii glutine duo reputandi sunt vir & uxor, sed unum: *Erunt duo in carne unã.* Hinc si vir Rex sit, uxor verò de infimis puella, quia tamen Regi nupsit, Regni consors facta, Regina est & dicitur: ita Esther nupta Assuero, Regni Assuerici Domina effecta est. Esther. cap. 2. Ita Athenais filia cujuidam Philosophi sed tenuis, ducto Imperatore, Eudoxia dicta

dicta; Orientis & Occidentis Imperii solium conscendit. Et è contra, si uxor est Regina dum se viro in conjugem tradit, tradit & Regnum & Regem efficit: Hoc modo Sancta Pulcheria Imperatoris Theodosii senioris filia castissima, & Theodosii junioris etiam Imperatoris soror, ac deinde hæres, titulo Conjugii ex Senatus-Consulto Martianum virum ætate maturum, consilio gravem, continentiam probatum, atque militari virtute spectabilem, ducens, evexit in imperium, ita ex Cedreno Cardinalis Baronius tomo 6. Annal. ad annum Christi 450. numer. 17. Hoc etiam modo Agilulphus, qui in Baptismo Paulus nominatus est, Theodolindam ductam, quæ erat Longobardorum Regina, Rex Longobardiarum habitus est: ita Paulus Diaconus lib. 3. cap. ultimo. Hoc modo Philippus I. Austriacus beneficio suæ uxoris Joannæ in apicem Regni Hispanici evehctus est: cum enim legitimo matrimonio juncti essent, cessit fatis Isabella Hispaniarum Regina Mater Joannæ, quare deficiente prole mascula ad Joannam filiam devolutum est Regnum Hispanicum jure hæreditario, & jus ejus agnoscentibus Regni Ordinibus ab iis Regina proclamata est, ac proinde illius Sponsus qui fuit Philippus I. eodem Regno, Regioque titulo sublimatus. Eodem modo Maria Hungariæ Regina, Sigismundum Caroli IV. Imperatoris filium dum in matrimonium ducit, Regni Hungarici Regem efficit. Eodem modo multæ aliæ Principes Fœminæ Viros suos extulerunt. Si felices hi per uxores, quia per illas facti Reges, quanto felicitior Divus Josephus per Mariam, per quam, ut illa Regina, sic ipse sub Christo Rex & Supremus totius mundi effectus est.

XXIII. Dices, si Maria Regnum terrenum possideret manifestum est Divum Josephum Sponsum ejus Regem futurum, quoniam omnia uxoris bona viri efficiuntur bona per matrimonium: sed cum Regnum Mariæ non sit de hoc mundo, sed in Cælo, non sit temporale, sed spirituale & æternum, illud Regnum non videtur in ejus Sponsum transferibile: cum enim matri-

monium sit tantum vinculum humanum, ea solum facit communia inter virum & uxorem quæ sunt humana, non verò ea quæ sunt merè spiritua- lia. Respondeo, licet matrimonium Divi Josephi & Deiparæ esset humanum, id est inter homines, illud tamen à Deo fuisse specialissimè ordinatum, & ad finem specialissimum, & idè ab illis contractum non in carne sed in spiritu: non enim idè Deus voluit illos nubere, aut ipsi nupserant, ut eorum corpora commiscerentur, cum virgines semper extiterint, sed ut spiritus invicem copularentur in Deo, ut inquam, Joseph esset Mariæ adiutorium simile sibi, seu secundum ipsam, ad peragenda secum omnia ordinis Divini circa Verbum Incarnatum. Et idè inter illos omnia omnino fuere communia, non quæ humana dumtaxat, sed etiam quæ divina. Ex quo amplius collige quanta felicitas obrigerit Divo Josepho per Mariam, per quam etiam Pater factus est non Regis cujusdam terreni & perituri, sed ipsius Dei Incarnati.

Vide ergò quàm verum sit quod in XXIV. initio hujus Capituli dixit noster Sanctus Joannes Damascenus. *Hanc dignitatem Sponsi Virginis fuisse concessam Divo Josepho singulari Dei dono, & per dispensationem omni sermone præstantiorem.* Et quis eam pollet eloquentia ut dicere possit quantà exinde dona cœlestia in eum defluxerint? Paucis tamen ut possum indigeto. Certè quemadmodum Imperatrix vel Regina dum Sponsum in Regem vel Imperatorem, ei nubendo, evehct, non solum & nudum titulum ei confert, sed etiam cum illo omnia Regni jura, omnes Regni opes, plenasque ejus gazas: Ita similiter dum Beata Virgo Divum Josephum in Sponsum accepit, non solum Regni illius, cujus illa Regina, titulum ei attulit, sed & simul contradidit ejusdem Regni divitias, maximè cum ei datum esset desuper de illis plenè disponere, quodque ille ad istam Sponsi dignitatem, non ullâ hominum dispositione, sed solâ Dei electione & procurratione evehctus sit, ut à nobis antebatatum est.

Q9

Quare

XXV. Quare etsi ante desponationem non fuisset in illis ita dives, ex hoc tamen omnem gratiæ plenitudinem tantæ dignitati commensuratum accepisset: Deus enim ad sua munia vel vocat idoneos, vel idoneos reddit: ita in hâc ipsâ materiâ argumentatur Divus Bernardinus Senensis Tom. 3. de Sancto Josepho. *Quando Divina Providentia, inquit, aliquem ad singularem gratiam seu aliquem sublimem statum eligit, omnia charismata donat, quæ illi personæ sic electæ & ejus officio necessaria sunt: atque illum copiosè decorat, ut patet in Moyse, Ioseph, Abraham, Isaac, & Jacob, David, & sic de aliis Prophetis. Patet etiam in novo Testamento in Virgine benedictâ, in Apostolis, Evangelistis, Doctoribus, Religionum Institutibus: Quod maxime verificatum est in Sancto Josepho qui ab æterno Patre electus est, &c.* Ita Divus Bernardinus Senensis citatus.

XXVI. Idipsum clarissimè mihi videtur innuere Matthæus cap. 1. in his verbis: *Ioseph autem vir ejus cum esset justus, &c.* In quibus verbis observandum quod ubi Evangelista pronuntiavit virum Mariæ, dum etiam justum dicit justitiâ scilicet universaliter sumptâ. Sed quomodo? non utique asserendo, sed supponendo tanquam rem incontestabilem, quæ nulla indiget probatione, quippe ita per se claram & notam, ut de eâ nemo ambigere possit? unde autem ita indubitata, nisi quia virum Mariæ prius pronuntiavit? ut porro hoc ita indubitatum quod justus ex eo quod vir Mariæ, ita eadem ratione eâ justitiâ justus, quæ decebat virum Mariæ, quæ decebat virum, qui cum uxore tam sublimi, erat spiritus unus, cor unum, anima una.

SECTIO III.

Dona quæ ei adjecta sunt ad ornamentum.

XXVII. **H**ujus generis ornamenta ei etiam concessa, & à Deo immediatè, & mediante Virgine Sponsâ suâ lectissimâ, idque sacri hujus contemplatione conjugii, mihi certissimum est, à Deo immediatè, probatur ex loco Divi

Bernardini Senensis jam num. 25. allato, ubi evidenter Sanctus ille Patet distinguit inter gratias quas recipiunt illi; qui ad communem sanctitatem electi sunt, & illi qui ad singularem, statumque aliquem sublimem: videturque innuere, quod primi illam tantum recipiant gratiam, quæ sanctitati illi; ad quam electi sunt, commensuratur: alii verò, non eam tantum quæ sublimi suo statui correspondet, sed aliquid amplius, quo copiosè decorantur, quæ doctrina verissima est, & vel inde mihi multum placet, quod cum hi ultimi à Deo singularissimè diligantur, ideo in illos se quodammodo effudit.

Atqui certum est statum sponsi Virginis Matris Dei esse sublimissimum, non ergo illa solum dona recepit ejus contemplatione, quibus ad tam sublimem dignitatem dignè compararetur, neque illa solum quæ tali qualitati & dignitati congrua sunt & conjuncta, sed & alia quam plurima, quæ Deus, qui dives est in misericordiâ adjecit ut copiosè decoraretur.

Mediante verò Virgine quæ etiam receperit? quantum ex ejus conversatione, convictu, & exemplis profecerit? quanta ejus meritis & precibus obtinuerit, quis edicere sufficiat?

Primò, quantum ex ejus conversatione profecerit, collige ex illo D. Petri Apostoli Epist. 1. Canon. c. 3. vers. 1. & 2. *Mulieres subdita sint viris suis, ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram,* & ex illo Pauli Apostoli 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.* Inter peccata nullum durius infidelitate aut hæresi! inter homines, sexus masculinus firmior, & inflexibilior: sanctificare, opus omnium difficillimum: & hoc tamen totum potest mulier licet infirma & imbecillis. Cum enim sit gratiosa, & ametur à viro, eique jugiter adsit, in ejus animam se sicut aquam in spongiam sensim insinuat, illumque occupat, & occupatum tandem quocumque vult inflectit.

Hoc modo lucrifactus est Sifinius Deo

Deo per uxorem suam Theodoram : Flavius Clemens per sanctam Domitilam : Sanctus Valerianus per Sanctam Ceciliam : S. Adrianus Martyr per Sanctam Nataliam : Patricius pater Sancti Augustini per Sanctam Monicam : & infiniti alii. Eodem modo etiam Reges quàm plurimi, quos inter Clodoveus Rex Francorum adhuc Gentilis per Sanctam Clotildem, apud D. Gregorium Turonens. lib. 2. de Gestis Francorum cap. 30. Hermenegildus Rex Gothorum postea Martyr per Indegundem, apud Baronium tom. 7. ad ann. Christi 383. Agilulphus Hæreticus Arrianus Rex Longobardorum per Theodolindam Bavaricæ domus decus & ornamentum apud Paulum Diaconum lib. 4. cap. 2. Arnulphus Rex Persarum per Cæsaream tempore Mauriti Imperatoris apud Baron. ad annum Christi 593, ex Paulo Diacono & Gregorio Turonensi.

XXXII. Quod si hæc possunt scemina, & potuere jam nominata, quid ergo non potuit, quid non effecit Beatissima Virgo verbis & exemplis in Sponsum suum D. Josephum, sibi cœlitus datum, non infidelem, non ferum, sed mitem, mansuetum, tractabilem, Sanctum? *Si nos miseri*, inquit Divus Bernardinus Senensis loco citato, *ex cohabitatione Virorum Sanctorum qui respectu hujus Virginis nihil sunt sepe tamen & multum proficimus, quantum existimabimus Divum Josephum cum sacrâ Virgine profecisse?*

XXXIII. Secundò, nec minus suis precibus profuit Beatissima Virgo Divo Josepho Sponso suo. Si enim illa in re temporalis vino scilicet quod deficiebat in nuptiis Canæ Galilææ, tantum potuit ut in gratiam sponso Christi Dominus primum signorum suorum ediderit aquam convertendo in vinum, cum tamen, ut ipse testatur, necdum venisset hora sua pro istius modi signis, ne quid matri intempestivum licet, aliquando recusasse videretur. Quid illa non potuit in spiritualibus pro proprio Spôso tam impensè dilecto, & dilectionem bene merito? an ab illâ quæ temporalia petens, exaudita est tamen pro reverentiâ suâ, Christus avertit faciem suam, quando pro sponso suo sanctissi-

mo, etiam de se bene merito, spiritualia postulavit?

Memorable est valde quod scribunt XXXIV. Joannes Curopalata & Gennadius Constantinopolitanus Patriarcha in expositione Cœcili Florentini tess. 5. de Theophylo, Imperatore Balbi Michaëlis filio sceleratissimo, precibus Theodoræ Augustæ & piæ uxoris suæ ab æternâ damnatione evidentissimè liberato. Hic cum in hæresim eorum prolapsus esset, qui sacras imagines oppugnabant, vulgò Iconoclastarum, in alia quoque scelera pronus statim proruit: Nam in Catholicos ab exordio ad finem Imperii sui ditis modis lævire non desistit, ut non in eos iratum, sed furiosum dixisset. Atque ut uno verbo ejus nequitiam complectar, & palam faciam sævitiam Heroïanæ similem, quam expirans exercuit, paucis excipe ex Joanne Curopalata.

Hic perditissimus Imperator ut sibi XXXV. vitæ finem adesse sensit, in obscurissimum carcerem Theophobum conjici imperat ad Bucoleonem, hoc solo nomine reum, quod de affectato Imperio haberet suspectum, voluisset secum totum Imperium perire ne haberet successorem: hic non fuit ejus barbaries, sed appropinquante fine eum educi jubet, educto caput amputari, caput amputatum sibi affecti: allatum manibus per capillos apprehendit, quod rabie contpiciens, in hanc supremam vocem erupit. *Neque post hæc ero Theophylus, neque tu Theophobus* Ita miser hæc novissimâ in virum innocentissimum exatiatus crudelitate, ad vitæ finem appropinquavit, in quo constitutus iusto Dei judicio os ejus toties blasphemum ita diductum est, ut per illud ejus viscera conspici possent. Raptus interim ad tribunal, sed ò rem mirabilem supra modum, cum preces pro eo à Viris Sanctis & piâ Imperatrice assidue effunderentur, ei venia data est: Theophylum quippe Imperatrix conspexit in somnis vincum, tractumque ab innumerabili præcedentium & subsequenrium multitudine: ante illum ferebantur diversa instrumentorum genera ad torquendum accommodata, ipsaque videbantur eos sequi, qui ad supplicium adducebant,

Q 9 2

quò

quo usque ad conspectum terribilis Iudicis pervenerunt, Theophylumque ante ipsum statuerunt: Provoluta igitur ad Iudicis illius tremendi pedes Augusta profusis lacrymis Iudicem pro Viro suo deprecabatur, ad quam dixit, Mulier magna est fides tua, propter te, Sacerdotumque tuorum preces Conjugi tuo do veniam: Tuncque ministris suis dixit: Solvite eum uxoriq[ue] ejus reddite. Vide Cardinalem Baronium tomo 3. Annal. ad annum Christi 842.

XXXVI. Si ergo potuit Theodora viro suo tam scelesto, capiti celo adeo exoso gratiam, veniam, & salutem, cujus adeo indignus erat, suis precibus & lacrymis impetrare, quid non potuit Maria, cui Deus nil potest negare, pro Viro suo Divo Iosepho, inde ab utero tam sancto, & de Deo tam bene merito?

XXXVII. Verum enimvero cum Maria Deipara esset super omnes Caeli gazas, ejusque amor quo dilectissimum Sponsum medullitus prosequabatur, non esset in carne, sed in spiritu, immo quod in carne non habuit, in spiritu duplicatum habuerit, quos quae effectus spirituales produxit tam intensus, tam incensus amor? Quis dubitet illam eum fecisse, participem omnium, quibus ipsa affuebat, & ille capax fuit Divinorum Charismatum? idque jam non ex hoc quod utriusque bona conjuges fiant per conjugium communia: sed vel ex eo solum quod Maria omni cordis affectu eum uti omnium hominum amabilissimum prosequeretur, & ob arctissimam animorum unionem, ob perfectissimam morum conformitatem.

XXXVIII. Hinc Divus Bernardinus Senensis loco citato. *Quia, inquit, noverat Virgo quanta erat unitas matrimonialis in spirituali amore, & sciebat Iosephum sibi a Spiritu sancto datum in Sponsum, & suae Virginitatis custodem, & ad participandum secum in charitatis amore & obsequiosa sollicitudine divinissimam Prolem Dei, ideo credo quod totius ex cordis affectu eum sincerissime diligebat: Amplius, cum omnia quae sunt uxoris sint viri, credo quod Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere*

re poterat, ei liberalissime exhibebat.

Pulchre noster Christophorus Avenano sermone de Sancto Iosepho §. 4. Habuit, inquit, duos Beatissima Virgo Sponso sui amantissimos, Spiritum Sanctum scilicet & Divum Iosephum: & hoc ei evenit quod Domicellae, seu Amasiae, quae duos habens Amatores, ab utroque certatim colitur & amatur: Diligebat Mariam Spiritus Sanctus, diligebat & Ioseph, & uterque illam velut ex contentione honorabat. Sed cum Spiritus Sanctus eam diligeret amore infinito, Ioseph autem tantum non posset, in hoc seipsum consolabatur, quod posset amore laborioso & operoso, quod vicissim non poterat Spiritus Sanctus. Hinc Abbas Rupertus in Matthaeum. *Ad omnes calamitates & arumnas, quas ipse Spiritus Sanctus ferre non poterat, pignora vit Sanctissimum Iosephum.*

Spiritus Sanctus ergo ex amore illo infinito quo Mariam diligebat, in eam immensa congescit gratiarum dona, ut non sibi solum plena, sed etiam aliis super-plena fieret, illarum utique Thesauraria & Dispensatrix ab eo constituta: Ioseph vero cum hoc non posset, pro ea sollicitus erat, pro ea vigilabat, pro ea laborabat, pro ea aestuabat, pro ea sudabat, pro ea advena & peregrinus erat, animo ingenti, quod Spiritus sanctus minime poterat.

Quare Beatissima Virgo cum duos illos haberet sui amantissimos Sponso, Spiritum Sanctum & Divum Iosephum, quidquid illi a Spiritu Sancto veniebat, ejus Divum Iosephum participem faciebat: maxime cum optime convenirent isti duo Amasii, in idque lubentissime consentiret Spiritus Sanctus, ex quo illum ad omnes labores, calamitates, & arumnas, quas pro ea & Christo ipsemet ferre non poterat, Iosephum pignora verat.

SECTIO IV.

*Ultima Laus Divi Josephi ex
hac conjunctione quod ea
quoque profuerit ipsi Divae
Virgini.*

XLII. Licet primo aspectu hæc propositio insolens videri possit, quod scilicet Beata Virgini profuerit ipsius cum Divo Josepho conjunctio, antiqua tamen est veritas, pro qua audiendus primò Divus Augustinus tom. 10. in Appendice sermonum de diversis serm. 25. circa finem vel quisquis est Author illius ubi hæc habet verba: *Habe Josephum cum Maria conjuge tuâ virginitatem membrorum, quia de virginis membris virtus nascitur Angelorum: sit Maria Sponsa Christi virginitate servata. Sis autem & tu Pater Christi curâ castitatis, & honorificentia virginitatis, ut de virginis membris genitricis, sæculis Christianis nulla sit zelotypia: quem locum accommodans Divo Josepho ex Patribus nostris Discalceatis Pater Elias à Sanctâ Theresiâ Opere in duo volumina distincto, cui titulus Legatio in Epist. nuncupat. ad Divum Josephum; observat acutè in eo esse manifestum in his verbis: *Sit Maria Sponsa Christi virginitate servata: cum enim immediate post convertens se ad D. Josephum subdat. Sis autem & tu Pater Christi curâ castitatis & honorificentia virginitatis, &c.* manifestè patet in prioribus verbis loco istorum verborum, *Sit Maria Sponsa Christi*, debere esse, *Sit Maria Mater Christi virginitate servata*, ut sit sequela in eo quod subditur, *Sis autem & tu Pater Christi curâ castitatis, &c.* loco igitur hoc ita restituito, accipe illius genuinum sensum & interpretationem ex præcitato Patre nostro Eliâ à Sanctâ Theresiâ.*

XLIII. Alloquitur Sanctus Augustinus, vel alius si alius est istius sermonis Author, loco isto Divum Josephum occultè dimittere volentem Mariam conjugem suam, atque dicit ei. *Habe, idest, cole cum Mariâ conjuge tuâ virginitatem membrorum.* Neque hoc à te infructuo-

sè aut inutiliter faciendum existimes, quia de virginis membris virtus nascitur Angelorum: hoc est qui virginitatem, quæ in membris carnis est, colunt virtute ac meritis sunt pares Angelis: quod autem subdit juxta præcedentem correctionem. *Sit Maria Mater Christi virginitate servata*, intellige, inquit noster Elias à Sanctâ Theresiâ, virginitatem non ut ab ipsâ servatam sed ut à Divo Josepho, qui Mariani pudoris custos & servator à Deo electus est & exiit. Et sensus est: *Sit Maria Mater Christi virginitate ejus servata per te ò Joseph! quem semper alloquitur per apostrophem, & quod Maria sit Mater Christi, ex hoc ipso tibi teneatur, nam ideò facta est Mater Christi, quia tu virginitatem illius, in quam ex lege matrimonii jus habebas, conservasti.*

Ex quo pondera Divi Josephi dignitatem ac immensum ipsius de Beatissimâ Virgine meritum: Quod enim hæc Dei Mater sit, hoc ipsa post Deum debet Divo Josepho nam virginitas illi, ut diximus, maternitatem istam attulit, virginitatem autem illius, Divi Josephi temperantia servavit. Ex quo facile quilibet eliciet quantis pia illa ac gratissima conjux, & erga omnes etiam immeritos adeò misericors & munifica, argumentis gratiam hæc rependerit.

Subditur deinde loco præcitato. *Sis & tu Pater Christi curâ castitatis, & honorificentia virginitatis: quasi diceret, dum sponsæ tuæ castitatem curasti, ejusque virginitatem honorando, eam ut optimus custos tuâ servas atque defendis temperantiâ, non solum id efficiis quod illa sit Mater Dei, sed etiam id tu obrines quod fias ejusdem Dei Pater: sicut enim alii mariti ductis uxoribus, filiorum quos illæ pariunt patres efficiuntur, illarum virginitate corruptâ, sic tu è contra, sponsæ tuæ Mariæ Virginitate servatâ, Christi filii ejus Pater efficiaris: Nam quemadmodum aliis filiis nascendi causa est usus conjugii, ita è contra Christum concipiendi & gignendi causa fuit abstinentia ab hoc usu: Salvatore enim aliter nasci decebat quam ceteros homines, nec aliter nasci quam ex muliere incorruptâ.*

XLVI. Unde etiam fiet, inquit idem locus ex Augustino qui supra, *ut de virginis membris Dei genitricis, seculis Christianis nulla sit zelotypia*, id est te ô Ioseph! virginici pudoris custode ac servatore castissimo futurus est, ut deinceps nullis sæculis unquam Christianos ulla tangat aut irrat temeratae virginitatis Mariæ suspicio, sed certissime omnes credituri sint, illam licet parientem, Virginem tamen illibatam permanisse: unde consequenter Divo Iosepho rota debet Ecclesia quod ei omnem abstulerit de virginici partus puritate ambiguitatem.

XLVII. Idcoque cum Ioseph antiquus Ægypti Prorex fuerit, ut toties repetimus figura huius castissimi Virginis Sponsi, merito in eo impletum & expressum dico quod de illo dicit Scriptura sacra Genes. 49. v. 25. *Omnipotens benedice tibi benedictionibus Cæli desuper, benedictionibus abyssi jacens deorsum*: per istam abyssum intelligendo vel Mariam vel uterum ejus, & per benedictionem Cæli desuper operationem Spiritus sancti ex qua conceptus est in illâ Christus: cum enim ut illud profundissimum mysterium per Spiritum sanctum in utero Virginis perficeretur, ita Divus contribuerit Iosephus, quis negare poterit ipsum in eisdem abyssi super benedictæ benedictionum participationem ubi erimam venire debuisse?

XLVIII. Audiendum secundò, pro hac nostrâ Thesi quid ipsa Beata Virgo de se ipsâ ex mente Sanctorum Patrum & Ecclesiæ loquens dicat Ecclesiastici cap. 24. Ibi sic illa inter alia vers. 18. *Quasi palma exaltata sum in Cades*, ubi alia versio pro *exaltata sum* habet *maritata sum*: adeò ut juxta hoc in Beatâ Virgine idem sit esse maritatam, & esse exaltatam: sed hoc quâ ratione?

XLIX. Primò, quia Divus Iosephus cui maritata fuit, ita sanctus extitit, talibus gratiæ ornamentis instructus, tot & tantis Cæli divitiis cumulatus, ut Virginis gloriæ non parvâ cedat, quod virum tam sanctum, tam perfectum, adeò in omni virtute consummatum habuerit, debueritque habere.

L. Memoriae proditur quod quondam nobiles matronæ Athenienses ex condito instituerunt circumlucum sive Con-

ventum magnificentum, ad solemnem opum suarum, margaritarum, unio-nium, gemmarum, adamantum, coeterique mundi muliebris vanam ostentationem. Die igitur statuto conveni-runt omnes fulgentes in localibus, au-ro, & gemmis ut cælum in stellis: sola inter illas uxor Phocionis ibi com-paruit in habitu modesto, sed honesto, quam propterea aliæ comptulæ, quæ se ornaverant ut ad scenam, vel ad trium- phum, riserunt tanquam innocentem & simplicem: verum illa quæ pluris faciebat, vitam suam sapientibus viri sui effatis, quàm fatuis mundanarum deliriis aptare, ex inde ne vel minimum commota, sed mentem stabili, sic illas sapienter & modestè affata est: non sine consilio ô Domine meæ! hinc ego inter vos adsum in vulgari meo habi-tu: poteram ut & vos divitias meas, quæ non defunt ostentare, sed volui vobis ostendere, me unicum id æstimare, & magis facere, quod sum uxor Phocio-nis. Si hæc illa de suo Phocione, quid Beata Virgo de suo Iosepho?

Secundò exaltata Maria quia mari-tata, quia ut Divus Iosephus in Mariam coniciens oculos, ejus puritatem, modestiam, humilitatem, charitatem, &c. intuens mirabatur, & ad easdem vir-tutes imitandas animabatur: ita quo-que Maria ex Divi Iosephi maximis virtutibus suo modo profecit. Intuens enim Sponsum suum tam sanctum, tam humilem, tam modestum, &c. cor ejus coelesti perfunde-batur suavitate, atque in Dei tantarum virtutû Authoris lau-dem & amorem magis inflammabatur. Hinc bene D. Hieronym. de nominibus Hæbraicis observat quod *Cades* inter-pretatur Sanctitas, ut intelligamus in hæc nostrarum cõjunctione palmarum, (*Quasi palma exaltata sum in Cades*) nihil non redolere sanctitatem: Erant ergò illi duo Sacri Conjuges, quasi duo car-bones accensi qui ex approximatione se invicem inflammant: erant quasi duo uniones orientales, qui juxta se positi pellucidiores apparent & ele-gantiores; erant sicut duo illi Seraphi-ni apud Isaiam Prophetam qui alarum collisione reciproca se mutuo ad Dei laudes canendas provocabant.

Tertiò, ut intelligas quomodo ex-
altata

altata Maria ex hoc quod maritata: nota quod in humanis conjugiiis Pater tenetur uxori suæ de suâ Paternitate, & Mater Marito de suâ Maternitate: non quod uxor Paternitatem, maritus Maternitatem producat ex toto, vel ex parte: stat enim utraque ex utriusque propriâ causalitate, sed quia cum sint tantum causæ partiales unius & ejusdem Proles nisi unirentur in agendo nunquam poneretur proles, ad cuius tantum positionem exurgit relatio Paternitatis in viro, Maternitatis in uxore.

LIII. Simili ferè modo tenetur Beata Virgo Divo Josepho Sponsò suo de suâ Maternitate: Licet enim hîc non concurrerit enim ipsâ Virgine ad productionem Christi, concurrat tamen nomine ipsius Spiritus Sanctus, qui in hâc productione ipsius vices ex infinitâ dignatione supplere dignatus est: quod autem quis per alium facit hoc modo, idest supplendo vices, & ex intentione supplendi, per se ipsum facere censetur: Hinc optimè dicitur *Palma maritata Maria*. Quemadmodum enim in naturalibus palma tœmina ut fructum suum ferat, necessariò maritati debet & conjugii palmæ mari, non aliter illum productura: ita quoque Beatissima Virgo Deipara secundum præsentem Decretorum Divinorum statum Divo debuit Josepho conjugii, ut Christum Dominum ex se proferret. Atqui ex hoc quod illa Christum protulit benedictum fructum ventris sui, tota ejus magnitudo & exaltatio ut constat, ergo & hæc quoque conjunctio Virgini profuit, ut & Divo Josepho, qui per illam pariter Christi Pater effectus est: Quid ergò Sanctissima Virgo illi cui hoc debuit non rependit quæ tantum potuit.

LIV. Hanc quoque rationem ex Augustissimo haurio Augustino tomo 7. lib. 1. de Nuptiis & Concupisc. cap. 11. ubi postquam statuit verum inter Mariam & Joseph Conjugium, esto inter illos non fuerit nec debuerit esse concubitus carnalis: elevans conceptus suos, addit: *Propter quod fidele Conjugium Patentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solum illa Mater, verum etiam ille Pa-*

ter ejus, sicut Conjux Matris ejus, utrumque tamen mente non carne. Ubi vides Divum Augustinum velle non tantum Divum Josephum, sed etiam Mariam per hoc fidele Conjugium meruisse ut vocarentur parentes Christi. Ambo, inquit, meruerunt; quomodo verò ambo? Maria ut Joseph? nisi modo jam explicato, cum mutuâ ad invicem post Deum obligatione, Josephi ad Virginem pro suâ Paternitate, & Virginis ad Josephum pro suâ Maternitate.

Et quia ex dictorum paroemia id geminatis non cadit error: Confirmatur iterum ex eodem Divo Augustino sibi in hac doctrina constante ibidem paulò infra in his verbis. *Sed cum illo (idest Josepho,) non seminante illa peperisset, profecto nec ipsius forma servi parentes ambo essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione conjuges essent.* Ubi duo dicit Augustinus: primum, quod ambo sint parentes formæ servi in Christo, esto Divus Josephus non seminaverit: secundum, quod illius formæ servi parentes ambo, idest non solum Joseph, sed etiam Maria non fuissent nisi fuissent inter se conjuges sine commixtione carnis: Ex quibus patet quod in argumento hujus Sectionis proposuimus, scilicet quod hæc Conjunctio seu Matrimonium ipsi quoque Divæ Virgini profuerit.

Finio hunc Tractatum per Verba Divi Gregorii Nazianzeni orat. 11. de funere Gorgoniæ Sororis suæ. Hic Magnus Antistes ex singulari Divinarum Litterarum scientiâ cognomento Theologus, post elatam usque in Cœlum Gorgoniam præfatam, digrediens ad laudes Ursalii ejus mariti, eas sic compendio absolvit. *Vultis uno verbo Virum describam? Vir erat illius Gorgonia, nec enim scio quid amplius dicere necesse sit. Vir erat illius cuius unus rubor placebat quem pudor affert; unus candor quem parit abstinentia, nam pigmenta & fucos scenicis & meretricibus relinquebat. Vir erat illius quæ corpus penè sine cibo velut materia expers retinebat, & ante mortem mori cogebat. Vir erat illius, quæ noctes insomnes divinis psalmodiis traducebat, & tenera membra solo insternebat, &c.* Quod si ita ille magnus Antistes,

LV:

LVI:

riffes, & summus Theologus de Urfa-
lio, quod Vir fuerit tantæ Mulieris
Gorgoniæ: Quàm potiori ego iure di-
cam de Divo Iosepho vultis uno verbo
dicam quantus fuerit? Vir fuit illius
Mariæ: vultis scire quantâ puritate,
pletate, humilitate, prudentiâ, chari-
tate, contemplatione, modestiâ, casti-
tate, sanctitate, meritis, dotibus cor-

poris & animæ Sanctus Iosephi exorna-
tus fuerit? Uno verbo absolvam, Ioseph
Vir Mariæ de quâ natus est Iesus,
qui vocatur Christus: nec enim
scio quid amplius dicere necesse sit.
Quamquam tamen amplius adhuc re-
stat dicendum, quod scilicet fuerit
Pater Christi & Dei, quæ materia
est Tractatus qui sequitur.

TRACTATUS SECUNDUS.

DIVUS JOSEPHUS

Pater JESU.

NOMEN Patris cum
sit nomen pietatis, &
potestatis, ut etiam
docuit antiquissimus
Tertullianus, nomen
est magnificentissimū
& honorificentissimū: Propterea Se-
nes qui ab ipsâ senectute venerabiles
censentur, non parū se honorari pu-
tant cum eis à nobis illud nomen *Patris*
tribuitur.

Tantum est istud nomen, tam ho-
norificum, tam magnificentum, ut etiam
Reges & Principes, aliaque Reipubli-
cæ columina, illud pluris fecerint, &
si sapiunt alii, pluris facere debeant,
æstimareque se magis honorabiles esse
dum Patres populi appellari suis factis
merentur, quàm ipso Regali titulo,
qui tamen summi culminis est: Et
quid mirum cum & ipsis Diis hoc no-
minis honoris gratiâ tributum sit. Vi-
de Virgilium lib. 2. *Æneidos*, ma-
ximè lib. 2. *Georgicæ*. Gellium lib. 5.
cap. 12.

Quod si illa appellatio adeò hono-
rifica respectu hominum nobis simi-
lium, quanta quæso erit illa in Divo
Iosepho, qui talis est per respectum ad
Deum? Ptolemæus Rex à divitiis, à po-
tentiâ, ab armis, à sapientiâ & iudicio
famosissimus, cessit adhuc vivens Co-
ronæ & Regno in favore Filii sui: cumque

Aulici sui id vehementer dissuaderent,
quod valde indecens videretur Regem
in senio tali se exuere Majestate: Res-
pondit sapienter, se pluris facere Pa-
trem Regis dici, & esse, quam Regem:
Ita Joannes Baptista Fulgosius lib. 5.
cap. 7. de Parent. Indulgent. erga li-
beros. Quanta ergo erit tua ô Sanctis-
sime Ioseph! gloria, qui non hominis
Regis, sed Dei hominis Pater, & verè
Pater exillis? Hanc gloriam hoc Tra-
ctatu pro viribus exequimur.

CAPUT PRIMUM.

*Divo Iosepho nomen Patris
respectu Christi Domini
rectè tribuitur.*

Magnus, inquit Abbas Ruper-
tus de Gloriâ filii homi-
nis lib. 1. & verum nomen Bea-
to Iosepho Matthæus attribuit,
quia si est Vir Mariæ, est & Pater Domini,
&c. Ergo Vir Mariæ Ioseph. & ipsa Vxor
illius. Proinde nec iste ineptè dixit Ioseph
Virum Mariæ, nec alius Evangelista men-
titus est Patrem illum, eius qui in eâ natus
est Christi, appellando. Et erat iniquus
Pater ejus & Mater mirantes super his
quæ dicebantur de illo. Quid ergo mi-
rum quod in assercda ei istâ dignitate
adeò

adeò defudaverint olim Sancti Patres, maximè Divus Augustinus, nuncque defudent Viri omni exceptione majores ex omni ordine & statu, ipsi devoti; quandoquidem etiam in ipso solo nomine tanta sit gloria?

II. Duas Theologi solent movere quaestiones ad hoc propositum non parùm fervientes. Prima, an Christus ut Homo dici possit Filius Spiritus sancti, & Spiritus sanctus ejus Pater: Secunda, an possit dici Spiritus sanctus Sponsus Mariæ, & Maria ejus Sponsa: Ratio utriusque dubii est, quod Spiritus sanctus Christum in Mariâ sibi voto conjunctâ, produxerit.

III. Prima quaestio proposita fuit in Concilio Toletano undecimo, & à Patribus in eo congregatis, resolutum fuit negativè, & dictum quod Spiritus sanctus nullatenus deberet appellari Pater Christi, sed tantùm Author Incarnationis, & Operator illius mysterii, quod similiter ante docuerat Divus Augustinus tom. 3. in Enchirid. cap. 38. quos sequuntur omnes Theologi cum Divo Thomâ 3. part. quaest. 32. art. 3. propter rationem à Divo Augustino loco citato tactam, quia scilicet Christus ut Homo non est natus de Spiritu sancto ut Filius ex homine, in similitudinem naturæ: quam latius explicat Divus Thomas artic. citato in corpore ibi videndus.

IV. Pro secundâ quaestione concludunt omnes Theologi affirmativè, dicentes quod sine ullâ ambiguitate, vel erroris suspitione, Spiritus sanctus possit dici Sponsus Mariæ, & Maria Sponsa Spiritus sancti, quia nimirum & illa Spiritui Sancto per votum corpus suum dedicavit fide inviolatâ, & ipse eam foetu divino imprægnavit.

V. Sed si ita est quod Maria sit verè Sponsa Spiritus sancti, quodque Christus in ea virtute & operâ ejus conceptus sit & efformatus, quid quaeso cause est, cur Spiritus sanctus non possit dici Pater Christi, dicatur verò Divus Josephus, qui eum non produxit, ex hoc quod Virgo Christum concipiens fuerit sponsa ejus? Hic captivandus intellectus sub Deo.

VI. Caterùm qualis est ille Cœli favor, quod Spiritus sanctus qui Christum in

Mariâ Sponsâ suâ produxit; Josepho concesserit ut & Pater Christi & Sponsus Mariæ simul appelletur, & verè, ipse verò altero istorum titularum, & quidem minore contentus, Sponsus tantùm Mariæ dicatur? Quis non obstupescat quod pauper Faber lignarius unam cum ipso Patre æterno appellationem fortiat, & alteram Sponsi scilicet Beatæ Virginis etiam cum Spiritu sancto participet?

De Macedonum Monarchâ Alexandro Magno tradunt qui ejus acta prosequuti, quod cum die quâdam haud procul Corintho castra metasset, cives omnes illius urbis obviam ei processerint, & significarint se illum in in numerum civium suorum cooptasse: quem honorem ut majoris faceret Alexander, subdiderunt, honorem hunc duobus tantùm fuisse ab ipsis delatum, nimirum Deo Herculi, & ipsi: ac proinde rogabant, ut hoc suum observantiæ in ipsum argumentum non aspernaretur, quod Hercules è Diis unus non duxerat spernendum.

Magno Josepho tota Trinitas Sanctissima tota Ecclesia nomen Patris respectu Christi Domini nostri detulit, nomen magnum, nomen honorificum, quod duobus tantùm fuit concessum, nimirum Deo Patri ratione generationis æternæ, secundum quam Christus genitus est Deus de Deo, & D. Josepho ratione generationis temporalis, secundum quam idem Christus Homo-Deus ex solâ ejus Sponsâ, sed secum indivisibiliter unâ, est genitus operâ Spiritus sancti: unde Sanctus Cyprianus lib. de Baptismo ait: *Non est qui sibi hoc verbum Pater audeat arrogare, unus Joseph insignitur.*

Hoc porro nomen ei tribuitur in Scripturâ sacrâ non ab illis solùm qui Christum ignorabant, qui planè cum de Divo Josepho genitum erroneè putabant, Lucâ cap. 3. vers. 23. & cap. 4. vers. 22. & Matth. cap. 13. vers. 55. & Joannis cap. 1. v. 45. & cap. 6. v. 41. & 42. Sed etiam ab Evangelistâ Lucâ, & Beatâ Virgine seu verius ab ipso Spiritu sancto per os utriusque loquente, ab Evangelistâ Lucâ quidem cap. 2. v. 27. ubi ait: *Cum inducerent puerum IESUM parentes ejus* (idest Joseph & Maria)

R r

ria)

oplis

rabiu

ephi

ty

ria) ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, vers. 33. Erat Pater IESV & Mater mirantes super his quae dicebantur de illo, vers. 41. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschae, v. 43. Remansit puer IESVS in Ierusalem, & non cognoverunt parentes eius, à Beatâ etiam Virgine v. 48. Et dixit Mater eius ad illum, Fili quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus & ego dolentes quaerebamus te.

X. Dices si appellatio ista Patris, appellatio est pietatis & potestatis, ut aiebat initio hujus Tractatus gravissimus Tertullianus, & nos ex illo. quâ pietate quæso indiguit qui omnibus omnia dat effluenter & non improperat? aut cui potestati subijci potuit, à quo omnis potestas est? Respondeo non ex necessitate, sed ex dignatione voluisse alterius pietate indigere, qui etiam homo, non ex necessitate; sed ex amore fieri dignatus est: voluit quoque homini subijci ex dignatione qui omnibus ex suâ dignitate præerat: *Subiectio ista*, inquit Divus Ambrosius in Lucam lib. 2. *non fuit infirmitatis sed pietatis*, ut scilicet per hanc subiectionem suam & pietatem, & nos doceret, & hominem istum Sanctissimum, Divum dico Iosephum, dignificaret & eveheret.

XI. Sed & amplius audi, & cape Lector quid Divo Iosepho accesserit ex hoc etiam solo quod Patris Christi nomen gesserit, quodque à Christo Pater vocitatus sit? sic enim ab eo vocatum concludo ex eo quod ipsi perfectè subditus fuerit, juxta illud Luc. 2. v. 21. *Et descendit cum eis Nazareth & erat subditus illis. Patris nomen & appellatio*, inquit Aristoteles secundo Politicor. cap. 1. *magna est dulcedinis*: Quare ejus frequens est usus, quando cor emollire & in nostram voluntatem efficaciter infl. & cre volumus. Hinc Christus Dominus in limine illius orationis, quam ipse nos edocuit, Matth. cap. 6. hæc voce nos uti voluit tanquam omnium efficacissimâ & potentissima ad conciliandam nobis Dei benevolentiam, ut orando obtineremus: penetrat enim viscera Patris vox amoris: quod cum ita sit.

XII. Considera quomodò se habebat Divus Ioseph erga Jesum? quomodò cor

ejus eliquabatur & effluebat in amores Jesu, quando se ab illo ore divino Patrem vocitari audiebat? explicari non potest, dici non potest, intelligi non potest. O felix Ioseph quem Deus ipse Patrem vocare solebat! ô felix Ioseph cujus cor ad illam vocem Patris ineffabili perfundebatur suavitate, & in purissimos exardescere amores.

CAPUT II.

De variis acceptionibus nominis Patris.

PRÆTERMISSIS multis hujus vocis Pater acceptionibus, quas ad præsens institutum nostrum nihil pertinere nimis manifestum est: quales sunt primò illa, quâ viros cygneos, idest venerandâ canitie senes in arate proventus Patres vocare solemus: Secundo illa Terentii.

Natura tu illi Pater es, consiliis ego: ad quam revocari potest illa Apostoli 1. Corinth. cap. 4. vers. 15. *Et si decem millia Pedagagorum habeatis in Christo sed non multos Patres, nam in Christo IESV per Evangelium ego vos genui*. Tertio, illa quâ rerum inventoribus, seu illis qui omnium primi aliquid fecerunt, & ex quorum imitatione alii idem facere didicerunt, nomen Patris tribui solet, quomodò Genes. cap. 4. vers. 20. *Label dicitur Pater habitantium in tentoriis, & Inbal ejus frater Pater cantantium citharâ & organo*. Et Ioannis c. 8. *diabolus dicitur Pater mendacii*: & Institutores Ordinum Religiosorum dicuntur eorundem Patres, ut Sanctus Elias Propheta Carmelitarum; & ita de cæteris. Quarto, illa quâ ex extraordinario & singulari affectu & beneficiis aliqui dicuntur Patres, vel multorum in communi, quomodò Razias 2. Machab. cap. 14. appellatus est Pater Judæorum; Augustus Imperator consentiente Senatu à populo Romano salutatus est Pater Patriæ apud Sueton. in Augusto, cap. 58. vel alicujus in particulari, quomodò Naaman Principem militiæ Regis Syriæ vocant domestici Patrem 4. Reg. cap. 5. & Fabium Minutius apud Plutarchum in Fabio,

Fabio, & aliis similibus.

I. L. Quinque sunt aliæ insignes hujus vocis acceptiones, ita apud omnes gentes receptæ, ut cum quis alterius dicitur Pater, statim quis vocem illam intelligens accipiendam judicet secundum unam illarum quinque acceptionum.

III. Primò, igitur & præcipuè dicitur aliquis alterius Pater *Generatione*; quando scilicet ex propria suâ substantiâ genuit eum, qui dicitur ejus filius, sibi similem in naturâ, idque duobus modis, primò immediatè, sic prima Persona Sanctissima Trinitatis est & dicitur Pater Verbi, sic Abraham Pater Isaac, David Pater Salomonis, &c. Secundò mediatè, quomodo Christus Dominus & Divus Josephus dicuntur Filii Davidis, & David eorum Pater Matth. cap. 1. & omnes Judæi dicuntur Israëlitarum ab Israël eorum Patre, Jacob scilicet filio Isaac immediatè, filii Abraham, ab Abramo ex quo & ipsorum parentes & ipsi.

IV. Secundò, apud Judæos dicitur aliquis alterius Pater *legali substitutione*. Nam apud illos viro sine liberis vitâ functo, primogenitum ab ipsius fratre in ejusdem demortui suscitatum uxore, quam eo sine ducere tenebatur, lex defuncto substituerebat & addicebat, ac si ab eo genitus fuisset, ita quod hic non generantis filius censeretur, nec hujus nomen gestaret, aut hæreditatem adiret, sed defuncti pro quo generabatur: verba istius legis Deuteronomii cap. 25. sunt hæc: *Si habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti, non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex eâ filium nomine ejus appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israël.*

V. Hujus ergo legis beneficio, primogenitus ex fratre superstite & uxore defuncti, duos habet Patres, unum naturalem seu generatione, illum scilicet à quo genitus est: Alterum legalem, illum nimirum qui defunctus est, cui ille eum ex Legis Dei ordinatione genuit, qui dicitur ipse Pater legalis substitutione: quia ille qui eum genuit se eo abdicat ex præcepto legis, & quasi suus non esset, à se & hæreditate suâ repellit & substituitur ex eodem præ-

cepto legis, & Dei voluntate, in nomen & hæreditatem fratris sui defuncti, ac si ab illo genitus esset.

Tertiò dicitur aliquis alterius Pater *affinitate*, quando scilicet quis median- te matrimonii vinculo (per quod utique fiunt conjuges una caro) aliquis efficitur Pater illius, cui nupsit filia vel filius à se genitus: ut enim D. Augustin. lib. 22. contra Pelagium c. 61. *Si vir & uxor est una caro, non aliter nurus est deputanda quam filia*. Sic Genesis c. 37. v. 35. ubi in vulgata nostrâ legitur, *Congregatis autem cunctis liberis (id est Jacob) ne lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere*. Hebræa habent sic: *Omnes filii & filia Jacob surrexerunt ad consolandum eum*. Utique super existimatâ morte filii sui Joseph: quod certè intelligi nequit de filiabus Jacob, quarum ipse esset Pater *Generatione*; cum unicam tantum habuerit, scilicet Dinam, ut constat ex Scripturâ, ergo de nuris seu uxoris filiorum intelligendus est hic locus.

Quartò dicitur aliquis alterius Pater *Adoptione*, qui non naturâ genuit filium, sed ab alio genitum, voluntate suâ ac benevolentia suam facit: Est enim Adoptio *Actus legitimus à voluntate procedens, per quem quis efficitur filius qui non est, naturam imitans*. Glossa Institut. de Adopt. in §. 1. verbo *Adoptio est*. Sic Mardocheus fuit Pater Esteris postea uxoris Assueri Regis; sic Brutus dicitur fuisse filius Cæsaris.

De filiis hujusmodi Theodoricus Rex Gothorum apud Calliodorum lib. 4. epist. 2. eleganter pronuntiavit, *Ignavi esse non possunt quos judicia pepererunt*. Quibus verbis adoptivos naturalibus videretur præferre filiis, quos enim natura dederit ii quales quales fuerint accipiendi: sed quos meliores & digniores judicamus, eos adoptione eligere solemus.

Quintò tandem & ultimò dicitur aliquis alterius Pater *Educatione* seu *Nutricatione*, quales sunt Nutricii, qui non genuerunt quidem prolem, sed ab alio genitum aluerunt, & alendo conservarunt: Nec immeritò, nonne enim ille Pater censendus, qui effusum in lucem partum excipit & fovet? Qui à genitoribus fortè abjectum, humanâ, ut

R 1 2

vivat,

vivat, ope omnino indigentem curavit, & perduxit ad annos quibus ipse sibi jam providere possit: Quin hic potius Pater quam ille. Et certe si Pater dicens est qui vitæ momentum mox extinguendæ exiguis artibus infudit, an non ille potiori jure pater, qui eum per alimentum conservando & augendo, ad plures annos produxit? Sic filia Pharaonis Actor. cap. 7. vers. 21. dicitur Moysen ex aquis ereptum nutritivisse in filium.

- X. His ita prænotatis & præstructis, restat ut in materiam hanc locupletissimam, & campum laudum Divi Josephi amplissimum ingrediamur: videamusque quâ ratione hoc tam magnificentum nomen Patris, quod eidem Divo Josepho Sacra Scriptura Capite præcedenti num. 9. tam disertè tribuit respectu Christi Domini competat.

CAPUT III.

Non est Divus Josephus Pater Christi Domini Generatione.

- I. **M**ATRIMONIUM Divæ Deiparæ cœm Sancto Josepho, & quod eo pendente Christus non solum genitus fuit, sed etiam conceptus, occasionem dedit omnibus Judæis illius temporis, quibus id perspectum fuit, ut existimarent Divum Josephum esse Patrem Christi, primò ex istis quinque modis, scilicet generatione, quomodo cæteri maritati sunt patres filiorum qui tempore matrimonii sui in suis uxoribus cœcepti sunt, & ex iis geniti. Ignorantes enim mysterium, quod licet esset prophetarum, nondum erat tamen publicatum, imò quod Deus volebat tunc esse occultatum, quia ita necessarium erat, quomodo potuissent aliter judicare, quam quod Christus esset ex Josepho genitus? Hinc Lucæ cap. 3. vers. 23. *Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph.*

- II. In hoc errore qui initio inculpabilis erat propter jam dicta, præfractè persistiterunt postea, & nunc adhuc per-

stant perfidi Judæi, quorum obstinatio inexcusabilis est modò post tantam Evangelii lucem.

In hunc quoque errorem impegerunt Hæretici *Cerinthiani* in ipsi Ecclesiæ cunis, ut testatur Divus Epiphanius hæres. 28. *Carpocratia* apud nostrum Guidonem Perpinianum Summâ de Hæresibus allegantem Divum Augustinum lib. de Hæresib. & D. Isidorum lib. 12. Etimolog. *Photiniani* apud Venerabilem Bedam in cap. 2. Lucæ lib. 1. cap. 7. & nostrum Thomam Beauxamis tomo 1. in Evang. De quibus omnibus intelligendus D. Irenæus lib. 3. adversus hæres. cap. 21.

Denique est & idem ille error Gentilium & Paganorum apud D. Justinum Philosophum & Martyrem quæst. 66. ad Orthodoxos.

Contra hæreticos faciunt illustrissima Scripturæ testimonia veteris ac novi Testamenti. Veteris, ut Isaia cap. 7. vers. 14. ubi clarissimè prædicitur Messias de Virgine nasciturus. *Dabit, inquit Isaia. Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Vide plura apud Doctores qui in hac materia ex professo desudarunt, vide etiam nos hic Tractatu præcedenti cap. 4. Novi Testamenti, ut Matthæi cap. 1. & Lucæ c. 1. in quibus locis conceptissimis verbis Evangelistæ excludunt ab humanâ & temporali Christi generatione conjugalem Josephi cum Mariâ Deiparâ congressum, ac deindè disertissimè explicant à quo ipsa facta sit, scilicet à Spiritu Sancto virtute suâ Mariæ Virgini obumbrante.

Judæi verò qui non recipiunt Scripturas novi Testamenti, sicut & Gentiles aliis convincuntur argumentis, si tamen rationabiles sint: ut ab impletis in Christo articulatis omnibus veteris Testamenti de futuro Messia Prophetiis, Sybillarum prædictionibus, & utrorumque Oraculis: quam materiam quoad primam partem latè prosequitur noster Antonius Marinarius libris tribus: quoad secundam alii bene multi: à totali excidio Regni Davidici & Gentis Judæorum subversione: à mirabili Imperatorum, Regum, Principum, Philosophorum, Oratorum & mundi Sapientum

Sapientum per Apostolos simplices & idiotas, pauperes, & inermes, ad fidem & ad Christi cultum conversione: Ab inconceptibili Ecclesie per martyria & supplicia inaudita, quibus suffocari debebat, incremento & augmentatione: A miraculis & portentis infinitis, & in omni genere, per Christum, Apostolos, & Christi servos ab Ecclesie incunabulis usque ad hæc tempora cum immani populorum stupore, & demonum, qui à Christo in simulachris flectere coacti sunt, terrore patris, &c. Ex quibus sole clarius evadit Christum Mariæ filium, qui putatus est dum viveret ex Josepho genitus, esse verum Messiam, prophetatum in Scripturis, in lege promissum, & à Sybillis illis prævisum, ergo consequenter ex Virgine natum juxta præallatum Isaiæ vaticinium ex cap. 7. vers. 23. & alia Scripturæ testimonia, necnon Sybillarum oracula.

VII. Dices primò, ipse Christus de seipso loquens semper se dicit filium hominis in masculino genere, ergo fuit filius viri qui solus invenitur in masculino genere. Huic argumento stramineo Respondeo primò nobis non esse curam de Grammaticæ affectionibus, sed de re? Cùm ergò mulier sit verè, propriè ac reapse homo sicut masculus, potest verè, optimè & reapse dici filius hominis, qui solius mulieris est filius. Respondeo secundò, dicit se Christus filium hominis in masculino respiciens ad Patres mediatos Davidem, Abraham, maximè ad Adam, ut præveniret opinionem hæreticorum, & ostenderet se descendisse ex Adamo, non verò carnem è cælo attulisse, & per Virginem tanquam per fistulam transivisse, quemadmodum voluere Hæretici apud Rupertum Abbatem lib. 1. in Matth. cap. 1.

VIII. Dices secundò, non solum ignorantes, sed etiam Lucas, & ipsa Beata Virgo non semel vocant Divum Josephum & sine ulla ambiguitate Christi Patrem, immò Parentem, Luc. c. 2. v. 27. 33. 41. 43. & 48. Propter quod elato Judæus cothurno exclamat hinc manifestissimam fieri nostrorum imposturam Evangelistarum, ut qui illinc Jesum de Virgine sine virili congressu concep-

tum dicunt: Hinc verò tanquam mendaces à se, veraces contra se, sui immemores dicunt Josephum ejusdem Christi Parentem: in quo certè, inquit, Judæus, Divina elucet Providentia, dum efficit, ut ex his postremis testimoniis, ubi dicitur ab eis Joseph Christi Patrem, manifestè appareret illam quam in superioribus de ejusdem Christi generatione texuerant narrationem, non veram esse, sed ita confarctatam, quia illis probè notum erat ex præallato Isaiæ loco cap. 7. vers. 23. Messiam de Virgine nasci debere, & sic Christum suum pro vero supponerent, & minus oculatis illudentes persuaderent, illum esse ipsum Messiam, de quo iste Propheta locutus erat, utpotè in quo ipsius vaticinium inveniretur impletum.

Sed ó Judæe irrisor & illusor! quate tua abripit perfidia dum hæc objecis? Divinam crepas & miraris Providentiam in eo quòd ita excecavit nostros Evangelistas, Lucam præcipuè, ut sibi ipsi manifestissimè (ut tamen arbitraris) contradicens suam ipse proderet imposturam. Sed si ita est, quomodò ergo contra illam eandem tantam providentiam factum est, ut illud ipsum quod iidem Evangelistæ per imposturam tam insignem ingenderunt, assecuti sint, cùm tantam quantam videmus & viderunt secula præterita gloriam, tabescentibus præ livore Judæis? quid tu ad hæc mi Judæe? quomodò te ab hoc redimes hostimento? Nanquid consilium impostoris potuit prævalere adversus consilium Dei? ó infirmum ergo ex Judæorum sententia Deum! sed ó potius cæcum Judæum! qui hæc objicit, sibi que de tam inani & arundineo blanditur argumento.

Respondeo secundò, sunt aliæ acceptiones secundum quas potuit Divus Iosephus dici & esse Christi Pater, quam illa quæ est per generationem, ut patet ex capite præcedenti, & amplius patebit ex dicendis: quare malignus est Judæus qui ut invehat in Evangelium Dei contradictionem, & inurat Evangelistis imposturam, non aliter vult illos intelligendos de Divo Iosepho loquentes in posterioribus locis, quam de Paternitate

R 3


quæ

quæ sit secundum generationem.

XI. Advertendum interim, & seriò advertendum, quod cum Deus non potuerit non prævidisse nascituram ex isto Patris titulo, quem Divo communicavit Iosepho, ambiguitates, sicque qualitatem suam Messiaë & Sanctissimæ matris suæ virginitatem & integritatem ex hoc à plurimis in suspensionem adducendam, maluit tamen ipse hoc discrimen subire, & Matrem suam, quam Divo Iosepho hunc singularem & magnificentissimum titulum, ipsi reapse ut videbimus debitum, non esse conservatum, & ut conservaretur sacrosanctis Scripturæ tabulis commendatum, ut inde videamus quanti faciat Deus hujus Sanctissimi Viri honorem, excellentiam, & æstimationem: Quod certè gravissimum, illusterrimum Dei exemplum, mihi animos addit, ut & illum eidem pro posse meo conservem, & quomodo ei competit diligentius perquiram & explicem.

CAPUT IV.

An Divus Iosephus tantum putaturè Christi Pater?

- I.  FIRMANT aliqui, inter quos noster Sylveira tomo 1. in Evangelia, lib. 2. cap. 6. quæst. 5. negantes absolute Divum Iosephum fuisse ullà verà ratione Christi Patrem: Volunt enim hi esse verè Patrem, absolute & necessariò rem esse Generationis: Cum ergò Divus Iosephus nullà ratione fuerit, aut dici possit Pater Christi generatione, sed tantum talis reputatus sit, sequitur non fuisse ullo modo verè Christi Patrem, sed tantum putativè.
- II. Probatur hæc sententia ex Luca cap. 3. vers. 23. *Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph*, quibus verbis innuit Evangelista non fuisse filium ejus, sed putatum: si enim fuisset, quid erat necesse innuere quod putabatur? ergo in præcedentibus locis hinc cap. 1. n. 9. allatis, non ideò vocavit Lucas Iosephum

ejus Patrem aut parentem, quod velit ipsum fuisse talem, sed quod talis communiter reputabatur.

Nec refert, inquirunt, quod non tantum ab illis qui ignorabant Mysteriorum Incarnationis appellatus sit Divus Iosephus Pater, aut parens Christi, sed etiam ab Evangelistâ Lucâ, & ipsâ Beatissimâ Virgine, hoc enim modo locuti sunt, quod talis vulgò reputaretur, atque in eo voluerunt morem gerere: & accommodare se vulgi existimationi, qui non aliud de Christo putabat, quam quod esset Christus Filius Divi Iosephi generatione: quo quidem modo loqui potuisse, immò & debuisse constat, & hoc modo probatur.

Potuisse quidè primò, quia non semel videmus sacram Scripturâ loqui; non secundum id quod de facto est & à parte rei, sed secundum id quod apparet, & quod homines existimant: sic verbi gratiâ dicit Scriptura Deum iratum, pœnitentiâ ductum, tactum dolore cordis intrinsecus, &c. cum certissimum sit Deum incorporeum, & immutabilem, his passionibus & motibus minimè esse obnoxium, sed tantum ad extra agere, & nobis apparere ex ejus effectibus, ac si in se esset commotus, ut docent Sancti Patres & Theologi omnes Tract. de Immutabilitate Dei.

Eodem modo noster Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus lib. 10. Theaur. cap. 7. & alii Interpretes explicant illud Luca cap. 2. vers. 52. *Et IESVS proficiebat ætate sapientiâ & gratiâ coram Dei & hominibus*, ut scilicet non verè & reapse profecerit Christus in gratiâ & sapientiâ, quemadmodum proficiebat in ætate & corporis staturâ, id enim à verò alienum est, cum à primo suæ Conceptionis momento fuerit sapientiâ & gratiâ plenissimus, quia id illi debebatur ex vi unionis hypostaticæ ad verbum, sed specie tantum & ostensione externâ, ac in existimatione hominum, qui cum ex hoc proficere putabant, quod pro ætate, majora semper & majora gratiæ & sapientiæ exhibebat specimina: Ita, inquit hi res habet in Divo Iosepho, quem Lucas & Beata Virgo Deipara vocant Christi Patrem & parentem, non quod sit

fit, cum eum non genuerit, quod tamen esset necesse, sed quod videretur talis ex eo quod Christus in uxore sua de tempore matrimonii sui cum illa conceptus, post novem menses ex ea natus sit.

VI. Debuisse verò hoc modo loqui, id est secundum id quod apparebat & quod à vulgò putabatur, patet, quia necessarium erat pro aliquo tempore mysterium occultari Incarnati Dei, cum & ipsum Divi Josephi cum Deipara matrimonio ad hoc à Deo ordinatum fuisset, ut sub eo tantisper occultaretur, ne scilicet si manifestum omninò fuisset & agnitum, salus humana, quæ ab ipsius morte pendebat, impeditur: si enim dæmon & Judæi Deum gloriæ agnovissent, nec hi illum crucifixissent, nec isti hos ad illud instigassent.

VII. Neque tantum ita potuisse & debuisse loqui Divum Lucam & Beatam Deiparam constat, ex dictis, inquit, sed & de facto ita locutus maxime Lucam arguent ex eodem Lucâ cap. 2. ubi Divum Josephum vocat tertio Christi Parentem. Scilicet versu 27. *Cum inducerent puerum IESVM Parentes ejus, id est Joseph & Maria, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo*: ibidem vers. 41. *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemnium Pasche*, ibidem vers. 43. *Remansit puer IESVS in Jerusalem & non cognoverunt parentes ejus*. Nam cum nomen *Parentis* dicatur à *pario*, certum est Divum Josephum non potuisse dici Christi parentem nisi vulgi existimatione: Si ergo hic locutus est Lucas ex vulgi existimatione cur non & in duobus aliis locis ejusdem capituli scilicet vers. 33. & vers. 48. ubi ipse & Beata Virgo eum vocant Patrem? ex quibus omnibus videtur clarum, quod Divus Josephus non fuit ullâ verâ ratione Christi Pater, sed tantum putativè.

VIII. Sed contra omninò dicendum est, Divum Lucam non loqui secundum existimationem vulgi, quod arbitrabatur Christum ex Divo Josepho genitum, ergo secundum rei veritatem: probatur antecedens, quia putatio illa & opinio quam habebat populus de Christo erat falsa, quia existimabat Christum esse Filium Joseph carnalem

& generatione, & sciebat Divus Lucas (idem dicendum de Beata Virgine) esse falsam, non ergo ille sub tali falsa putatione & opinione appellaverit Josephum Christi Patrem: Consequentia etiam patet, quia si nec in illis accomodat se Lucas vulgi existimationi, nec Divus Iosephus esset talis qui ab illo per istud nomen Patris enunciat, quomodo Lucas à falsitate & mendicio excusaretur? quare omninò confectarium est, quod si in illis non loquitur Lucas secundum vulgi opinionem, loquatur secundum rei veritatem, & Divus Iosephus sit Pater Christi, qualis esse enuntiatur.

Itaque ad illud Lucæ cap. 3. v. 23. *Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph*. Respondeo nihil ex hoc inferri posse, nisi quod non fuerit filius Ioseph generatione, ratio est quia per illa verba nihil innuitur nisi contrarium ejus quod erat in putatione seu vulgi existimatione. Quid verò putabat vulgus? Certè quod Christus esset filius Divi Iosephi generatione quemadmodum ceteri qui concipiuntur & nascuntur in matrimonio: ergo inferendo contrarium ejus nihil potest inferri nisi non fuisse filium Iosephi generatione, quod non impedit quin fuerit aliqua aliâ eaque verâ ratione.

Confirmatur hæc nostra Responsio ex Divo Augustino tom. 4. lib. 2. de Consensu Evangelist. cap. 1. in fine ubi hæc habet: *Manifestum est illud quod ait, ut putabatur filius Ioseph, propter illos dixisse qui eum ex Ioseph sicut alii nascuntur homines natum arbitrabantur*. Et luculentius Tomo 10. serm. 63. de diversis cap. 20. in fine, ubi post assertam veram Divi Iosephi, ad Christum paternitatem: sic infert, *Alii quidem putabatur esse Pater Domini N. IESV Christi, scilicet sicut ceteri Patres carne generantes, non solo spirituali affectu liberos suscipientes: Nam dixit & Lucas qui putabatur esse Pater IESU: quare putabatur? quia humana putatio & existimatio illuc ferebatur quod solet ab hominibus fieri. Non ergo de semine Ioseph, Dominus quamvis hoc putaretur*.

Ad id verò quod dicitur Beatam Lucam & Divam Deiparam locutos ex vulgi

Josephus
matris
Josephi
et

vulgi existimatione; ut alibi frequenter in Sacra Scriptura, Respondeo cum Divus Lucas tam expressè dixerit de Christo quod putabatur filius Ioseph, iisque verbis innuere voluerit non fuisse; hoc est illo modo quo putabatur: profectò nimis absurdum est opinari istum Evangelistam his locis locutum ut vulgus existimabat, cujus deceptionem per istam observationem indigere volebat: immò cum istum vulgi errorem per eam observationem refutatum voluerit, manifestissimum est nullo modo eundem errorem committere aut sequi voluisse.

XII. Quoad Beatam Virginem, censent communiter Doctores, quibus ego consentio, non publicè sed privatim, & in secessu Christo dixisse, verba illa: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quarebamus te.* Unde quæ ita Divum Iosephum appellavit, non id fecit ex studio morem gerendi vulgi æstimationi (cessavit enim hic illud motivum) sed locuta est ex propria mente, & rei veritate & quia D. Iosephus talis erat, qualem eum compellabat.

XIII. Sed etsi Beata Virgo publicè Christo conquesta fuisset, quæ necessitas fuit tunc loquendi ex vulgi opinione? nonne poterat querelam suam ad Christum sic efformare, & omnem umbram falsi vitare dicendo: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce nos quarebamus te dolentes vel cum magno dolore.* Quo casu nonne æquè subintellexissent omnes ipsam & maritum suum Iosephum ibi præsentem, & hoc sine ullo veritatis vel minimo præiudicio? Quæ ergò tam prudens fuit & circumspècta in omnibus, ut ne vel verbum inutile aut otiosum unquam protulerit, an hîc sui ita oblita, ut sine ullâ necessitate verbum minus verum proferret? quis hoc crediderit?

XIV. Tandem ad id quod dicitur necessarium fuisse ut ita loqueretur Lucas, quia necessarium erat mysterium pro tempore occultari, ne si manifestaretur, Redemptio generis impediretur humani: Respondeo, etsi verum sit istam occultationem fuisse necessariam pro aliquo tempore; ex quo factum ut Christus non nisi de desponsatâ nasci voluerit & debuerit, ut sic diabolus insidiator

nequaquam cogitaret aut suspicaretur esse Filium Dei, quem ex apparentiâ illâ iudicabat esse filium Iosephi, falsum tamen est id fuisse necessarium dum à Lucâ scribebantur hæc. *Erat Pater IESV, & Mater, mirantes super his quæ dicebantur de illo.* Neque etiam dum ter vocat Iosephum & Mariam Christi Parentes, quia ideò tantum illa occultatio fuit ad tempus necessaria, ut ne salus humana in Cruce consummanda impediretur, atqui quando illa scribebat Lucas id non erat amplius timendum, quia illa Redemptio erat jam impleta.

Quin potius è contra erat tunc omnino tempus illud manifestandi, & omnibus gentibus annunciandi, ad hoc mandatum expressum à Domino acceperant, & ille jam de facto, ceterique Evangelistæ, Apostoli & Discipuli ubique tunc instantissimè prædicabant: tandem eo solo sine scribebat Lucas, ut illud manifestum faceret ad gloriam Dei.

Postremò, ad id quod arguitur de facto ita locutos, idest ex vulgi existimatione, Divum Lucam & Beatissimam Virginem, eo quod Lucas de utroque, idest de Divo Iosepho & Beatâ Deiparâ loquens, vocet eos Christi Parentes. Responso patebit ex dicendis inferius ubi de hoc ipso veritatem Paternitatis ipsius efficacissimè, ut arbitror, adstruemus.

CAPUT V.

Nostrum contra præcedentem opinionem Assertum probatur ex SS. Patribus.

EX dictis Capite præcedenti satis liquet loca Scripturæ à nobis supra cap. 1. num. 9. adducta, in quibus à Beato Lucâ & Divâ Deiparâ Sanctus Ioseph dicitur Pater Christi, non fuisse prolata ex mente & opinione vulgi solum, ut volebat noster Sylveira & alii: undè oportet ut sint prolata secundum aliquam acceptionem, secundum quam ipsi iudicarunt, vel potius Spiritus Sanctus ex eorum ore locutus, eam vocem Patris Divo Iosepho verè ac propriè respectu

respectu Christi Domini convenire: quod licet satis manifestum fecerimus, attamen ex superabundanti, ita quoque Sanctos Patres sensisse ac consequenter loca illa Scripturæ Sacræ, eo modo quo nos intelleximus, intellexisse ostendamus.

II. Agmen ducat D. Justinus Martyr cognomento Philosophus in ipsis Ecclesiæ cunis, quæst. 66. ad Orthodoxos, ubi sic ille. *Si quod natum est ex uxore Heli, filius est Heli secundum legem Dei, multo magis ex uxore Ioseph, Deo ita volente, filius est Iosephi citra conjugalem congressum.* Item inferius quæst. 133. *Et enim, inquit, Iosephus ipse vocatus est Heli filius, nec tamen ex eo genitus, quoniam divina legis visum est ex uxore Heli dare filium Heli: sic visum est Deo ex uxore Iosephi dare filium Iosepho, non genitum secundum naturam ex ipso: Quod enim ex femina aliqua sine supra nascitur, id necessario filius est viri & femine quo pacto vult Deus dare filium viro, aut per conjunctionem, aut citra conjunctionem.* Hæc Divus Justinus Martyr.

III. Sequitur Divus Augustinus lib. 2. de Consensu Evangelistæ. cap. 1. ubi redens rationem cur ab Evangelistâ Christi Genealogia deducatur per Iosephum sic loquitur ad nostrum intentum: *Exequitur, inquit, ergo humanam generationem Christi Matthæus ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus: Neque enim fas erat ut ob eum à conjugio Mariæ separandum putaret, quod non ex eius concubitu, sed virgo peperit Christum. hoc enim exemplo magnificè insinuat fidelibus conjugatis, etiam servatâ pari consensu continentia, posse permanere vocariq. conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu: præsertim quia nasci eis etiam filius potuit sine ullo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est: neque enim propterea non appellandus Ioseph Pater Christi, quia non eum concumbendo genuerat, quandoquidem verè Pater esset etiam ejus, quem non ex suâ conjugæ procreatum aliunde adoptasset.*

IV. Item idem Divus Augustinus ibidem paulò inferius explicans illa verba: *Et ibant parentes ejus per singulos annos, &c. dicit, sed ne quisquam hic pa-*

rentes, consanguineos potius Mariæ cum ipsâ Matre ejus intelligendos putet; quid ad illud respondebit quod ipse item Lucas superius dixit. Et erant Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo: Cum igitur ipse narret non ex concubitu Iosephi, sed ex Mariæ Virgine natum Christum; unde cum Patrem ejus appellat: nisi quia & virum Mariæ rectè intelligimus sine commixtione carnis ipsâ copulatione conjugii, & ob hoc etiam Christi Patrem multo conjunctius, qui ex ejus conjugatus sit, quam si ei esset aliunde adoptatus.

Idem iterum tom. 7. lib. 1. de Nuptiis & Concupisc. cap. 11. ubi duo docet incomparabilis ille Doctor. Primum, inter Mariam & Iosephum verum intercessisse matrimonium: Secundum, ex hoc inferit, quod cum illa existens ejus uxor conceperit Christum, ex hoc fuerit Ioseph Christi Pater tam verè quàm verè fuit conjux: sed verissimè fuit conjux Mariæ ut supra, ergo etiam verissimè Pater Christi: *Quibus verò placuit, verba sunt Divi Augustini, ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur: imò firmiter erit quò magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusq. servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum: Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Ioseph; noli timere accipere Mariam conjugem tuam: Conjux vocatur ex primâ fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax mæserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnalis commixtio. Erat quippe illa Virgo idèò sanctius & mirabilius iuncta suo viro quia etiam secunda sine viro, prole dispar, fide compar. Propter quod fidele conjugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solum illa Mater, verum etiam ille Pater ejus, sicut coniux Matris eius utrumque mente non carne, &c. Neque enim mentitur Evangelium ubi legitur, Et erant Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo: & alio loco. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Ierusalem: Item paulò post. Et dixit Mater ejus ad illum. Fili quid fecisti nobis sic, ecce Pater*

S I

tuus

tuus & ego dolentes quærebamus te.

VI.

Et iterum idem Sanctus Pater ibidem post pauca. *Sed cum illo* (supple Ioseph) *non seminante, illa peperisset profecto nec ipsius forme servi ambo parentes essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione conjuges essent: unde & series generationum, cum parentes Christi connectione successionis commemorantur usque ad Ioseph potius, sicut factum est, fuerat perducenda* (pondera quod sequitur *(ne in illo coniugio, virili sexui utique potiori fieret iniuria. Ubi Iosephum Sanctus Augustinus ita vult Patrem Christi Domini, ut per illum huius generationem omnino deducendam velit, idque ita necessario, ut si fecus factum fuisset injuriam Divo Iosepho fiendam affirmet, quod quid amplius dici possit non video.*

VII.

Licet verò hæc Augustissimi Doctoris testimonia pro veritate Paternitatis Sancti Iosephi clarissima sint & fortissima, adeoque sufficientia, ut nihil amplius desiderari possit: clariora tamen adhuc & fortiora præfert tom. 10. serm. 63. de Diversis à cap. 10. usque ad 20. maximè verò cap. 13. 14. 15. 16. & 20. ubi explicat quomodo fuerit Pater Christi: quæ vide hic inferius hæc part. cap. 16. per totum.

VIII.

Quæ Divo Augustino fuit mens circa hanc quæstionem eadem fuit & Ven. Bedæ in Luc. lib. 1. cap. 7. inter medium & finem, cuius & ipsissima verba hic supra adducta usurpat, ubi explicans verba illa Lucæ, Erant Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo: sic loquitur, *Patrem Salvatoris appellat Ioseph, non quod verè iusta Photinianos Pater fuerit eius, (id est generatione ut voluerunt hæretici illi ut patet ex sequentibus,) sed quod ad famam Mariæ conservandam Pater sit ab omnibus æstimatus: neque enim oblitus est Evangelista quod eam de Spiritu sancto concepisset, & Virginem peperisset narravit, sed opinionem vulgi exprimens, quæ vera historia lex est, Patrem Ioseph nuncupat Christi. Statim adjicit Beda quod sequitur ex Augustino. Quamvis & eo modo Pater illius valeat dici, quo & vir Mariæ rectè intelligitur sine commixtione carnis ipsâ copulatione conjugii, multò videlicet conjunctius quam si esset aliunde adopta-*

tus: neque enim propterea non appellandus Ioseph Pater Christi, quia non cum concubendo genuerat, quandoquidem rectè Pater esset etiam ejus, quem non ex suâ conjugis procreatum aliunde adoptasset.

Sequitur Divus Chryostomus homil. 4. in Matthæum, ad illa verba Angeli ad Divum Iosephum. *Pater autem filium, & vocabis nomen ejus IESVM. Ubi sic ille, Non enim quia ex Spiritu sancto est, idcirco te à ministerio tanta existimes dispensationis extraneum: non etsi nihil habeas in hac generatione commune (Virgo quippe permansit intacta) tamen quod est proprium patris, quodque nihil infuset Virginis dignitatem, hoc tibi facile concedo.*

Ad stipulantur etiam Divus Paschasius lib. 2. in Matthæum, ad illa verba: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quæ sic explicat, conjugem autem quare dixerit, etiam inter reliqua quod (nota sequentia) nihil desuerit operis coniugii, nisi sola commixtio libidinis: in tantum ut ad Ioseph iuxta carnem pertineat ortus Christi; si quo modo dici possit idem per hoc pater Salvatoris; quibus verbis Doctissimus Salmeron tom. 3. tract. 30. super edificans addit, Abraham fuit Pater Messæ hominis, David verò Regis; ita ipse Ioseph Salvatoris de Spiritu sancto concepti, nempe Dei.*

Tandem omisissis aliis Patribus, quos alibi in hujus Secundæ Partis decursu dabimus, finiamus per Rupertum Abbatem lib. 1. de Gloria & honore filii hominis cap. 1. ubi explicans illa verba Matthæi cap. 1. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ de qua natus est Jesus, ait: Magnum & verum nomen Beato Ioseph attribuit, quia si est vir Mariæ est & Pater Domini. An non & lex hoc edicit, quod ea quæ desponsata est iam uxor sit? Deuteron. cap. 22. Si puellam, inquit, Virginem desponderit vir, & invenerit eam aliquis in Civitate, & concubuerit cum eâ, educes utrumque ad portam Civitatis illius, & lapidibus obruentur: Puella quia non clamavit uxorem proximi sui: Ergo vir Mariæ Ioseph, & ipsa uxor illius. Proinde nec iste inquit dixit Ioseph virum Mariæ, nec alius Evangelista mentitus est Patrem illum ejus, qui ex eâ natus est Christi appellando, &*

erat inquit, Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.

XII. Dices Christus Matri conquirenti in hæc verba: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes querebamus te.* Respondit dicens: *Quid est quod me querebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Quibus verbis Christus innuens Patrem suum Cælestem, cujus negotia perficere venerat, videtur non voluisse concedere Joseph esse Patrem suum, quomodo eum Mater appellarat. Respondet Divus Augustinus huic objectioni cujus ipse Author est tom 10. ferm. 63. de Diversis cap. 11. *Non sic indicat Patrem Deum ut neget Patrem Joseph.* Quam responsionem sic confirmat & illustrat cap. 12. immediate sequenti. *Quemadmodum quando Dominus cum interrogasset Phariseos, quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? & illi respondissent David: intulit quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum dicens, dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Quemadmodum, inquam, quando hoc intulit, non voluit negare se esse filium Davidis, ita hic dum Virgini dicenti, Pater tuus & ego dolentes querebamus te, Respondit nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse, non voluit negare Divum Josephum esse Patrem suum ut homo est, sed sibi ut Deus est alium esse Patrem, in cuius negotiis ipsum esse oportebat.*

XIII. Confirmatur hæc veritas ex hac ratione quam tangit Jacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus in Exposit. super Cantic. Magnificat, ad ista verba *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Nam manifestum est primò, quod inter Divum Josephum & Beatam Deiparam verum intercesserit matrimonium, ut ostendimus Tractatu præcedenti cap. II. Secundò, Quod illud extiterit antequam Christum illa conciperet, ut vidimus ibidem cap. 15. Sectione 2. Tertio, quod Christus conceptus est in illo Sacro Conjugio operâ Spiritus Sancti: atque adeò absque injuriâ fidei conjugalis, quia caro con-

jugalis non dicitur divisa nisi per adulterium: Ergò sequitur quod licet Divus Josephus non concurrerit officialiter ad generationem Christi, tamen cum talis generatio facta sit in ejus Conjugio conjugaliter & indivisè ei conjuncta, & secum indivisibiliter caro una, ipse non fuit expers ne per aliquem specialem modum innominabilem, quia caret exemplo, esset Pater Christi multo-que strictius & dignius quam quovis alio modo exceptâ generatione: quemadmodum inferius abundantius ostendemus, maximè verò quod Conjugium Mariæ & Joseph divinitus ordinatum sit, ut Christus ex tali virginali Conjugio aptè nasceretur: Unde Divus Augustinus lib. 1. de Nuptiis & concupisc. cap. 11. ad finem ait. *Omne nuptiarum bonum impletum est in illis Parentibus Christi, Proles, Fides, Sacramentum: Prolem cognoscimus ipsum Dominum IESVM: Fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium.*

CAPUT VI.

An Divus Josephus Christi Pater Christi dictus ob Adoptionem?

VIDIMUS in præcedentibus Divo Josepho non tantum nomen Patris respectu Christi Domini competere; sed etiam vere esse ipsius Patrem: Hoc ultimum in sequentibus amplius probabimus examinando quomodo, & quâ ratione sit verè Pater Christi: ac quidem ut manifestum est ex Evangelio & dictis supra cap. 3. non esse Patrem Generatione, ita non minus manifestum non fuisse etiam Affinitate eo saltem modo quo cap. 2. num. 6. explicuimus: quare de aliis tribus modis restat inquirendum, & tandem quid eâ super re sentiamus proferendum & stabilendum.

Igitur hæc querimus primò, an Divus Josephus ob Adoptionem Christi Pater dictus & à nobis existimandus? Affirmant plerique Doctores: variant tamen nonnihil in modo explicandi hanc

hanc adoptionem. Alii enim volunt idè Divum Iosephum dici Christi Patrem *Adoptione*, quod ipse Christum sibi adoptaverit in filium, nimirum vel tunc cum Divinitus ex Angelo didicit uxorem suam Beatissimam Virginem illum de Spiritu Sancto concepisse, vel tunc cum in lucem editum, & in præsepi positum primus omnium mortalium suis oculis cernere meruit, & corde adorare, tunc enim volunt ei dixisse ex corde; *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium*, & deinceps ut filium aspexisse, ut filium amasse, ut filium curasse, & tractasse: & vicissim Christum erga illum se ut filium gessisse, juxta illud Lucæ cap. 2. vers. 5. *Et erat subditus illis*. Ita inter alios noster Daniel à Sancto Iosepho, nostræ Observantiæ in suis Panegyri de Sanctis ad Cardinalem Mazarinum Cadomi impressis, Panegyri de S. Iosepho.

III. Alii è contra qui existimant istam Paternitatem Divi Iosephi esse longè strictiorem & sublimiorem; hanc Adoptionem referunt non in Divum Iosephum, sed in ipsummet Christum Dominum, quem dicunt statim à conceptione suâ sibi elegisse & adoptasse illum Sanctissimum Virum in Patrem suum: ut proinde hæc Adoptio non humana sit, sed Divina; non communis, sed singularis & extraordinaria, & tantò aliis Adoptionibus eminentior, quantò differt illius causa à causis illarum. Non enim est Adoptio Dei qualis hominum: Hæc enim stat tantum in voluntate adoptantis, nihilque ponit in adoptato; sed Dei adoptio cum sit à voluntate efficacissimâ & omnipotentissimâ rem adoptionis seu filiationem, idem dic de Paternitate ponit in adoptatis, juxta illud 1. Ioan. cap. 3. vers. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus*. Non tantum dicit nominemur, sed etiam simus.

IV. Sed neutra sententia placet? Non prima. Primò quia vel illa adoptio intelligitur de adoptione publicâ, vel de adoptione privatâ: non de publicâ, quia etsi talis adoptio habuisset locum apud Iudæos, quod mihi valdè ambiguum est, vide à nobis dicta supra part. 1. tract. 2. cap. 4. Sect. 2. num. 16. non

potest tamen admitti in præfenti casu. Nam si hoc modo Divus Iosephus publicè Christum adoptasset, manifestum fecisset Christum non fuisse ex se genitum contra Dei intentum, qui eo sine Divi Iosephi cum Beatâ Deiparâ matrimonium ordinaverat, & Christum eo pendente concipi, ut & ad tempus celaretur dæmoni & hominibus partus divinus, & nulla esset suspicio contra Virginis puritatem & Proles legitimam nativitatem: Deindè si sic publicè illum adoptasset quomodo potuisset putari Christi Pater eo modo quo ceteri maritati patres existimantur illarum prolium quæ in suis uxoribus conceptæ fuerunt, idest generatione? Quomodo putatus est, asserente Divo Lucæ cap. 3. vers. 23. & dicente *Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph*.

Non etiam intelligi potest de privatâ adoptione, quia nulla est adoptio nisi fiat autoritate publicâ: unde etsi promississes millies te tractaturum, Symphronium v. c. ut filium, vicissimque Symphronius te ut patrem, non idè tamen Symphronius tuus esset filius adoptivus, aut tu illius pater, nisi interveniat autoritas & consensus Principis, ita Cardinalis Tuschus tomo 1. Practic. Conclus. conclus. 216. & alii. Quocirca per eiusmodi adoptionem privatam nihil aliud haberetur, nisi quod Divus Iosephus tractasset ex suâ optione Christum ut filium, quod non est esse Patrem, sed Nutricium, de quo infra cap. sequenti.

Secundò, non sufficit ista adoptio ad evacuandum tantæ rei Sacramentum, tum quia hæc non sufficeret ad hoc ut per illum Christi Genealogia deduceretur, tum etiam quia ante talem adoptionem alio strictiori & fortiori vinculo jam obstrictus erat Christo, scilicet ut Coniux illius, de quâ conceptus & natus est eo tempore quo Coniux, atque adeò ad omnia Patris onera absolute obligatus, hoc est ad eum nutriendum, tuendum & educandum; & Christus ad ea ab eo exigendum & hereditatem ejus obeundam jus habens.


Hinc Divus Augustinus lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 1. explicans illa verba Lucæ cap. 2. vers. 33. *Et erant Pater*

Pater ejus & Mater mirantes super his qua dicebantur de illo: ait, Cum igitur ipse narret, non ex concubitu Iosephi, sed ex Maria Virgine natum Christum, unde eum Parentem eius appellat? nisi quia & virum Maria recte intelligimus sine commixtione carnis ipsa copulatione coniugii, & ob hoc etiam Christi Patrem multo coniunctivè qui ex eius Coniuge natus sit, quam si ei esset aliunde adoptatus.

VIII. Non placet etiam secunda explicatio hujus Paternitatis per adoptionem ab ipso Christo factam de Divo Iosepho in Patrem suum. Primò, quia gratis & nimis voluntariè fingitur: maximè verò quod cum ab aeterno electus esset efficaciter, non à Patre solum, sed etiam ab ipso filio, ut esset Pater suus in tempore, ista aeterna electio & prædestinatio id totum præstiterat quod illa conficta adoptio præstare posset. Secundò, quia cum ante illam adoptionem Christus esset conceptus in uxore suâ Beatâ Deiparâ nullatenus à se divisâ, sed sibi inviolabiliter in fide conjugali conjunctâ, consequenter ex tunc, adeoque ante illam adoptionem jure conjugii erat illius Pater, ideoque jus paternum habebat in illum, & vicissim Christus jus filiale in Divum Iosephum ad omnia officia & obligationes Patris: fuisset ergo illa adoptio semper minor hoc prætactò priore vinculo.

CAPUT VII.

An ideò Divus Iosephus Pater Christi, quia ipsum nutrit ac si Filius suus fuisset?

I.  UOD Divus Iosephus Christi fuerit nutritus nulli dubium est: Quod ad hoc ab aeterno electus sit à Deo, quodque de facto illum ab utero matris in se projectum reverentissimè exceperit, sollicitissimè curavit, peramantissimè aluerit, quo usque ejus opera & curâ nò amplius indigere voluit manifestum est, idque majori amore, curâ, sollicitudi-

ne, diligentia, & pietate incomparabiliter, quam ullus Pater etiam carnalis suam prolem, utpote prolem divinam à Deo ad suam totiusque mundi salutem demissam, suæque fidei & curæ, inconceptibili & ineffabili dignatione, commissam: Voluit, inquit noster Christophorus Avendano Serm. de Sancto Iosepho §. 3. Interprete R. P. Joanne Freyelinck Ord. Præd. Spiritus sanctus cum Divo Iosepho patrii opus Incarnationis. Fecit enim cum Divo Iosepho ut facit urbs Veneta, quæ constructa est in aquis. Respublica illa ædificat id quod est sub aquis, civis autem quod supra eminet in præjectis fundamentis excitat. Sic Spiritus sanctus cum Divo Iosepho divisit opus Incarnationis. Quod ergo in occulto uteri virginalis faciendum erat, hoc Spiritus sanctus operatus est construens humanitatis fabricam, ut propterea Beatissima Virgo, Arnoldo Carnotensi in lib. de Laudib. Virginis dicta sit *Officina Spiritus sancti*: hoc autem factò cœpit Sanctus Patriarcha suam operam ad illum adhibere, sacram illam humanitatem de suo alere, ut paulatim exurgeret fabrica corporis futuri lytrum nostræ Redemptionis. Hæc famosus ille Catholicus Hispaniarum Regis Ecclesiastes ordinarius. Quare cum ei qui se tibi exhibet ut Patrem, vicissim ei te ut filium exhibere oporteat, hinc Divum Iosephum Christi Patrem dici volunt plerumque, adeoque Christum vicissim erga illum se gessisse ut decet filium erga Patrem, & inde omnia ejus magnalia profluxisse.

II. Hæc sententia est Origenis Homil. 17. in Lucam ab initio: ubi sic loquitur: *Lucas qui scripsit Spiritus sanctus veniet super te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, propter hoc & quod natum fuerit ex te sanctum, vocabitur filius Dei; & qui manifeste nobis tradidit quoniam Virginis Filius IESVS est, nec de humano conceptus est semine: Iste Patrem ejus Ioseph testatus est dicens. Erant Pater illius & mater admirantes super his quæ dicebantur de illo. Quæ igitur causa extitit ut eum qui Pater non fuit, Patrem esse memoraret? Qui simplici expositione contentus est dicit, honoravit eum Spiritus sanctus*

R 13

sanctus Patris vocabulo, quia nutrierat Salvatorem.

III. Idem Origenes ibidem Homil. 19. circa medium explicans hæc verba: *Remansit puer Jesus in Ierusalem, & non cognoverunt parentes eius,* sic scribit: *Quomodo in Ioannis Evangelio scriptum est quando insidiabantur ei Iudæi, & elapsus est de medio eorum, & non apparuit, sic & nunc puto remansisse puerum in Ierusalem, & parentes eius ubi remanserit ignorasse: Nec miremur parentes vocatos quorum alter ob partum, alter ob obsequium, patris & matris meruerunt vocabula, ita sibi constar in suâ opinione Origenes, quem sequuntur alii plurimi.*

IV. Sed nec hæc sententia mihi placet. Primo, quia nutritius præcisè non est Pater, sed tantum gerit se ut Patrem erga prolem alterius ac si ipse esset eius Pater. Secundo, quia sola nutritio non sufficit ut possit poni nutritius in Genealogiâ illius quem nutrit: At D. Iosephus ponitur in Genealogiâ Salvatoris, & per ipsum ut per Patrem deducitur Genealogia Salvatoris: ergo est aliquid amplius respectu illius quam Nutritius. Tertio, & efficacissimè, quia cum Pater nutritione seu educatione tantum, voluntate suâ non necessitate seu obligatione nutriat, actus ille nutriendi & voluntas nutriendi (quæ est omninò libera) est primum in Nutricio talis denominationis fundamentum, cum ad illam nihil aliud præsupponatur. At in Divo Iosepho erat obligatio ad alendum Christum in suo Coniugio ex suâ uxore à se nullatenus divisâ, sed sibi in fide conjugali inviolatè conjunctâ conceptum, & ex eâ natum; non ergo actus, vel etiam affectus seu voluntas alendi fuit in eo primum suæ ad Christum Paternitatis fundamentum, sed obligatio illa alendi, seu melius illud ex quo illa obligatio alendi: nec potuit Divus Iosephus abdicare à se obligationem alendi Christum, sic ut præfertur in coniugio suo ex suâ conjugè inviolatâ progenitum, ut potest quisvis Pater simpliciter nutritius, ergo Divus Iosephus est aliquid amplius quam Pater nutritione.

V. Id ipsum confirmatur ex Divo Augustino lib. 2. de Consensu Evangelista-

rum cap. 1. à nobis cap. præcedenti adducto: ubi docet Divum Iosephum fuisse multò conjunctius Patrem Christi ex suâ conjugè concepti, quam si aliunde fuisset adoptatus: Cum enim adoptio præter aduocationem & affectum ac voluntatem alendi, inducat etiam obligationem alendi & alia, manifestum est quod Paternitas ex adoptione strictior sit illâ quæ est ex solâ nutritione seu educatione: Cum ergo Divus Iosephus ex mente Divi Augustini citati, sit Pater ejus qui ex uxore suâ ei conceptus est & natus, multò conjunctius quam si esset aliunde adoptatus, sequitur à fortiori quod multò conjunctius sit Pater illius quam nutritione.

VI. Ut igitur ea quæ hæctenus diximus sub compendio recolligamus, dicendum, quod licet Lucas & Beata Deipara Divum Iosephum vocent Christi Patrem, nefas est tamen dicere ipsum esse illius Patrem generatione. Nihilominus falsum etiam est dicere ipsum esse tantum Patrem illius putativè, & ex solâ vulgi existimatione: quare cum sic ab illis, seu verius à Spiritu sancto per os illorum loquente, Pater vocetur, omninò necessarium est ut aliqua vera ratione sit quod dicitur: ad quod tamen non sufficit quod dicatur Pater nutritione, vel adoptione, quare ulterius progrediendum & videndum quâ ergo ratione sit verè Pater Christi? & in quo consistat notio & character hujus admirabilis Paternitatis?

CAPUT VIII.

An possit Divi Iosephi Paternitas dici esse substitutionis legalis vel ad illam reduci?

QERTUM est ex dictis cap. 3. per totum & cap. 6. num. 1. Divum Iosephum non esse Patrem Christi generatione, nec affinitate: pater etiam ex duobus Capitibus immediatè præcedentibus rationem hujus paternitatis non evacuari per adoptionem vel nutritionem: eum

Cum ergo ex dictis cap. secundo n. 2. & sequentibus, quinque sint tantum acceptiones vocis Patris, & ex illis restet tantum illa quæ est ex substitutione legali, videtur ergo sequi Paternitatem Divi Josephi de hac, quæ est substitutionis legalis, intelligendam.

I L. Pro hujus resolutione difficultatis nota quod paternitas legalis substitutionis sit illa ut monuimus iterum supra c. 2. num. 4. quæ describitur Deuteronomii cap. 25. num. 5. his verbis: *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen eius ex Israel.* Paternitas ergo hæc divina est, quippe ex Dei lege & ordinatione descendens, immo adeo stricta, ut omnes effectus carnalis Paternitatis produceret: nam propter illam ut propter carnalem, filius portabat nomen Patris legalis, non verò carnalis: ejus hereditatem adibat & non patris carnalis: ejus Genealogia per legalem, ut aliorum per patrem carnalem deducebatur: ut constat Parte I. Tract. 2. cap. 6. Sect. 2. Ex quo patet quàm stricta fuerit hæc Paternitas: ita sanè ut nulla ita accedat ad paternitatem carnalem. Cum ergo Christi Domini Genealogia à Divis Matthæo & Lucâ per Divum Josephum deducatur, videtur omninò sequi ex hæcenus dictis, ut Divi Josephi Paternitas ad eundem Christum revocanda sit ad hanc quæ est ex substitutione legali.

III. Verumtamen etsi Paternitatis Divi Josephi ad Christum iidem sint effectus qui legalis paternitatis, non ideò tamen verè & propriè paternitas ejus paternitas legalis: quemadmodum nec hæc paternitas legalis potest dici carnalis, ex eo quod ex Dei ordinatione eodem habeat effectus quos carnalis, & patet evidenter ex verbis legis mox citatis, quæ nullo modo quadrant cum D. Josephi Paternitate, & quidem nullus est, quod sciam, qui in hoc dissentiat, sed quæstio alia suboritur, an saltem ad hanc legalem paternitatem reduci possit?

IV. Affirmant Jacobus de Valentia Epif-

copus Christopolitanus Augustinianus in Exposit. super *Magnificat.* explicans illa verba, *Quia fecit mihi magna qui potens est & sanctum nomen ejus.* Post medium ad textam Beatæ Virginis dignitatem, & P. Joannes Carthagena Ordin. Minor. tomo 4. lib. 18. homil. ultimâ, sed diversimodè. Namque

Jacobus de Valentia sic explicat, quod nimirum Deus tanquam pater D. Josephi eique ideò omnibus propinquior Josepho Christum suscitavit in ejus uxore Mariâ. Cui si opponas legem illam Deuteronomii cap. 25. de substitutione legali, non habere locum nisi quando mortuus erat absque liberis ille cui oportebat suscitare semen, ut patet ex textu legis, tunc autem Divum Josephum non fuisse mortuum. Respondet Valentia licet non esset mortuus quoad cætera opera vitæ, fuisse tamen quoad generationem per votum continentia.

VI. Quod si replices in lege non fuisse præceptum ut pater suscitaret semen filio suo, sed frater fratri: Respondet idem Jacobus de Valentia, licet id ita sit, tamen in figura hujus mysterii id semel in lege naturæ contigisse Genes. cap. 38. in Thamar quæ congressa est cum Judâ Socero suo, ignaro tamen quod illa esset Nurus sua, & hoc eo fine, ut Judas in se suscitaret semen duobus filiis suis, quos ipsa successivè habuerat maritos, & qui mortui erant abique prole. Additque Valentia id Thamar ex divinâ fecisse inspiratione, nec illi imputari ad seortum, sed ad justitiam, cum ibidem vers. 26. dicat de illâ *Judas justior me est.*

VII.] Sed ad primum dico, si valeret aliquid responsio Valentia ad objectionem num. 5. ipsi factam, cum probatus sterilis, esset pariter mortuus quoad generationem, & quoad illam magis mortuus quàm voto ligatus, debuit quoque secundum hoc pater filio aut frater fratri sterili adhuc viventi, in illius uxore suscitare semen, quod est falsum.

VIII. Ad secundum decipitur vehementer Valentia quando arbitratur Deum inspirasse Thamar ad nefandû illum cum Socero suo coitum, ex quo suscepit prolem gemellam, Pharez & Zaram, unum pro uno

uno, alterum pro altero è filiis Iudæ maritis suis sine liberis defunctis, falsumque est omninò factum istud non debere imputari ad scortum; cuius Deus author esse nequit.

- IX. Nec refert quod Iudas de illâ dixerit *Justior me est*, hoc enim non significat illam non peccasse: Immò gravius omninò peccavit in hoc quàm Iudas: hic enim simpliciter fornicatus est, quia erat viduus, nec illam cognoscebat pro Nuru suâ: Thamar autem commisit primò nefandum incestum, quia de industriâ voluit copulari Socero suo. Secundò, quasi adulterium, quia erat desponsata Sela filio Iudæ, & Fratri duorum priorum Maritorum suorum sine liberis defunctorum. Videtur enim ex tunc lex illa de suscitando fratri sine liberis defuncto semine, fuisse in vigore: Ampliusque confirmatur coitum illum fuisse illicitum ex eodem cap. libri Genesis vers. 26. ubi expressè observatur, quod post coitum illum, non mansit Thamar uxor Iudæ, ut mansisset si non fuisset illegitimus, sed subjungitur quod *ultra non cognovit eam*, quod scilicet non nisi scelestè facere potuisset.

- X. Dicitur ergo Thamar justior Iudâ, quod Thamar factò isto non ita recesserit à justitiâ spectè sumptâ, prout est virtus particularis, quæ reddit unicuique quod suum est, sicut Iudas denegando Thamarì Sela filium suum conjugem ei debitum, quodque ipse dederit causam isti incestui, quo semen quod Sela fratribus suis, prioribus Thamaræ mariti sine liberis defunctis, in se suscitare tenebatur, & quod injustè Iudas impediabat, ex ipsomet impediente repetebat. Thamar enim cum nupsisset in familiâ Iudæ, ex hoc quod duo mariti sui ex illâ familiâ orti, sine liberis successivè decesserant, eidem se censerebatur adstrictam & insitam, ut non nisi propinquiori de eadem familiâ nubere posset, qui prioribus maritis suis defunctis semen suscitaret: Quare ei Sela tertius filius Iudæ debebatur, cui cum à Iuda injustè denegaretur, non invenit alium modum ut sui voti compos fieret, idest ut in se viris suis defunctis semen suscitaretur, quod fieri debebat à Sela, quàm si cautè, licet non castè, ex ipso

Iudâ injustè impediente & denegante prolem quæreret, & maritorum suorum nomen conservaret: Et sic licet nequior esset Iudâ, tamen justior: Quare non potuit tam abominabilis & nefandus incestus esse typus, & figura adeo puræ & sanctæ Christi Domini per Spiritum Sanctum in utero Virginis efformationis.

Alio modo explicat P. Joannes Carthagena citatus & alii, hanc Divi Iosephi ad Christum paternitatem per substitutionem legalem, manendo in terminis legis, quæ jubet ut frater, idest propinquior, fratri sine liberis defuncto suscitet semen. Nullus, enim, inquit Carthagena est virginibus propinquior Spiritu sancto: quia Virgines licet in carne existentes, non tamen secundum carnem vivunt, sed secundum spiritum: Et ideo Spiritus sanctus tanquam propinquior Divi Iosephi carne defuncti ob votum virginitalis, & sic sine prole, & sine nomine in Israël futuri uxorem illius sibi desponsavit Beatissimam Virginem, ei que in illâ filium suscitavit.

Sed licet fatear hanc explicationem esse subtilem, nec rejiciendam in sensu spirituali, mystico, seu accommodatio: Redit tamen, primò, quod mox dicebamus ad præcedentem Jacobi de Valentia explicationem, quod lex illa Deuteronomii cap. 25. de suscitando semine fratri per fratrem, non habebat locum, nec intelligi potest ullo modo, nisi de illis qui erant verè & realiter mortui. Secundò, quod propinquitas illa Spiritus sancti à Carthagena asserita ad Divum Iosephum uti Virginem, est nimis metaphorica. Tandem Paternitas Divi Iosephi ad Christum longè strictior est & excellentior hæc Paternitate ex legali substitutione, ut patebit ex dicendis: quare alia nobis via hanc explicandi quærenda est.

CAPUT IX.

Communissima Sententia de D. Iosephi Paternitate respectu Christi Domini.

- I. **S**ENTENTIA his temporibus ab omnibus recepta, est Divum Iosephum ea propter esse in re, & dici in Evangelio Patrem Christi, quia Christus fuit fructus conjugii ejus cum Beatissima Deiparâ, utpotè non tantum conceptus & natus ex uxore suâ, sed etiam existente vero & rato inter utrumque matrimonio, Deo has eorum virginales nuptias, & citra ullam eorum conjunctionem maritalem, fructu matrimonii ad cumulatissimam felicitatem benedicente, & eorum virginalem in conjugio continentiam in omnibus retro sæculis inauditam divinissimâ hâc ratione remunerante.
- II. Itaque tria omninò supponit hæc gravissima sententia; Primum, quod verum inter D. Iosephum Beatissimamque Deiparam intercesserit matrimonium: Secundum, quod Christus non ante illud, sed illo jam existente, in Mariâ Virgine & intactâ conceptus sit Spiritu sancto suâ ei virtute obumbrante. Tertiū, quod cum per matrimonium istud essent uterque facti indivisibiliter una caro, in Christi conceptione hæc unitas non fuerit divisa, sed permanserit Maria semper & Deo intemerata, & viro semper in fide conjugali conjuncta: Caro enim conjugaliter unita non dividitur aut scinditur nisi per adulterium.
- III. Ex quibus per se claris atque à nobis Tract. præcedenti sufficienter probatis, omninò consecrarium est, quod licet Divus Iosephus non concurrerit officialiter ad Christi generationem, attamen cum talis generatio facta sit in ejus conjugio, sic, ut præfatum est, sibi conjugaliter unita, seu potius & melius, cum ipso caro una, fructus utrique jure adscribendus sit: atque adeò consecrarium est, ut ipse non fuerit expers ne per aliquem specialissimum modum innominabilem (utpotè

singularem & sine exemplo) esset Pater Christi Domini; idque multò strictius ac feliciter quam si fuisset ullo ex quatuor posterioribus modis hic supra cap. 2. num. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. enumeratis.

IV. Probat hęc sententia primò, ex Scripturâ Matthæi cap. 1. *Jacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus*, per quod innuit sacer Evangelista ideò D. Iosephum tenere locū Patris in Genealogiâ Salvatoris, & per D. Iosephum Christi ex Abrahamo & Davide carnalem descensum deductum, quia Ioseph fuit *vir Mariæ de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus*.

V. Probat hęc sententia a priori hæc ratione Theologicâ, quia per matrimonii vinculum vir fit Dominus corporis suæ uxoris, & è contra, ita ut docente Apostolo 1. Corinth. cap. 7. vers. 4. *Mulier corporis sui potestatem non habet sed vir, & vicissim*. Quin immò vir & uxor ex sententiâ Christi Domini Matth. c. 19. v. 6. *Iam non sunt duo, sed una caro*, idque maximè in ordine ad prolem, sicut ambo in ordine ad eandem sunt una causa totalis: Unde pater quod fructus qui stante Divi Iosephi cum Divâ Deiparâ conjugio conceptus est & natus ex Virginis corpore, non tantum sit Virginis, sed etiam Divi Iosephi, utpote cujus erat corpus Virginis jure matrimonii: unde eleganter ad rem & efficaciter Rupertus Abbas de Glor. & Honor. filii hominis lib. 1. in Matth. cap. 1. *Magnum & verum nomen Beato Iosepho Evangelistâ attribuit, quia si est vir Mariæ, est & Pater Domini*, & longè ante ipsum Divus Justinus Martyr cognomento Philolophus quæst. 133. ad Gentiles. *Quod enim ex feminâ aliqua sine stupro nascitur, id necessariò est filius viri & feminæ, quo pacto vult Deus dare filios viro, aut per conjunctionem, aut citra conjunctionem*.

VI. Confirmatur & probatur tertio, hæc sententia ex dispositione juris tit. de rerum divis. §. *Cum in suo solo*, ubi sic decernitur: *Quod in alieno solo feritur aut edificatur, sub illius dominium cadit cuius est solum*. Et quod in agro meo nascitur, meum est: Cum ergo hortus ille conclusus

conclusus Cantic. c. 4. vers. 12. Corpus dico superbenedictæ Matris Dei, jure matrimonii esset Divi Iosephi, quando concepit Christum, nec ullo modo per istam conceptionem ab eo divisum fuerit, ut constat (separatur enim tantum per actum illicitum, qui non est inventus in Virgine) fructus etiam illius dulcissimus Iesus D. Iosephi fuit.

VII. Quamvis hæc res per se clarissima sit, obijciunt tamen sic aliqui, licet hic fructus, scilicet Christus Dominus, conceptus sit & natus ex Mariâ D. Iosephi conjugè, & in ipsius conjugio, non tamen naturaliter, sed supernaturaliter, idest virtute Spiritus sancti, qui illum in Virgine de Virgine efformavit, est de fide: non ergo potest Divo Iosepho hic fructus attribui, aut ullum jus in illum ei competere, sed omnino totus est Spiritus sancti: Respondeo negando consequentiam: proles enim quæ in legitimo conjugio nascitur, conjugum est, quomodocumque nascatur, sicut seges nata in agro meo sterili, arbor, fons, flos, miraculosè ortus in horto meo meus est: quare sicut Christus verè Beatæ Virginis est filius, etiam si ex eâ miraculosè sit conceptus & genitus, sic & idem jure conjugii est Divi Iosephi filius, etiam si ex conjugio non naturaliter sed miraculosè sit genitus.

VIII. Addo longè potiori jure Christum pertinere ad Divum Iosephum quam seges illa, arbor illa, fons vel flos ille miraculosè in horto vel agro ortus pertineret ad Dominum agri vel horti: tum quia ager & hortus ille tantum de jure humano pertinent ad Dominum, seu illum, cujus dicuntur ager vel hortus, corpus autem Divæ Deiparæ ad Divum pertinet Iosephum de jure divino, idque duplici titulo: Primo, generali & ipsi cum cæteris conjugatis communi, scilicet ex institutione matrimonii, quæ divina est, & à primâ rerum constitutione, per quod conjuges sunt una caro in ordine ad prolem: Secundo, speciali; quia fuit à Deo specialissimè, & ex singulari privilegio & dispensatione D. Iosepho Beatissima Deipara tradita, & ipse ad illius conjugium electus & elevatus, ut

per hoc fieret Pater illius divinissimæ Proles, quæ ex eâ nascitura erat.

Fateor hanc sententiam valdè favore Divo Iosepho, locupletissimè innuere quàm magna sit ejus paternitas, quàm sit stricta conjunctio & affinitas quam habet ex eâ cum Christo, mirificeque per illum illustrari, atque apparere illam supra modum eminere cæteris paternitatibus, quæ non sunt per generationem.

Verumtamen hoc necdum mihi plenè satisfacit, neque enim omnino evacuat id totum quod est in istâ D. Iosephi paternitate, & in quo verè ac formalissimè consistit hæc singularis & admirabilis paternitas, quæ nullam unquam similem habuit, aut habitura est: quod antequam proferam, prius præstruendum quomodo ad illam paternitatem sit à Deo electus? an scilicet directè & in se immediatè? an verò indirectè tantum & mediatè ac in alio? ex hoc quippe omnino pendet id totum quod de eâ singulariter dicturi sumus.

CAPUT X.

Quomodo Divus Iosephus electus sit ad Christi Paternitatem.

NOTANDUM duplicem esse electionem seu volitionem alicujus rei: una est directâ, alia indirectâ: Directâ, est illa quâ aliquid in se actu positivo ad ipsum immediatè terminato volumus: indirectâ, quâ tantum mediatè & in alio cum quo habet connexionem, quodque ex illo videmus secuturum.

Igitur propositæ quæstionis hic est sensus: an scilicet actu positivo & voluntate expressâ, & directâ, ac ad Divum Iosephum in se terminatâ dixerit Deus, volo Iosephum esse filii mei Patrem? an verò sic, volo Iosephum esse Matris filii mei Sponsum & conjugem, ex quo videbat consecuturum ut esset Filii sui Pater, quod est indirectè, mediâtè, & in alio tantum voluisse ut esset Pater filii sui.

Authores

III. Authores præcedentis Sententiæ videntur tantum hoc secundum velle: Ego verò plus volo, & dico Deum directè, & actu immediatè ad ipsum Divum Iosephum terminato, voluisse ut esset Filius sui Pater. Probatur primò, ex illo Matthæi cap. 1. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ de quâ natus est IESVS, qui vocatur Christus*, tibi vides quod quando primùm Scriptura loquitur de D. Iosepho, ejusque magna-lia profert, non potuit ipsum dicere Sponsum Virginis, quin statim ac simul & semel exprefferit Patrem Christi, quod & ferè semper, quoties de illo incidit sermo, Evangelium observavit: Quæ verò hujusce rei genuina ratio, nisi quod D. Iosephus, licet fuerit ab æterno electus, ut esset Sponsus Virginis, non tamen hoc solum, sed etiam ut esset Pater Christi, eumque ut Pater filium sollicitè curaret, & hoc præcipuè?

IV. Et licet primò dicatur quod fuerit vir Mariæ, quam insinuetur Pater Christi, id idèò contigit, quia primò fuit Sponsus seu vir Mariæ in executione quam Pater Christi, ut constat. Sed quia primum in executione est ultimum in intentione, & è contra juxta doctrinam omnium Philosophorum, hinc manifestè sequitur quod asserimus quod D. Iosephus fuerit primariò & principaliter in intentione Pater Christi, secundariò verò Sponsus Virginis.

V. In hujus quoque asserti nostri confirmationem observanda phrasia Sacræ Scripturæ Luc. cap. 2. vers. 33. ubi sic dicitur: *Et erant Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo, cur quæso dicit sic. Erat Pater ejus & Mater mirantes, &c.* dividendo, non verò potius sic, *Erant Pater & Mater ejus mirantes, &c.* conjungendo? hoc enim ultimum aptius videbatur & concinnius. Certè cum teste D. Petro Chrysolologo serm. 146. *Non apices, non litteræ, non syllabæ in Evangelio divinis sint vacuæ mysteriis*, opinor per hoc Evangelistam istum Mariæ scribam, & Divi Iosephi præconem præcipuum, à Virgine instructum, & ex Mariæ dictamine, insinuare voluisse, D. Iosephum non ex vi conjunctionis cum Beatâ Deiparâ primariò esse Patrem Iesu, sed

de per se; & ex vi electionis directè, immediatè, & primariò ad ipsum terminatæ.

Probatur ibidem iterum ex magnâ differentiâ utriusque voluntatis directæ, dico, & indirectæ, & ejus dispositionis ac propensionis erga illa quæ ipsa directè vult, & quæ indirectè: quæ enim directè volumus, ea propriè & in se volumus & appetimus, & in ea prono & benevolo, amico & efficaci ferimur affectu: quæ verò indirectè tantum & consequenter, ea improprie tantum & negativâ quâdam admissione volumus in causâ cum quâ habent connexionem, quam si non haberent sæpè nollemus & averfaremur, quod signum est magni & intensi affectus & appetentiæ illius quod directè volumus, non hujus quod indirectè tantum, quandoquidem & hoc sæpè propter illud inviti velimus, ex eo quod illud sine hoc obtinere non possemus: cum ergo nihil repugnet quo minus Divus Iosephus hæc directâ voluntate fuerit in Patrem Christi electus, quare non hæc, sed illâ voluntate indirectâ electum existimarem & dicemus?

Non ergo plenè evacuat præcedens sententia id totum quod est in D. Iosephi paternitate, cum ex eâ omninò sequeretur quod indirectè tantum, per accidens & negativâ quâdam permissione electus sit in Patrem Christi: si enim idèò præcisè est Pater Christi, ut vult ista sententia, quia fuit Sponsus Virginis, non ergo alio actu voluit Deus illum esse Patrem, quam eo quo voluit esse Sponsum, in quo vidit sequiturum ut esset Pater: At hoc modo velle, est tantum velle in alio, indirectè, mediatè, per accidens, & negativâ admissione, ergo &c.

Negabis fortè ejusmodi illationè cum P. Francisco Amico & Societate Jesu in alia tamen materiâ: quia, inquit Franciscus Amicus etiam illa quæ in aliis tanquam in causâ volumus, directè velle possumus, possum enim per causam directè tendere in effectum, & tunc effectus ex causâ secutus, erit mihi directè voluntarius: ut si v. g. mediâ potionem venenatâ procurem mortem Symphronio: mors Symphronii secuta

ex istâ potione venenatâ tanquam ex causâ, dicitur mihi directè, non verò indirectè voluntaria, quia directè est à me per talem causam intenta: Eâdem ergo ratione potuit Deus per conjugium Divi Iosephi cum Diva Deiparâ, directè tendere ad paternitatem D. Iosephi respectu Christi Domini.

IX.

Respondeo vehementer hallucinari objicientem, in eo quod non distinguit inter esse volitum in se, & volitum in alio, & inter esse volitum propter se, & volitum propter aliud. Primum, significat causam & effectum: Secundum, finem & medium: & quidem ultrò fateor finem & medium, seu volitum propter se & volitum propter aliud posse esse, & esse de facto directè volita, sed hæc non nisi duplici actu, intentionis scilicet circa finem, & electionis circa media: nego autem in alio tantum volitum posse esse directè volitum.

X.

Et quamvis medium possit esse & sit de facto causa sui finis, ut in exemplo allato de potione venenatâ in mortem Symphronii: non tamen idè finis ut effectus est directè volitus, quia volo medium ut causam illius, sed quia finis ut finis per se & in se prius fuerat intentus, quam tenderetur in illum per medium ut illius causam: unde si potio venenata v. c. (ut ne ab allato discedamus exemplo) præcisè consideretur ut causa, ex quâ sequeretur mors Symphronii si illi daretur (quo pacto mors Symphronii nullo modo erit intenta, nec ullam habebit ratione finis respectu potionis) dico tunc quod præcisè volendo dare potionem istam venenatam, ex qua prævisa est mors Symphronii secutura voles tantum potionem dare directè & in se; mortem autem Symphronii indirectè & in potione, & consequenter mors Symphronii secuta ex potione venenatâ, eatenus tantum mihi erit directè voluntaria, & non aliter, quatenus per me intenta fuit ut finis, priusquam de illâ potione venenatâ portigendâ cogitarem, vel decernerem, aut per illam in dictam mortem Symphronii tendere voluissem.

XI.

Instabis, potuit Deus directè intendisse ut D. Iosephus esset Pater Christi per conjugium ipsius cum Divâ Vir-

gine, sicut potest intendi mors Symphronii per potionem venenatam: ac sicut potio venenata est causa mortis Symphronii, ita conjugium cum Divâ Virgine erit causa Paternitatis Divi Iosephi.

XII.

Respondeo primò, non esse paternitatem in casu exemplificato, quia matrimonium non est causa influens in Paternitatem aut filiationem sicut potio venenata in mortem Symphronii, unde non potest per matrimonium uti per causam poni Paternitas, sicut potest per potionem venenatam poni mors Symphronii.

XIII.

Ex quo magis patet prærogativa huius nostræ Sententiæ supra communissimam illam capitæ præcedentis: Matrimonium enim non fuit nec potuit esse medium vel causa Paternitatis in Divo Iosepho quemadmodum nec est in aliis Patribus, qui sunt tales per generationem, sed fuit conditio sine quâ non, quatenus scilicet sicuti si Divus Iosephus debuisset esse Pater Christi per generationem, non utique aliter fuisset quam in matrimonio: ita planè nec modo hoc extraordinario quo factus est Pater, idest circa conjunctionem, aliter fuit quàm in matrimonio.

XIV.

Respondeo secundò, concedendo quod potuerit Deus directè intendisse ut Divus Iosephus esset Christi Pater, & hanc suam intentionem voluisse exequi, & de facto executum fuisse per ipsius cum Divâ Virgine matrimonium: sed ex hoc non sequitur quod Divus Iosephus idè sit Pater Christi quia Sponsus Virginis, nisi ad summum à posteriori & in executione, sed potius è contra idè fuisse Sponsum Virginis, quia electus fuerat directè ut esset Christi Pater. Quare

XV.

Dico secundò, non tantum Divus Iosephus electus est directè immediatè & in se ut esset Pater Christi, sed etiam primariò & principaliter, secundariò verò & consequenter tantum ut esset Sponsus & conjux Sanctæ Virginis. Tum quia in Sacro-sancto Incarnationis Mysterio omnia primariò & principaliter propter Verbum, tum etiam quia & quod electus est Sponsus Beatæ Virginis, id maximè propter verbum

Verbum, ut scilicet partus ejus celaretur diabolo, & ne Judæi possent habere pretextum Christum despiciendi & abjiciendi tanquam illegitimum.

XVI. Confirmatur hæc doctrina ex Evangelio, nam Matthæi cap. 2. vers. 13. dicitur, *Eccæ Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens, surge, accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Egyptum, &c.* & infra vers. 19. & 20. *Defuncto autem Herode: Eccæ Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Egypto dicens, surge, accipe puerum & Matrem ejus, & vade in terram Israël, defuncti sunt enim qui querebant animam pueri.* Ubi vides semper primò puerum commendari D. Iosepho, deinde Matrem ejus, ut ex hoc agnoscas ipsum propter puerum, primò præcipuè electum, deinde propter Matrem.

XVII. Querit Ugo Charenis in cap. 2. Matthæi cur Divus Iosephus in Evangelio dictus fuerit vir Mariæ antequam illa JESUM pareret, ne utique autem amplius postquam JESUS editus est in lucem: & respondet Ugo ad illa verba: *Invenimus puerum cum Maria Matre ejus, ex mente Divi Hilarii hoc modo, Dicit Hilarius super istum locum, quod Ioseph non legitur post natiuitatem Christi vir Mariæ dictus, in quo innuitur, quod ante natiuitatem vir ejus dicebatur quasi nutricius ad officium: sed post natum puerum non amplius dicitur vir, ut per hoc insinuetur quod Christo nato poterat ei pueri solatium sufficere. Ita Ugo Charenis.*

XVIII. Malim ego nec ut arbitror minus aptè per id insinuari Divum Iosephum totum utpote primariò & directè ut hîc asserimus propter Christum electum: quare eo jam nato, & in lucem edito, quando tunc ejus officium principale erga puerum requirebatur, cessat Scriptura tum vocare virum Mariæ, & vocat Patrem JESU, utpote qui jam totus erat Christi.

XIX. Tandem in hujus nostri asserti confirmationem huc revocari possunt optime quæ à nobis dicta superius part. 2. tract. 1. Prologo 6.

XX. Non ergo tantum cogitavit Deus directè de Virgine, quando quidem ei destinavit D. Iosephum, ut haberet puritatis & innocentia suæ Custodem,

Tutorem, Testem, & Assertorem, verbo Sponsum, & conjugem, sed maxime de Verbo, ut haberet Patrem: quare uti verè Rex est, & meritò Rex appellandus, non ille solum ad quem Regnum jure devolutionis & successionis pervenit, sed etiam ille qui ad illud viâ electionis est euectus: Eodem planè modo nostro Sanctissimo Patriarchæ verè & propriè nomen Patris competit, & tribuitur justissimè: quamvis enim non sit Pater Christi naturâ seu generatione, est tamen Dei electione ex voluntate quæ efficacissima est, cum cum ad id elegerit Deus inter omnes homines, utpote tanquam solum tantæ dignitatis capacem, imò expressè condiderit ut esset Christi Pater ut diximus supra part. 1. tract. 1. Prolog. 8.

CAPUT XI.

Vera de veritate Paternitatis
D. Iosephi ad Christum
Sententia.

HABET Christus duplicem Patrem, unum in Cælis, alterum in terris: unum secundum quod Deus est ab æterno: alterum secundum quod homo est in tempore: certum enim est, & certissimum in divinis esse tres Personas, quamvis unicus sint Deus; & primam istius Trinitatis Personam esse verè Patrem secundæ: certum quoque est Divum Iosephum esse ejusdem secundæ Personæ, quatenus homo est, Patrem, & ita verè Patrem in doctrinâ Sancti Augustini sicut verè est Sponsus Beatæ Virginis. *Non tantum*, inquit ille Sanctus Doctor lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 11. *illa Mater, verum etiam ille Pater ejus sicut conjux Matris ejus.* Ex quo hoc conficimus argumentum. D. Iosephus ex Augustino est Pater JESU sicut est conjux Matris ejus. Sed est verissimè conjux Matris ejus, ut docent omnes Theologi, immò censent alii, qui esse de fide propter loca illa Scripturæ clarissima, *Vir Mariæ de qua natus est JESUS qui vocatur Christus*, Matth. eap. 1. *Ioseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Et alia Tractatu præcedenti Cap. 1. ergo

eodem modo, idest verissimè est Pater Jesu. *ille Pater eius sicut coniux Matris eius.* Nec hoc ullatenus in dubium revocandum: Nam ut prosequitur ibidem Divus Augustinus, *Non enim potest mentiri Evangelium ubi legitur, Erant Pater Jesu & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo: Et hæc Beata Virginis ad Filium, Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te: & alia loca non pauca ejusdem virtutis & significationis.*

II. Verum quidem est hoc videri mirum nostræ rationi ex eo quod eum ipse minimè genuerit: Sed hoc non obstante debemus sincerè fideliterque credere talem esse, quandoquidem Deus qui nec falli potest nec fallere, ita dixerit, & ut firmius illud credamus cogitandum cum Dei potestas sit infinita & incomprehensibilis ipsum habere secreta quæ nec capere nec assequi possumus: ut proinde hæc in re, in quâ tam clarè se expressit Deus in Scripturis suis nullatenus dubitare liceat an ita sit.

III. Solùm restat difficultas in hæc Divi Iosephi, & illâ Patris æterni Paternitate, in quo sita sit utriusque ratio Paternitatis. Nam quoad primam: quomodo, quâve ratione prima Persona Sanctissimæ Trinitatis sit Pater secundæ non verò tertiæ, quis huc usque extricavit? Scio quidem primam Personam dici Patrem secundæ non verò tertiæ, eo quod illam genuerit non hanc: sed cum processio tertiæ, scilicet Spiritus sancti à Patre & Filio, sit processio viventis à vivente, æquè ac processio Filii, eandemque naturam divinam ex vi suæ processionis accipiat Spiritus sanctus, quam Filius ex vi suæ, quid causæ est quod processio Spiritus sancti non æquè erit & dicetur generatio, ut processio Filii? Nemo huc usque hunc nodum solvit, nisi nemo unquam solvet, juxta illud Matthæi c. ii. vers. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem novit quis nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.*

IV. Nec explicatio quæ est communis Doctorum Ordinis nostri, Corneio, Marasæ, Lezanæ, Lao, Zagaglia, Irenæi, Augustini à Virgine Mariâ, Sal-

manicensium post Doctorem Resolutum, nostrum dico Joannem Bachonium in 1. dist. 10. quæst. unicâ art. 5. quam doctissimè explicat & tradit nosse Henricus à S. Ignatio in suâ Theol. Scholasticâ tom. 1. dist. 17. art. 1. Resol. 2. quæ dicit processionem Verbi potius esse generationem quàm processionem Spiritus sancti, quia processio Verbi est per intellectum, cujus proprius & specificus operandi modus est per assimilationem, non ita voluntatis per quam procedit Spiritus sanctus, plenè solvit nodum istum: quia licet sit probabilissima, sunt tamen adhuc aliæ multæ ex quibus aliqua non carent etiam suâ probilitate, nec hæc suâ difficultatè ut videre est apud Scholasticos.

Idem quod de primo Christi Patre secundum quod Deus est dixi, dicendum de secundo secundum quod homo est, idest de D. Iosepho: Patrem hunc, idest rationem secundum quam Divus Iosephus est Pater Christi, nemo novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare: hinc quemadmodum ibi tot & tam diversæ Theologorum inventiones ut illam rationem explicent, ita etiam hic: Neque hoc mirum: hæc enim paternitas ut illa singularis est, & sine exemplo, cui nulla unquam fuit similis, nec in æternum erit; quia reservata fuit hæc Christo Domino, ista D. Iosepho.

Quate sicut licet nemo plenè extricare possit quomodo prima Persona Trinitatis Sanctissimæ sit Pater, omnes tamen quotquot sunt fideles id firmissimè & religiosissimè credunt, quia Deus ita revelavit: Ita planè licet non capiamus, quomodò quâve ratione Divus Iosephus sit Pater Christi, esse tamen, quia Deus dixit, omninò credendum: & hoc nobis satis.

Itaque in hac materiâ de Divi Iosephi ad Christum paternitate, duplex est quæstio: prima an sit verè Pater Christi? circa quam nihil dubito, nec dubitari volo propter autoritatem Dei in suis Scripturis hic supra c. 1. n. 9. loquentis, quas id tam expressè asserentes in sensu vero accipiendæ esse ostendi cap. 5. idque etiam ex mente Sanctorum Patrum cap. 6.

Secunda

VIII. Secunda quaestio est quomodo quæve ratione sit verè Christi Pater? circa quam, sensum meum profero, verumtamen non nisi juxta dicta hoc c. n. 2. & 5. idest proficiens admodum difficilè esse ne dicam impossibile hoc nosse vel extricare omninò nisi Deus dederit: dedisse verò mihi haud præsumo: sed quia scio asinam homine occulationem, quando Deus dedit, & Caïpham prophetasse, idèd quod mihi quaerenti occurrit produco.

IX. Dico ergo, fundamentum proximum & verum hujus paternitatis singularissimæ & incomparabilis est suppletio causalitatis seu actionis Divi Josephi in productione Christi per Spiritum sanctum in Beatâ Virgine ejus tunc conjuge, ex præsuppositâ electione seu voluntate Dei de ejus in Patrem Christi evectione consequenter ex intentione faciendi ipsum Christi Patrem.

X. Hæc assertio patet ab ipsius explanatione. Deus ergo primò D. Josephum directè immediatè & actu ad ipsum in se terminato elegit, ut vidimus capite præcedenti, ut esset Pater Christi sublimissimo quo fieri potuit modo, quia de suâ Incarnatione voluit utrumque sexum summè honorare & extollere, eo tamen qui Christum decebat modo, quia in hoc divinissimo Mysterio omnia præcipuè & primariò propter Christum. Secundò, cum non decebat Christum ut cæteros homines ex operâ viri in hæc Virgine concipi, continentiam eidem Virgini & Divo Josepho quondam conjungendis inspiravit, & ab utroque obtinuit. Tertio, adveniente tempore divinitus præstituto quo ad executionem istius voluntatis & electionis æternæ procedendum fuit, voluit prius D. Josephum purissimæ Virgini conjugi, quam Christum in hæc concipi. Quarto, denique in ultimam hujus propositi executionem Spiritus sanctus in hanc sacratissimam ejusdem D. Josephi conjugem supervenit eamque virtute suâ fecundavit, sicque D. Josephus foetus illius divinissimi in eâ concepti Pater effectus est. Hæc omnia clarissima sunt.

XI. Cum ergo Spiritus sanctus ex intentione exequendi æterni decreti de Di-

vo Josepho in Patrem Christi evehendò, ad productionem Christi in Virgine processerit, & licet non deceret Christum de viro generari, non tamen prius Virgini obumbraverit eamque fecundare voluerit quàm hæc D. Josepho conjuncta esset, quis non videt manifestè sequi Spiritum sanctum D. Josephi in Virgine vices supplevisse? hæc autem suppletionem quænam aptior ratio fundandi istam D. Josephi paternitatem excogitari potest?

Hanc sententiam tam clarè explicatam eò securius amplector quo video illam fulciri doctrinâ Divi Augustini Tom. 10. serm. 63. de divers. cap. 20. ubi Augustissimus Doctor illis qui velent contradicere Evangelistis, vel illos suggillare quod Christi Genealogiam per Divum Josephum deduxerint, opponit D. Josephum eis hoc modo replicantem. *Quare non per me generationes vel ascenderent vel descenderent?* Et subjungit ipse D. Augustinus. *An dicitur ei quia non tu genuisti opere carnis tue? Sed respondebit nunquid & illa opere carnis suæ peperit?* quasi diceret, non Pro quo vide à nobis dicenda infra hoc Tract. cap. 16. Sect. 3. num. 18. & 19. Tum deinde subdit in rem nostram idem Sanctus Pater. *Quod Spiritus sanctus operatus est, utriusque operatus est.... Sed in eo sexu operatus est hoc quod etiâ marito nasceretur, quid clarius pro asserto nostro? quid enim quæso sonant, quid significant verba ista, Quod Spiritus sanctus operatus est, utriusque operatus est, sed in eo sexu quem parere decebat operatus est hoc quod etiam marito nasceretur.*

Probatur secundo, nostra assertio hoc modo: in generatione ordinariâ & naturali prolis, causalitas viri juncta mulieris causalitati est id quod facit virum Patrem naturalem seu generationem, ergo illud quod est loco hujus causalitatis requisitæ ex parte Divi Josephi in productione Christi, scilicet suppletio istius causalitatis (quam ipse ponere potuisset si decuisset) per Spiritum sanctum in Virgine jam D. Josephi uxore ex præsuppositâ ipsius electione & voluntate directâ de ipsius in Patrem Christi evectione ipsum facit Patrem Christi singulari illo modo innominabili quem Gerson vocat *quasi generationem*,

XII.

XIII.

& quam dico ad eam reduci debere.

XIV. Probatum tertio, ab auctoritate Sancti Petri Damiani Cardinalis episcopi. 31. ubi hæc habet: *Fuit procreatio IESU in Mariâ per Spiritum sanctum de consensu vero vel interpretativo viri sui Iosephi.* Nonne enim hæc significant quod Spiritus sanctus quodammodo Divi Iosephi voluntatem consulit ut Virginem fecundaret?

XV. In hanc quoque Sententiam abiit Eximius Cancellarius Parisiensis Joannes Gerson ante ducentos quinquaginta annos in serm. de Nativ. B. Virg. Mariæ habito coram Patribus Concilii Constantiensis considerat. 4. statim post init. cujus accipe ipsissima verba: *Fuit itaque Ioseph Pater IESU reputatione, fuit Pater curatione quia nutritus, fuit tertio Pater generatione, non quidem suâ, sed Mariæ uxoris suæ cooperante Spiritu sancto, & quodammodo vices Iosephi gerente, non virili semine, sed mystico spiramine.* Cui ad stipulatur Doctissimus ex Societate Jesu P. Salmeron. tom. 3. tr. 38. ubi sic ille: *Virum Mariæ intellige, & intellige in omnibus, exceptâ carnis copulâ, quæ suppleta est per Spiritum sanctum.*

XVI. Itaque cum in formatione prolis, vir & mulier seorsim, sint tantum causa partiales prolis, quæ necessariò debent simul coniungi, ut faciant unam causam totalem & adæquatam: Beata Virgo non potuit se sola Christum Dei verbum concipere, & carne vestire, fuit ergo illi necessaria concausa: hinc ei D. Iosephus Deo volente conjunctus est, cui propterea competebar Christum in Virgine producere, si viâ ordinariâ, idest ex concubitu generari voluisset, ut potuit in Sententiâ Parris Suaris in 3. part. D. Thomæ quæst. 33. art. 4. disp. 10. sect. 3. cui adhæreo. Sed quia nec decuit, nec voluit Christus hæc viâ concipi, idè ex mente hujus sententiæ, Spiritus sanctus concursus ex parte Divi Iosephi necessarium ipse posuit, non quidem eodem modo quo D. Iosephus posuisset, sed alio longe sublimiori & diviniore, ex intentione tamen supplendi vices ejus, & implendi præconceptam ab aeterno voluntatem, quâ constitutum erat ipsum efficere Patrem Christi: non enim, ut clarius adhuc in hæc tam su-

blimi materiâ loquamur, quomodo. cumque, &, ut ita dicam, indifferenter respectu Divi Iosephi, nihilque de eo cogitans Spiritus sanctus obumbravit Virgini, efformans Christum Dominum in Virgine, sed ex intentione & voluntate supplendi vices D. Iosephi? Quid autem hoc est ex intentione & voluntate supplendi vices D. Iosephi: nisi illud faciendi (alio tamen modo) quod facere debuisset, & fecisset D. Iosephus, nisi voluisset Deus de uxore ejus intactâ concipi & nasci.

Ex quo Divus Paschasius lib. 2. in Matth. ad hæc verba: *Ioseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea, &c.* tam verè, tamque propriè Divum Iosephum Christi Patrem esse censuit, ut non dubitaverit dicere: Ortum Christi secundum carnem pertinere ad ipsum, & propterea esse ejus Patrem: Verba ipsius adhuc in superioribus à nobis data non inutiliter hæc repero. *Conjugem autem quare dixerit? etiam inter reliqua, quod nihil defuerit operis conjugii, nisi sola commixtio libidinis, in tantum ut ad Ioseph juxta carnem pertineat ortus Christi, si quomodo dici possit idem per hoc Patrem Salvatoris.* Quomodo enim posset dici quod nihil defuerit operis conjugii, &c.: quod ad Ioseph juxta carnem pertineat ortus Christi. Idest, actio illa quæ productus est, nisi illa fuisset posita nomine ipsius & supplendo vices ejus? *ut per hoc dici possit Pater Salvatoris.* Quam eximium istud D. Paschasii ad nostrum intentum!

Eandem nostram sententiam confirmare videntur ea quæ in Responsorio ultimo tertii Nocturni Matutinarum habebat antiquum Breviarium Ordinis nostri, Bruxellis anno 1480. impressum in Officio festi Sancti Iosephi, ubi sic habetur. *Nunc ad eum vice Patrem, nunc ad sanctam respicit Matrem, per virgineas cervices, gratas alternando vices.* Dicitur namque ibi Divus Iosephus vice Patris Christi, idest generatione, quod scilicet tenuerit locum patris generatione, suppletis ejus vicibus per Spiritum Sanctum.

Id etiam videtur manifestè voluisse insinuare Matthæus cap. 1. referens Christi genealogiam: nam postquam

in illâ dixit de Prædecessoribus Christi, *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob, & sic consequenter, ad Josephum tandem perveniens, non dicit Joseph genuit Jesum, sed mutans stylum dicit, Jacob autem genuit Joseph virum Mariae de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus: Per quod satis insinuat aliam esse Christi generationem quam præcedentium, & Divum Josephum esse Christi Patrem, quandoquidem per ipsum ducatur ejus Genealogiam, non tamen ita ut hunc in eâ generit, sicut præcedentes in Genealogiâ istâ dicti sunt patres subsequen-
tium. Quomodo ergo? Audi ex his, quæ subdit in nostram sententiam. *Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata Mater IESV Maria Joseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Ubi notanda verba illa: Christi autem generatio sic erat. Quasi & Christi productio sit etiam generatio pertinetis quoque ad Divum Josephum, per quem ejus Genealogia deducta fuit, non quia sit à Divo Josepho effectivè & per se, ut cetera in eadem Genealogiâ, quomodo ergo? nisi quia suppletio operationis ex parte Divi Josephi necessaria ad generationem & paternitatem in uxore suâ per Spiritum Sanctum facta, ad Divum Josephum pertinet, & reputatur pro generatione.**

XX. Maximè etiam facit ad confirmationem hujus nostræ sententiæ Divus Lucas qui Evangelii sui cap. 2. non semel Divum Josephum cum Beatâ Virgine vocat communi nomine Christi *Parentem*. Vers. 27. *Cum inducerent puerum IESVM Parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo.* Versu 41. *Et ibant Parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemnâ Pasche.* Vers. 43. *Remansit autem puer IESVS in Jerusalem & non cognoverunt Parentes ejus.* Cum enim *Parentes* dicatur à *Pario*, & significet actionem generandi, quomodo D. Josephus qui non genuit Christum ut Maria, posset dici ejus *Parentes* ut illa, nisi quia Spiritus Sanctus pro eo illum in uxore suâ produxit? Quare cum quod quis per alium facit per se ipsum facere censetur, vocatur Divus Joseph *Parentes* Christi ac si eum pro-

duxisset, quia Spiritus Sanctus illum in Virgine proprio produxit.

CAPUT XII.

Roboratur Assertum nostrum de veritate Paternitatis Divi Josephi absque generatione, per considerationem modi quo Patres generatione sunt, & dicuntur verè Patres.

GRAVIS est apud Philosophos disceptatio in libris de Generatione & Corruptione à quo sit principaliter productio viventium ex semine genitorum, seu quænam sit causa principalis productionis illorum?

Prima sententia est illorum, qui dixerunt causam principalem esse animam ipsius proles, quæ statim ac producta est, seipsam unit materiæ præparatæ & organizatæ per semen: ex eâ enim unione resultat compositum, quod dicitur & est idem quod genitum. Sed hujus sententiæ falsitas dudum detecta est, & ideò à Scholis exulare iussa. Nam primò in Brutis eadem est causa educationis animæ eorum ex materiâ, quæ unionis ad illam: Sed anima proles in brutis nõ educit seipsam, hoc enim est impossibile, ergo nec unit. Secundò, Quare illa ipsa res quæ educit istam animam è materiâ, non posset æquè illam ei unire? Tertio, quia anima nihil agit in corpore, nisi ut actus informans. Atqui ut actus informans, est jam unita corpori: in hac autem sententia esset forma assistens ante unionem, ibique jam operans unionem. Quarto, quia sic posset dici quod proles produceret seipsam, quandoquidem produceretur per aliquid sui. Quintò, quia sic esset falsum quod Pater & Mater verè producerent prolem.

Secunda sententia est Okami in 3. sent. quæst. 3. & Nominalium, qui volunt causam principalem productionis proles esse animam Matris solam, propter proximitatem ejus ad materiam, ex qua producitur proles. Sed & hæc
VY
rejecitur

rejecit, quia sic nullo modo pater concurreret effectivè ad generationem prolis, nec posset verè dici quod genuisset illam, quod est contra còmunem omnium sensum, & etiam contra Scripturam, quæ toties repetit *Adam genuit Seth, Abraham genuit Isaac, &c.*

IV.

Tertia sententia est illorum qui dicunt causam principalem in hac generatione esse ipsum semen utriusque parentis in matrice mulieris commixtum: ratio eorum est quod existiment unionem solam animæ cum corpore esse terminum actionis generativæ: unde cum unio non sit vitalis in se, & aliunde sit tantum modus, nec tam substantia, quam aliquid substantiale, non excedit in perfectione entitatem & perfectionem seminis: potest ergo semen, utpote substantia completa perfectior entitativè unione, unionem illam effectivè & principaliter causare. Ita Pater Comptonus Jesuira de Generat. viventium disp. 2. sect. 3. & alii.

V.

Sed contra, ex hac enim sententiâ sequeretur quod parentes non essent nisi causa causæ eorum quorum dicuntur filii, sive causa remota illorum: causarent enim tantum semen, quod deinde per se & independenter ab illis causaret prolem: Nam causa principalis est quæ vivente sua, id est independenter à quavis aliâ causâ particulari producit effectum. Sed hoc est contra còmunem omnium sensum, & falsum, ergo & illud unde sequitur.

VI.

Confirmatur per ea quæ docet cum omni Philosophiâ ipse Pater Comptonus disp. 18. Physic. de causis in còmuni sect. 2. num. 6. ubi docet causam remotam non esse propriè causam, cum non influat per se in effectum, sed per aliud à se distinctum: ut Adamus non est vera causa Petri qui hodie nascitur, nec ignis A caloris C producti à solo igne B, quæ tamen ignis B antea productus fuerat ab igne A Causa igitur remota non dicitur causa per se, sed per accidens: causa enim per accidens illa est, quæ ablatâ maneret idem effectus & causalitas. Unde arguitur causalitatem illam, & consequenter effectum, non habere dependentiam per se ab illâ causâ remota, sicque dum aqua calida calefacit manum, denomi-

nativè tantum calefactio illa tribuitur aquæ, cum proveniat à solo calore, qui si fuisset in alio subjecto, eodem modo, & eadem numero actione calorem illum produxisset. Cum ergo in hac sententia P. Comptoni, parentes essent tantum cause remotæ eorum, qui tamen dicuntur filii ipsorum, sequeretur quoque eosdem parentes non esse propriè causas filiorum, esse tantum causas per accidens, prolem non habere dependentiam per se à parentibus, ut patet, quod quis unquam admittet? & deinde Scriptura contradicit quæ sic loquitur: *Adam genuit Seth, Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, &c.*

Ad rationem ergo pro hac sententiâ, VII. Respondeo unionem non esse terminum generationis. Primò, quia terminus generationis viventium, de quâ hinc nobis sermo, est similis producenti; definitur enim ab Aristotele hæc generatio. *Processio viventis à vivente in similitudinem nature*: Sed tunc nec unio esset similis semini, nec esset processio viventis à vivente, cum nec semen, nec unio habeant vitam, nec in similitudinem nature, quia semen est substantia completa, unio tantum modus. Secundò, quia terminus generationis debet se habere ut quod, terminus enim actionis est id quod terminat actionem, terminus generationis id quod terminat generationem: unio autem non est huiusmodi, cum tantum se habeat ut quod, & sit ipsa ordinata essentialiter ad compositum, ita ut non possit esse quin sit compositum, immò fortè non distinguitur ab ipsis partibus unitis: Igitur cum compositum seu genitum sit terminus generationis, & id ad quod per se tendit generatio mediante unione: illud autem sit omnino nobilius & perfectius semine, ut patet, non potest semen esse illius causa principalis: ut enim omnes Philosophi, & cum eis P. Comptonus disput. 24. Physic. de causâ efficiente sect. 2. numer. 3. 4. & 5. docet, causa principalis esse non potest, quæ non sit majoris vel æqualis perfectionis in substantiâ cum effectu quem producit, & omnino oportet instrumentalis tantum sit, quæ fuerit minoris cum eo perfectionis.

Denique

VIII. Denique oppono contra P. Comptonum & cum eo sentientes Authores, interrogando quidnam erit causa principalis & immediata ipsius compositi? debet enim necessariò habere unam, quam peto assignari.

IX. Refutatur amplius hæc sententia, quia in brutis cum proles generatur, à quo principaliter effectivè producitur anima foetus? non à semine, quia anima foetus utpote vivens præstantior est & nobilior semine: Si ergo pro eductione animæ bruti ad aliud recurrendum est quàm ad semen, cur non ad illud ipsum ad quod recurritur pro illà eductione, recurratur etiam pro illius unione cum materiâ? Quid in hæc difficilius quàm in istâ?

X. Igitur restat quarta & vera in hæc materiâ sententia, causam principalem generationis, seu viventium ex semine genitorum, esse Parentes, ita omnes Philosophi, demptis illis paucis qui supra: Probatur primò ex Scripturâ Matthæi cap. 1. quæ dicit quod *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob, &c.* Probatur secundò, quia parentes sunt veræ causæ filiorum suorum, sed non sunt causæ instrumentales tantum, cum sint ejusdem ordinis & paræ cum effectu perfectionis. Tertiò, quia si essent tantum causæ instrumentales, quænam assignari possent quæ essent principales.

XI. Verùm hinc nascitur difficultas, quomodo scilicet parentes sint aut esse possint causæ principales filiorum, maximè verò pater seu masculus quando quidem hic semper absit, sæpè amplius non sit, quando filii generantur: Nam tunc generantur, seu ponitur eorum generatio, quando fit unio animæ ad materiam organizatam, tunc verò semper abest masculus, sæpè amplius non est.

XII. Ad hanc difficultatem duplex responsio: Prima nostri Francisci Bonæ Spei in lib. de Generat. & Corrupt. disput. 1. dubio 7. Resolut. 3. produci prolem principaliter per parentes, quia producitur per actionem illorum permanentem in semine, & in illo fòtam: sed contra, primò quia impossibile est actionem permanere absente vel destructâ ejus causâ, ut docent Philo-

sophi, quia actionis essentia, est fluere à suâ causâ, consequenter & ipsius conservatio, seu continuatio, est essentialiter continuò fluere ab illâ, non potest autem illâ non amplius existente, vel absente continuò fluere ab illâ. Secundò, si actio quâ filius producitur absente, vel mortuo patre, esset immediatè à patre progressa & recepta in semine, hoc maximè in instanti emissionis seminis: hoc autem dici nequit: quia si in illo instanti pater cum semine emisisset actionem filii generativam, impossibile fuisset eodem instanti non existere filium: actio quippe productiva, sine termino, nullo instati magis esse potest quàm sine principio producete. Cujus rei ratio à priori est quod essentialis conceptus actionis sit rei productio & illius positio à parte rei: at verò illo instanti quo à patre emittitur semen non existit filius, sed tantum 30. vel 40. diebus de post, eo quod non nisi post dictum tempus animetur foetus, seu uniat anima corpori, in quo formaliter consistit generatio, ergo &c.

Neque dicas illam actionem tunc à patre emissam esse tantum partialem, quæ quidem non potest esse etiam divinitus sine termino producto seu filio, si positæ sint etiam cæteræ actiones partiales requisitæ, potest tamen si hæc non sint positæ, ut non sunt quando à patre emittitur semen: nam contra: Primò, in illo instanti adsunt omnes aliæ concausæ quæ concurrunt ad generationem filii, adest enim mater, adest utriusque semen, adest Deus, adsunt corpora cælestia, cur non ergo illorum actiones? si dicas quia ad actiones harum causarum nondum adsunt conditiones prærequisitæ: infero neque ad actionem patris: cur enim, vel quomodo potius ad hanc quàm ad illas? Contra secundò, hæc est natura causarum partialium ut una sine alterâ agere & actionem suam exercere non possit, aut certè si in aliquo casu possit, omninò necesse est ut partem effectus producat suæ actioni correspondentem, quia actio non potest esse sine termino sibi correspondente, cum sit essentialiter ad illum.

Igitur restat secunda responsio, Parentes esse causas principales suorum filiorum

V v 2

XIII
XIV

filiorum, quia quando proles generatur, quod fit dum animatur, agunt per suam virtutem instrumentalem, quæ, ut ait Divus Thomas 1. part. quæst. 118. art. 1. ad 3. est in semine residens ex generante derivata: quæ quidem virtus corpus efformat, eoque efformato animam si materialis est educit & unit, vel si immaterialis est, ejus cum corpore unionem efficit.

XV. Sed, inquires, quomodo hoc? nam ut patet in productione filiorum sint causæ principales, debent dum filii generantur verè agere: Causæ enim efficientis, maxime principalis, causalitas est actio: sed dum filii generantur non agunt parentes, quia si agunt, vel per se immediatè, vel per suam virtutem, seu semen: non primum ut omnes faterentur & nos debemus fateri, nam cum generatur proles, hoc est, dum animatur foetus, abest pater, & sæpè amplius non est, non ergò tunc agere possunt per se: non etiam secundum, quia ut verè agerent per suam virtutem seu semen, cum illa sit ignobilior effectu, deberet ab illis elevari, & confortari per alium concursum præstantiorem, ut effectum illum per ipsam attingere, & terminum principaliter producere possent: Sed parentes dum virtus illa seminis sortitur effectum suum, seu terminum ultimam, qui est foetus animatus, non possunt virtutem illam seminis hoc modo elevare & confortare, ad hoc enim deberent simul cum virtute illa seu semine coagere: hoc autem non, cum tunc pater absit, aut etiam amplius non sit, ergo &c.

XVI. Respondeo concessâ majori, negâdo minorem, ad ejus probationem nego secundam partem antecedentis, ad ejus probationem dico ad majorem, ut parentes agant per suam virtutem instrumentalem, seu semen, debent illam elevare & confortate concurrente cum illa ad effectum: quod faciunt non quidem per se, sed per causam superiorem suppletentem vices ipsorum, ad exigentiam tamen ultimæ dispositionis pro effectu virtutis ipsorum positæ. Rem explico.

VII. Duo igitur consideranda veniunt in generatione viventium: Primum est introductio dispositionum & organo-

rum prærequisitorum in materiam, ut proximè reddatur apta ad recipiendam formam. Secundum est introductio ipsius formæ in materiam ita dispositam & organizatam, ex quâ introductione resultat compositum, quod est ultimus terminus generationis. Primum facit semen per se, habet enim sufficientem proportionem ad istum effectum, dispositionum dico & organorum efformationem: quoad secundum, cum parentes per istud semen & virtutem suam illi impressam, directè tendant in generationem viventis, cum quo habent sufficientem proportionem, illud efficiunt per ista organa & dispositiones à suo semine in materiâ introductas. Nam hoc ipso quod semen istud & virtus à causâ principali in illud derivata, naturâ suâ tendit, & ordinatur ad producendum foetum (quem nequit attingere per modum causæ principalis, eo quod sit inferioris ordinis) fit ut positis illis organis & dispositionibus, naturaliter exigat auxilium validioris & efficacioris concursus causæ principalis, quo suppleatur & perficiatur ipsius ad talem effectum insufficientia: sed quia causa illa principalis, in cujus virtute semen tendens directè in dictam generationem & prolem agit, talis est ut ex naturali suâ conditione absit à dictâ virtute suâ instrumentali, dum positis ab hac omnibus dispositionibus requisitis, deberet ab eo poni actio generativa, seu formæ introductiva, fit ut ad istarum dispositionum & naturæ exigentiam, causa prima dictæ causæ principalis defectum supplere debeat, & vice ipsius semen adjuvare, cum eo concurrente per concursum æquipollentem illi, quem causa principalis ei præstaret, si ipsa adesset: Quod quia causa prima non facit nisi ad physicam exigentiam dictæ virtutis à causa principali egressæ, & positarum jam omnium ad effectum directè intentum dispositionum, censetur non solum morali sed etiam physica quâdam ratione id facere vice parentum, quorum illa virtus seu semen est physicum & naturale instrumentum, & sicut ipsi parentes censentur non solum moraliter, sed etiam physice elevare & confortare dictam suam virtutem

virtutem, quia posuerunt illud physicum, quod physicè necessariò, & naturaliter exigit illum validiorem concursum, & sine quo non poneretur.

XVIII. Dices hæc solutio recurrit ad Deum sine necessitate. Respondeo negando, nam non recurrit ad illum ut causam particularem, sed ut universalem quæ debet concurrere cum causis secundis juxta illarum naturalem conditionem & exigentiam.

XIX. Confirmatur hæc responsio: necessarium est ad talem exigentiam suppleri influxum causæ secundæ principalis absentis per aliquam causam superiorem causâ instrumentali, non suppetit autem alia quam prima: nam quod dicunt aliqui in generatione hominis & aliorum animalium, influxum masculi sufficienter suppleri per animam matris, quæ semper adest masculino semini, quod in matrice fovet, non placet. Primo, quia Mater est tantùm causâ partialis & limitata, &posito suo partiali concursu nihil amplius potest. Secundo, quia sæpè contingit ut fœtus sit perfectior Matre, ut cum ex congressu equi & asinæ generatur mulus. Tertio, quia cum tunc tota causalitas effectus poneretur per solam Matrem, hæc sola esset causâ totalis effectus, sicque fœtus plus teneretur Matri incomparabiliter quam Patri de suo esse, quod est contra omnium communem sensum sapientum. Quarto, addo quod causâ principalis, ut dici possit causâ principalis, si immediatè per se non influat in effectum simul cum virtute suâ instrumentali, debet saltem in illum influere per aliam causam, quæ suppleat vices ejus, & quæ nomine suo adjuvet virtutem sui instrumenti ad ponendum effectum: virtus quippe instrumentalis in quantum instrumentaliter influat in effectum, influat ut adjuvata à causâ suâ principali simul cum ipsâ influente, seu per se, seu per aliud quod vices suas suppleat. At anima Matris nec supplet, nec supplere potest vices Patris, quia virtus agendi ipsius limitata est, & attento femineo corpore ejusque qualitatibus, est nimis debilis & languida, ut aliud possit, quam quod ex parte sua debet, & ideo requiritur validior & præstantior con-

cursum ex parte viri: Attento etiam quod femineum semen si sit activum, de quo disputant Physici, nunquam est in activitate par virili, propter quod fœtus plus tenetur Patri quàm Matri.

Ex his igitur venio ad intentum XX. meum pro paternitate D. Josephi: patet enim etiam Patrem generatione non esse Patrem nisi per suppletionem causalitatis ex parte ejus requisitæ, quam utique supplet Deus illo absente à fœtu dum animatur, vel etiam non amplius existente: & licet hæc causalitas, quam supplet Deus, sit principalis in generatione prolis, cum sit ipse actus generationis formalissimè, seu unio animæ cum corpore cujus terminus est filius, non tamen propter hoc desinit v. c. Petrus esse verè & propriè illius filii Pater, & quidem ita, ut ex omnibus Philosophis, iste filius plus debeat Patri quàm Matri, quæ tamen per se ipsam ad illius generationem principaliter ex parte suâ concurrat.

Si ergo nihil alienum à ratione & bonâ philosophiâ ducimus, dicere hanc suppletionem, ad exigentiam actionis instrumentalis & dispositionum & organorum in materiam introductarum à Patre per suum semen non impedire quo minus Abraham verbi causâ sit verè & propriè Pater Isaac, Isaac Pater Jacob, & ita de cæteris, neque verò hoc tantùm, sed etiam Pater generatione, dicitur enim in Scripturâ, & congruè dicitur, *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob*, quam tamen generationem, ut diximus, ipsi per se non posuerunt, sed Deus supplevit & supplet; an non per hoc manu ducimur ut credamus & libenter assentiam nostrum præbeamus isti sententiæ, quod possit Deus si velit etiam efficere ut quis sit Pater verè, supplendo adhuc vice ipsius illud modicum seminis & actionis ipsius; maximè verò cum non dicamus ipsum futurum Patrem generatione, sed alio modo Deo cognito: cur enim poterit subsistere vera paternitas generatione, supplendo ipsam generationem, quæ est id per quod est homo formaliter generans, seu Pater generatione, & non poterit esse Pater, non per generationem, sed alio modo

Deo bene viso, suppleudo etiam actionem illam ad ultimam dispositionis positionem pro animâ introducendam requisitam? Cur non ergo Divus Iosephus verè propriè & reapse Christi Pater, etsi eum non genuerit, id asserente scripturâ tam disertè, & tam frequenter?

CAPUT XIII.

Roboratur iterum assertum nostrum de veritate Paternitatis D. Iosephi absque generatione à Scripturâ in verbis Christi præcursoris, ex quibus ostenditur posse fieri quod quis sit Pater verè sine generatione?

I.



Oc Assertionis nostræ robustissimum fundamentum in verbis præcursoris Divi Joannis Baptistæ constitutum educitur ex Matthæi cap. 3. vers. 9. ubi vanam S. Præcursor retundere Phariseorum & Sadduceorum ad se venientium fiduciam, seu potius præsumptionem, quâ sine operibus justitiæ omnia sibi promittebant, ob id solum quod essent genus, & filii Abrahæ, & quod Abrahæ & semini ejus Deus benedictionem, & salutem promississet, sic ait ad illos: *Ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham, dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*: in quibus verbis, ecce tibi per potentiam Dei filios Abrahæ, qui tamen ab Abraham non essent geniti nec mediatè, nec immediatè, sed à Deo ipso ex lapidibus suscitati: ex quo infero, ergo & Christus verus filius Iosephi, etsi non ex eo genitus, Scripturâ id tam asseveranter pronunciantem, quia scilicet ei à Deo, eo quod diximus modo, suscitatus, quæ enim hîc difficultas major quàm ibi?

I I.

Ut huic argumento ineluctabili suavis & robor maneat, discutienda sunt operosius, & ad trutinam vocanda varietate hujus loci Interpretum explicatio-

nes: meretur id omninò argumenti dignitas: & illas quæ ipsius vim effugere potius, quam effringere videntur, nullus esse momenti ostendendum: igitur sit

SECTIO PRIMA.

Refertur prima explicatio verborum Divi Præcursoris & refutatur.

PRIMA explicatio est Origenis hosi-
milia 22. in Lucam, quem sequuntur
multi Interpretes, qui expressè negat
hæc verba intelligi de Physicâ & reali
lapidum propriè dictorum conversione
in filios Abrahæ secundum carnem, sed
vult intelligi de morali & spiritali
Gentilium per lapides significatorum,
in filios Abrahæ transmutatione non
secundum carnem, sed secundum spiritum,
seu secundum imitationem fidei & morum
Abrahæ.

Hæc ergo Origenis explicatio duplicem
in hoc textu inducit metaphoram, unam
ex parte termini à quo hujus conversionis,
alteram ex parte termini ad quem, id est
unam ex parte lapidum convertendorum,
per quos intelligit, non saxa aut silices,
sed Gentiles: Alteram ex parte filiorum
Abrahæ, in quos illi convertendi, per quos
non intelligunt filios Abrahæ secundum
carnem, sed secundum spiritum, seu
secundum imitationem fidei & morum
Abrahæ.

Porro idèdè Gentiles ex hæc opinione
comparantur lapidibus: Primò, quia
colebant lapides, & in illis confidebant:
dicitur autem in Scripturâ Psalmo 137.
vers. 16. *Similes illis fiant qui faciunt ea,
& omnes qui confidunt in eis*. Undè ait
Origenes loco citato. *Non utique lapides
irrationales corporeosq; monstrabat
Ioannes, sed homines insensibiles, & quorundam
duros, qui quia lapides & ligna adorabant,
impletum est illud quod in Psalmo
cantabatur. similes illis fiant qui faciunt
ea, & omnes qui confidunt in eis*. Secundò,
ratione infructuositatis eorum: Gentiles enim
adinstar lapidum erant infructuosi. Ita Doctor
Henricus Rampeus

Rampenne Huo-Leodiensis ad hunc locum Matthæi. Tertiò, quia sicut sculptura in lapide difficilis est, sed semel facta permanet, sic & fides in Gentilibus. Ita noster Imperfectus in Matth. homil. 3. *Lapis quidem, inquit, durus est ad opus, sed cum factum fuerit opus ex eo, deficere nescit. Sic & Gentes cum difficultate quidem crediderunt, tamen credentes permanent in æternum.*

VI. Pro hæc quoque sententiâ citantur Divus Cyprianus lib. 2. epist. 3. Divus Ambrosius in cap. 3. Matth. & noster Imperfectus ubi supra: sed non rectè, quia nullus horum negat posse intelligi hunc Matthæi locum de conversione physica & reali lapidum propriè dictorum: sed interpretantur tantùm illum secundùm sensum moralem, cum quo alius verus & genuinus sensus, qui literalis dicitur, est admittendus, & quem nos hîc inquirimus.

VII. Igitur non placet hæc explicatio, si de literalis sensu intelligatur, ut enim benè observavit Abbas Rupertus in hunc locum, non dixit Baptista solummodò & cum præcisione de lapidibus, sed dixit signanter de lapidibus istis, aliquos in particulari demonstrando qui ibi tunc aderant, quæ demonstratio fuit verborum Divi Joannis & mentis audientium determinatio ad rem demonstratam seu præsentem, quo in in factò nulla potest subesse metaphora aut tropus, sive de cætero illi lapides fuerint ii qui in ripâ Jordanis (ubi prædicabat Joannes) jacebant, sive memorabiles illi, quos Josue de Jordane tulit, & quos in medio ejusdem fluminis alveo, ubi Arcæ Domini transitum præbuerat, jubente Domino ad rei memoriam posuit, qui adhuc ibi eminere dicuntur, Josue cap. 4.

VIII. Dices demonstrasse Gentiles qui ibi cum cæteris aderant. Respondeo cum eodem Ruperto. *Sensus quidem verus est per lapides rectè posse intelligi homines Gentiles, lapidea simulachra volentes, de quibus & nos fuimus vel sumus, in filios Abrahæ suscitati per fidem IESU Christi, sed non leguntur tunc adfuisse, vel venisse ad Joannem in Jordane ejusmodi lapides, ejusmodi homines.* Unde nimis gratis & ad fugiendum tantùm hoc effingitur.

Sed etsi daremus gratis adfuisse alios quos Gentiles, unde probabile fieret quod D. Joannes carpens Phariseos & Sadducæos, istos Gentiles digito demonstrasset, & suggillasset vocando lapides, qui potius erant alliciendi ad conversionem, quàm exasperandi per ejusmodi aculeum?

Nec dicas non suggillari, cum dicat illos convertendos in filios Abrahæ. Nam primò non dixit eos convertendos, sed potentem esse Deum illos convertere. Secundò, quia dicitur de illis qui veniebant ad Joannem quod *Baptizabantur ab eo confitentes peccata sua.* Non ergo illi tunc fuissent lapides, ut pro lapidibus à Joanne demonstrari potuissent.

Replicabis, non vult Evangelista quod omnes baptizabantur & confitebantur peccata sua, nam in textu allato, *Baptizabantur ab eo confitentes, peccata sua,* to *confitentes* restringit propositionem, & reducit numerum illorum qui baptizabantur, ad eos solos qui confitebantur peccata sua: ut sensus sit, baptizabantur ab eo illi qui confitebantur peccata sua & non alii: Sed contra, quia verba illa, *& baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua,* non ligantur, sed separantur interpunctione, seu virgulâ positâ inter verba illa (*in Jordane*) & ista (*confitentes peccata sua,*) ut patet ex originali, ex vulgatâ nostrâ, & lectiõne SS. Patrum Patrum, qui verba illa Matthæi non aliter legunt: ut proinde alius sit sensus quam ille quem pretendit objiciens, quod scilicet illi, qui exhibant ad eum Jerosolymâ, & ex omni Judæâ & Regione circa Jordanem, duo faciebant; primum, quod baptizabantur ab eo: Secundum, quod confitebantur peccata sua. Addo quod cum Joannis baptismus esset baptismus penitentia, ab eo baptizati non erat aliud, quàm factò confiteri se esse peccatores, & velle penitere.

Confirmatur quia Matthæus in loco quem versamus distinctionem indigit eorum qui veniebant ad Joannis baptismum: eorum scilicet qui exhibant Jerosolymâ, & ex omni Judæâ & Regione circa Jordanem, qui baptizabantur ab eo, confitentes peccata sua, ac deinde

IX:

X:

XI:

XII:

deinde Pharisæorum & Sadduceorum, quorum multos etiam videbat Joannes venientes ad baptismum, sed nec facientes fructus dignos poenitentiae, nec dispositos ad faciendum, quibus dicebat: *Progenies viperarum quis demonstravit vobis fugere à venturâ irâ? facite ergo fructum dignum poenitentiae. & ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Hos fictè venisse insinuans carpebat & urgebat ut quandoquidem veniebant ad Baptismum poenitentiae, facerent ergo fructus dignos poenitentiae: Baptismum verò piorum insinuat fuisse sine fictione, & in sinceritate, per hoc quod dicit quod non tantum baptizabantur, sed etiam confitebantur peccata sua: illa ut puto clarissima sunt.

XIII. Quare certissimè concludendum verba hæc Divi Joannis Baptistæ ad hos fictos poenitentes, in sensu proprio & literali intelligi debere de reali & physicâ conversione lapidum propriè dictorum, non verò de conversione eorum qui exibant Jerololymâ, & ex Judæa, & Regione circa Jordanem & baptizabantur ac confitebantur peccata sua ut patet.

XIV. Quod adhuc exinde confirmatur, quod per illa verba vult S. Præcursor exaggerare summam Dei potentiam, cui nihil sit difficile multò minus impossibile, ut verbum & promissionem suam impleat: undè necesse est omninò dicere adduxisse in exemplum rem difficillimam. At si per lapides convertendos in filios Abrahæ intelligeret Gentiles, nihil plus miri esset in hac conversione quam in conversione Pharisæorum & Sadduceorum, immò minùs; cum innueret per ea verba in his esse plus duritiei, obstinationis, & resistantiæ ad conversionem, quam in istis quos lapides vocat: ergò certissimè & sine ullâ dubitatione intelligendus de aliâ conversione quam morali istâ Gentilium, scilicet de reali & physicâ lapidum propriè dictorum, quod amplius patebit ex dicendis.

SECTIO II.

Refertur secunda Explicatio eorumdem verborum, & refutatur.

EX dictis Sectione præcedenti manifestè patet in his verbis Divi Joannis, conversionem illam lapidum in filios Abrahæ, quam Deus potens est facere in sensu proprio & literali ex parte termini à quo intelligendos esse de verâ, reali & physica conversione lapidum propriè dictorum qui jacebant in ripâ vel eminebant in alveo Jordanis. Restat difficultas in explicandâ hæc conversione ex parte termini ad quem, seu de quibus Abrahæ filii intelligi debebat, in quos illa conversio lapidum est possibilis? an de veris & propriè dictis? an verò de spiritualibus tantum? Quamvis enim Deum de lapidibus homines suscitare posse indubitatum sit, quippe qui etiam ex nihilo cuncta creavit, non tamen videtur posse filios Abrahæ veros & propriè dictos: cujus rei ratio est, quod talis filiatione non possit esse nisi posito fundamento, quod est generatio, ut docent communiter Philosophi, quæ tunc abesset, cum dicantur à Deo per potentiam absolutam Abrahæ, tot sæculis jam mortuo, de lapidibus suscitandi.

Propter hanc rationem Noster Sylveira in Evangel. tom: 1. lib. 3. cap. 1. quæst. 36. & alii ante, & post ipsum, rem ita explicant, ut scilicet verum sit posse Deum de veris lapidibus suscitare filios Abrahæ, quia potest Deus quovis lapides in homines convertere, & in his indere fidem & pietatem Abrahæ, quo pacto erunt filii Abrahæ, non quidem secundum carnem, sed secundum spiritum, pro quibus præcisè intelligantur promissiones factæ.

Sed contra hoc est: Primò, quod si promissiones factæ Abrahæ, & in ejus filiis implendæ, præcisè intelligendæ essent de filiis Abrahæ secundum spiritum, ita ut nihil referat sint ne illi veri Abrahæ filii nec ne, modò tantum imitentur fidem & mores Abrahæ.

Cettè

Certè abs re omninò fuisset quod potentiam Dei ad suscitandos ex lapidibus alios pro ipsis filios, qui benedictiones illas participarent, intentasset: ut quid enim hoc? Cùm ex infinito Gentium omnium numero posset in eum finem tales filios in locum paucorum Judæorum ex hypotesi vastandorum substituere. Itaque illud unicum, positâ hâc explicatione, habuisset agendum Joannes, Phariseos scilicet & Sadducæos quos arguebat, istum quo laborabant errorem eis detegere, ostendendo hoc quod illi de filiis secundum carnem intelligebant, intelligi de spiritualibus præcisè, & facile posse Deum, illis in peccatis suis dimissis, converti ad Gentes, & in illis conversis tanquam in filiis spiritualibus reverà per promissiones intellectis, easdem implere promissiones. Et hoc quidem modo, melius quàm illo, Joannes vanam Phariseorum & Sadducæorum retudisset fiduciam: non enim dubitabant hi posse Deum ex multitudine lapidum in ripâ Jordanis jacentium novam condere gentem, quæ creditura esset in eum, & horum corda recentem ab eo condita, nullis obliquis affectibus depravata, posse ad se convertere. Et si hoc Deus fecisset nihil erat quod multum erubescerent: Sed quod Gentes quæ idola colebant, fierent præmissarum filiis Abraham benedictionum participes, ipsi verò veri Abraham filii, quibus in ipso promissiones factæ fuerant, & qui veri Dei cultores videbantur, ab eis repellerentur, hoc profectò eis intolerabile fuisset. Quare Divus Joannes potius per Gentes, quàm per lapides eorum stultam fiduciam castigasset.

XVII. Secundò, quia promissiones factæ Abraham pro filiis, debebant etiam impleri in filiis veris & propriè dictis, licet in his tantum in quibus etiam esset ratio filiationis spiritualis, seu imitatio fidei & morum Abraham: immò in his primariò & principaliter, eo quod pro illis primariò & principaliter factæ essent, & non nisi secundariò tantum Gentes ad illarum participationem cum his admixtæ sint: Unde illæ Christi voces, *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Matthæi cap. 15. vers. 24. *Non est bonum sumere*

panem filiorum, & mittere illum canibus. Ibidem vers. 26. &c. His ergò vastatis, & omninò profligatis, necesse fuisset alios similes filios in horum locum excitari, in quibus hæc promissiones in veris filiis complendæ, implerentur: quales certè non essent Gentiles facti per conversionem ad fidem & morum imitationem ipsius Abraham spiritualis filii. Confirmatur hæc ratio: quia una è promissionibus Abraham factis, est conservatio seminis in quo benedictiones complerentur, & unio cum Abrahamo tanquam eum Patre fuit fundamentum cæterarum benedictionum propter Abraham promissarum.

Tertiò, etsi non esset necesse intel- XVIII. ligere in istis promissionibus nisi filios spirituales Abraham, quia tamen certum est Phariseos & Sadducæos aliter existimasse, illas scilicet debere compleri in filiis veris & propriè dictis, id est secundum propagationem seminis (inde enim illorum vana fiducia) propterea de his adhuc, non verò de spiritualibus filiis esset intelligendus sanctus Præcursor: Ratio est quia attendebat hic ad istam illorum fiduciam, & per illam ipsam vult eos concludere: ergo necessarium est ipsum velle, Deum esse satis potentem, si necesse sit, ex lapidibus alios viros & propriè dictos filios Abraham suscitare pro ipsis, ipsis meliores futuros, in quibus promissiones (ex ipsorum opinione in filiis Abraham veris complendæ) complerentur: alias inappositè, & non ad hominem ut aiunt argueret, nec ex ipsis ipsos confutaret.

Exaggerat ergo omninò Divus Joannes XIX. Dei potentiam, & ingerit aliquid valde inusitatum, & quod difficile casurum erat in mentem Phariseorum & Sadducæorum. At posse Deum qui ex nihilo cuncta creavit, qui uxorem Loth in statuam salis convertit, &c. suscitare de lapidibus homines, non potuit illis esse ambiguum, ergo aliud voluit Divus Joannes, scilicet ex lapidibus veris veros filios & non imitative tantum posse Deum Abraham suscitare.

SECTIO III.

Proponitur alia horum verborum explicatio, & iterum refutatur.

XX. **O**stendimus supra terminum possibilem hujus conversionis de qua Divus Joannes, non posse intelligi in sensu metaphorico ex parte termini à quo contra Origenem, sed debere intelligi in sensu vero litterali, & eo quem ipsa verba propriè sonant, ut proinde verba ipsius necessariò significant veros & propriè dictos lapides, prout terminus ille lapis communiter accipitur, & pronomem illud demonstrativum (*de lapidibus istis*) in ejusdem verbis Joannis appositum designat: evicimus deinde Sectione præcedenti per filios Abrahamæ, in quos dicti lapides convertendi, non posse etiam intelligi filios spirituales, qui cum ideò tantum dicantur filii Abrahamæ, quod ipsius mores imitentur, impropriè solum dicuntur illius filii: unde omninò necessarium est, ut per terminum ad quem fieret illa conversio lapidum, seu per filios Abrahamæ, intelligantur filii veri & propriè dicti.

XXI. Porro duplex datur conversio realis & physica rei in rem ex parte termini in quem fit conversio: Prima, est conversio rei in rem præexistentem ante conversionem: talis est transsubstantiatio illa mirabilis & divina, seu conversio panis in corpus Christi, & vini in ejus Sanguinem, vi verborum consecrationis à ministro cum intentione prolatorum in Sacramento Altaris: Secunda, est conversio rei in rem quæ necdum est, sed primò producitur per ipsam conversionem, talis fuit conversio aquæ in vinum in nuptiis Canæ Galileæ Joan. cap. 2. Cum ergo propter rationes Sectionum præcedentium, conversio lapidum in filios Abrahamæ, in sensu litterali & proprio per Divum Præcursores intellecto, cogamur admittere intelligi de conversione lapidum verorum ac propriè dictorum, in filios Abrahamæ veros ac propriè dictos:

Restat videndum an hæc conversio intelligi debeat secundum primum, an verò secundum posterius membrum hujus divisionis.

Pater Cornelius à Lapide in cap. 3. ^{XXII} Matth. explicans allata sancti Præcursoris verba post Dionysium Carthusianum, Didacum Stella & alios reducit ad primum: cum enim possit Deus per absolutam suam potentiam quamlibet substantiam creatam in aliam transmutare totaliter, pura tam quoad materiam, quam quoad ad formam, potest consequenter ex lapidibus suscitare filios Abrahamæ, quia potest lapides convertere in corpora mortuorum filiorum Abrahamæ, illaque animare, & à morte suscitare: atque hæc ratione erunt veri filii Abrahamæ ex lapidibus per divinam potèntiam suscitati, sed tamen ex Abrahamo prius geniti: hic modus explicandi aliquibus placuit valdè, quia est facilis: idest satis clarè dissolvit difficultatem.

Sed nec hæc explicatio placet: ^{XXIII} quamvis enim id omninò possit Deus: attamen hæc non est quæstio quid potuerit Deus, sed quid hæc intenderit Sanctus Præcurfor? Mens porro illius talis omninò fuisse censenda est quando hoc protulit, ut si hoc fieret quod fieri posse asserit, nihil ex eo incommodi sequeretur: sequeretur autem secundum hanc explicationem: quia illa corpora in quæ lapides isti converterentur, cum animarentur denuò, vel animarentur priore suâ animâ, vel novâ, neutrum dici potest sine magno incommodo: probatur quoad primam partem: quia si priore suâ animâ animarentur, ergo hi essent omninò iidem qui prius fuerant & devixerant: non ergo suscitarentur filii Abrahamæ in locum vastandorum substituendi, idest novi, sed mortui resuscitarentur: Secundò, est manifestè contra textum nam in his verbis: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ*, to *Abrahamæ*, est dativi casus, ut norant Interpretes, inter quos ex nostris Thomas Beauxamis tom. 1. in Evang. ad hunc locum, & Sylveira tom. 1. in Evang. lib. 3. cap. 1. quæst. 36. quod & evidens est, nam in Græco vox *Abrahamæ* est conjuncta cum articulo dativi casus

casus *to* non verò cum genitivo *ton*: & Syriaca versio apud eundem Sylveiram sic habet: *Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios ipsi Abrahamo*, cui consonat versio Vatabli apud eundem Sylveiram ibidem, quæ sic habet: *Potens est Deus de lapidibus istis liberos ipsi Abrahæ excitare*. In hoc autem casu non esset suscitare filios Abrahæ in dativo, sed resuscitare filios Abrahæ in genitivo, ut patet: Tertio, vel illi juxta hanc opinionem resuscitandi fuerant boni vel mali: si boni, cum in illis jam completæ essent benedictiones quæ illos tangebant, cur revocarentur ad vitam exponendi iterum periculo illas perdendi? & quomodo in eis possent compleri illæ quæ in posteris pro quibus subrogarentur deberent compleri? si verò mali, cur hi jam mortui potius ex Inferno ubi nulla est redemptio, revocarentur ad penitentiam, quam Pharisæi viventes? Certè nullus est qui non censebit hæc nimis aliena esse à mente Divi Joannis.

XXIV. Quod si novâ velis animâ corpora illa mortuorum Abrahæ filiorum esse informanda: peto in die judicii quâdo animæ forent ad sua corpora revocandæ, & illis iterum & æternum consociandæ, quænam illarum duarum animarum quæ in hæc sententiâ successivè idem corpus animassent, & in morte destituisent, illud repeteret, & cui illorum adjudicaretur? an fortè utraq; simul idem corpus animaret? an una in æternum in statu separationis maneret corpore viduata? deinde quænam illarum duarum corpori isti sociaretur? quænam illo viduaretur? an prior? an posterior? & cur hæc potius quàm ista? an fortè hæc modò, modò ista successivè? an denique media pars corporis uni, media alteri aptaretur animæ? Tandem cum idèd hoc velit Cornelii à Lapide sententia, lapides in corpora mortuorum filiorum Abrahæ converti, ut ex hoc possent dici filii, quia ab eo seu mediatè seu immediatè geniti, videat Cornelius quomodo poterit hoc esse? cum unio secundæ animæ cum isto corpore, in quo stat formaliter generatio, nõ esset ab Abrahamo nec immediatè nec mediatè?

vides ergo quantis hæc sententia sit obnoxia incommodis. Quare sit

SECTIO IV.

Verus horum Divi Joannis verborum sensus.

Certè attentis præcedentibus, nihil omninò restat, nisi ut dicamus hanc Divi Joannis propositionem explicari debere per secundum modum conversionis physicæ & realis ex parte termini *ad quem*, idest per conversionem in terminum, qui non erat ante, sed primò fit & producit per ipsam conversionem, ut scilicet hæc propositio intelligatur litteraliter & simpliciter pro ut verba sonant. Quare hæc erit illius sensus, Potens est Deus de lapidibus istis, idest in ripâ Joannis jacentibus, suscitare, idest facere, & producere novos Abrahæ filios veros & propriè dictos.

Ab hoc simplici & obvio, ad quem præ se ferunt verba Divi Joannis sensu, ad supra relatos deflecterunt Interpretes maximâ ex parte, quia existimant hunc non posse esse verum: non posse enim poni relationem nisi posito ejus fundamento, axioma est Philosophorum, consequenter nec Paternitatem, seu Filiationem sine generatione, quemadmodum nec relationem causæ & causati absque causalitate. Sed cum multos SS. Patres & Doctores videam hunc nostrum sensum etiam dedisse, ut infra videbimus, ex quo contentarium est, utin eo non illam censuerint esse cum veritate impossibilitatem, quam fingunt illi qui contradicunt, hinc est quod illos secutus, eum eo libentius amplector, quò cæteris præterendus, quia magis obvius & litteralis.

Verùm cum in tantum sit probabilis & receptibilis hominum quantumvis doctissimorum opinio, in quantum non pugnat cum ratione: Restat hic ostendendum, illum quem verbis istis dedimus sensum non pugnare cum ratione, sed è contra illâ niti: probatur igitur primò à refutatione cæterarum explicationum: cum enim necessarium sit

X x 2

fit

fit hanc Divi Joannis propositionem, in aliquo sensu esse veram, nec in cæteris possit sustineri, ut vidimus Sectionibus præcedentibus, omnino restat ut in hoc sensu veritas ejus subsistere debeat, eum nullus alius assignari possit, nec possit mentiri Scriptura.

XXVII. Probatur secundò hæc ratione: Ille est verus & proprius sensus propositionis Sacrae Scripturae, quem littera & verba propositionis primò ex se & propriâ significatione sonant, nisi ille sensus tam evidentè pugnet cum ratione ut necessariò ad metaphoram recurrendum sit: ita omnes Theologi & Interpretes: sed hic sensus à nobis verbis Sancti Præcursoris datus, est talis: ergo est verus & proprius illorum verborum sensus. Prima pars minoris hujus argumenti clara est. Probatur secunda, quod scilicet sensus à nobis verbis Præcursoris datus, non pugnet cum ratione. Quod enim dicitur contra non potest quis esse verè Pater nisi posito illo per quod est Pater, scilicet generatione; non multum urget: tota enim ratio dicendi quod generatio sola sit ratio per quam quis est verè Pater, est consuetudo cernendi, & omnimoda rationis præoccupatio: Nam quia non aliam cognoscimus Paternitatem veram, nisi illam quæ est per generationem, idèò arbitramur nullum posse esse verè alterius patrem nisi per generationem: sed si potentia Dei per ea solùm quæ videmus & ordinariæ fiunt, metiendâ esset, certè nec infinita esset. nec quidquam quod nostram intelligentiam superat, posset, consequenter nec divina esset.

XXIX. Dicendum ergo, non potest quis esse verè pater viâ naturali & ordinariâ nisi per generationem, potest tamen viâ supernaturali & extraordinariâ, & per divinam voluntatem ac potentiam: Nec in hoc major est difficultas quàm in multis aliis de fide, in quibus naturalis ratio obstupescit, & quam Dei revelatio corrigit: ut quod tres Personæ Sanctissimæ Trinitatis sint unus & idem Deus, realiterque identificentur cum uno Deo simplicissimo & omnis compositionis expertissimo, & tamen sint realiter distinctæ inter se, contra illud axioma rationis naturalis. *Quæ sunt ea-*

dem uni tertio, sunt eadem inter se. Quod in Mysterio Dominicæ Incarnationis natura humana, quæ est substantialis, non per se subsistat, sed per aliud, scilicet per Verbum: & è contra in Eucharistiâ, quod species seu accidentia existant sine subjecto in seipsis: quod Corpus Christi sit quantum, non tamen sit extensum, sed sit totum sub totâ, & totum sub quâlibet vel minimâ specierum panis & vini parte, & alia similia multa: sicut ergo in his credimus contra naturalem rationem, quia id ita esse revelatum est à Deo, sic & hic ubi de summâ Dei potestate, cui quanta possumus & infinitis plura quàm capere possumus, concedere debemus, captivandus est intellectus in obsequium fidei, & reverentiam tantæ potestatis. Et certè quis tibi dixit præter viam generationis, nullam aliam esse, quâ possit Deus facere aliquem verè alterius patrem, ut hoc infinita ejus neget potestati? præsertim cum audis è contra hæc verba Divi Joannis. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*

Confirmatur hæc sententia ex ipso textu & verbis Divi Joannis: nam ut notavimus hic supra Sectione præcedenti num. 23. *to suscitare* in illis verbis non junctum cum Genitivo, sed cum Dativo *Abrahæ*, quod significat non priores vitæ functos vitæ reddere, sed novos dare? Deinde ut hos novos filios intelligas esse veros & propriè dictos filios, non verò spirituales tantum & metaphoricos, observant periti *to suscitare filios Abrahæ*, Hebraicam esse locutionem, quæ significat plus quam gignere, nempe gignere unde videntur gigni non posse, seu melius, dare & habere filios, undè videntur dari & haberi non posse & utiq; optimè ad rem nostram, quid enim magis distat à vitâ & ratione quàm lapides, ex quibus tamen fierent homines? Quid magis distat à communi usu, quàm hominem aliquem fieri patrem alterius hominis ex lapide facti, ac si ipse eum genuisset.

SECTIO V.

Probatur hic sensus auctoritate Sanctorum Patrum.

XXXI. **A**gmen ducat Sanctus Hieronymus in cap. 1. Matthæi quem sequitur Divus Thomas Aquinas Philosophiæ Pharus & Theologorum Vertex in Catenâ ad cap. 3. Matthæi: ubi Sanctus ille Pater duas adducit hujus loci explanationes: Primam his verbis. *Lapides Ethnicos propter cordis duritiam.* Deinde addit secundam. *Sive simpliciter, nota istud (simpliciter) indicat Dei potentiam quâ qui de nihilo cuncta fecerit possit & de saccis durissimis populum procreare.*

XXXII. Dices colligi quidem ex hac secundâ explanatione Divi Hieronymi, eum loqui de veris lapidibus, non verò de filiis Abrahæ proprie dictis: Non enim dicit quod possit Deus de saxis durissimis filios Abrahæ procreare, sed populum procreare: quare explicandus Hieronymus juxta dictâ Sectione 2. quod scilicet possit Deus de saxis durissimis procreare populum, qui per imitationem fidei & morum fierent filii spirituales Patris Abrahæ: Respondeo, non potuit Divus Hieronymus ita stupidè hallucinari ut crederet populum alterum de saxis durissimis procreatum cum conversione ad mores Abrahæ tantum, esse simpliciter filios Abrahæ: quis enim unquam crediderit tales esse filios Abrahæ simpliciter? Atqui loquitur Sanctus Præcurfor de filiis Abrahæ ex lapidibus suscitandis, & Divus Hieronymus dicit hunc locum posse explicari *simpliciter*, ergo ex mente Divi Hieronymi intelligendus Divus Joannes de filiis Abrahæ simpliciter.

XXXIII. Sequitur Divus Chrysostomus in cap. 3. Matth. Homil. 11. ubi sic ille: *Potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Nonnulli quidem opinantur hoc illum dixisse de vocatone gentilium quos metaphoricis lapides nominaverit: Ego tamen aliam quoque hujus dicti intelligentiam esse prospicio. Quæ verò est ista? ne, inquit, putetis quoniam si pecca-*

ris ipsi, absque filiis, orbumq. Patriarcham Deus esse patitur: Non erit istud omnino, non erit, Deo enim possibile est filios ei etiam de lapidibus suscitare, atque ad nobilitatem propinquitatis eius adducere, siquidem & ante sic factum est. Hominem enim ex lapidibus fieri tale est, quale fuit puerum de sterili matre procedere: quod etiam Propheta significans, Aspici- te, in solidam petram de qua excisi estis, & in foveam lacus de qua effossi estis. Aspici- te in Abraham Patrem vestrum, & in Saram qua genuit vos. Hujus igitur il- los Prophetia ammonens & ostendens quo- niam prius quoque tam admirabili modo eum fecisset parentem, ut quodammodo ex lapidibus et filium dedisse videatur, nun- quoque istud dicit esse possibile: Et post pauca, Nec verò ait, potest homines ex la- pidibus facere, sed quod multò erat præci- sius, filios inquit Abrahæ, quid clari- us? quid expressius pro nostro as- ferto?

Neque dicas Divum Chrysostomum ab hoc sensu deflectere per hæc quæ ibidem sequuntur: *Nempè considera quemadmodum illos à jactatione etiam carnali & refugio istius propinquitatis ab- duxerit, ut potius in conversione verâ & conversatione sanctâ spem salutis locarent: vidisti quemadmodum cognationem car- nalem excludens, hanc quæ per fidem con- stat induxerit.* Non enim vult per hæc Chrysostomus Divum Joannem exclu- dere cognationem carnalem à ratione filiorum Abrahæ ex lapidibus per extraordinariam Dei potentiam suscitandorum (quod est in questione) sed tantum excludit S. Doctor istam car- nalem cognationem si sit sola à promissionibus percipiendis: Enimverò etsi illæ promissiones filii Abrahæ secundum carnem factæ sint, non ta- men ut in illis compleantur nisi spiri- tuali etiam cognatione instructi fue- rint? ut proinde non in illâ carnali, sed in hac spiritali, idest conversatione sanctâ, spem salutis scirent Pharisæi esse locandam, quos à jactatione carnali & refugio istius propinquitatis sanctus Præcurfor abducebat: hæc ad oculum patent ex verbis Chryso- stomi.

Eodem modo noster Joannes XLIV. XXXV. Patriarcha Jeroſolymitanus, ille qui
Xx 3 dicitur

dicitur Imperfectus in Matthæum: in fragmentis Commentar. in Luc. c. 3. inter ejus opera à nostro Patre Petro Wastelio uno volumine collecta suoque authori asserita, tibi sic ille: *Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis, &c. Quasi dicat ne putetis quod si vos perieritis, filii privetur Patriarcha, potest Deus enim etiam ex lapidibus homines illi præbere, & ad illum perducere sanguinem. Pondera hoc, Potest Deus ex lapidibus homines illi præbere, & hos ad illum perducere sanguinem.*

XXXVI. Sequitur deinde Euthymius in c. 3. Matthæi ejus hæc sunt verba: *Ne putetis, inquit Ioannes, quod si vos absque fructu virtutum perieritis, nulli reliqui erunt Abrahæ filii: Potest enim Deus de inanimatis his lapidibus suscitare filios ipsi Abrahæ: Etenim ipsum Isaac quoque suscitavit ei de inanimato ac lapideo Sara utero.*

XXXVII. Eodem modo loquitur Theophylactus in eundem locum Matthæi, ubi sic ille: *Per lapides intelliguntur Gentiles, è quibus multi crediderunt: simpliciter tamen dicebat Ioannes quod ex lapidibus possit Deus facere filios Abrahæ. Erat enim & vulva Sara lapis propter sterilitatem & nihilominus pepererat.*

XXXVIII. Tandem Dionysius Carthusianus, qui in cap. 3. Luc. art. 9. circa medium eadem verba ita interpretatur: *Dico enim vobis quia potest Deus de lapidibus suscitare, id est procreare seu ad esse deducere filios Abrahæ: Quod tripliciter intelligi potest & verificari. Primò, per lapides intelligendo ipsa saxa à Ioanne ad oculum demonstrata: per filios verò intelligendo homines justos, qui fidem & perfectionem Abrahæ assequendo, spirituales eius filii essent. Etenim Deus omnipotens qui cuncta de nihilo fecit, naturas rerum commutare, & se invicem convertere facillime potest. Secundò, per lapides intelligendo Gentiles à Judæis vehementer contemptos, quod instar lapidum spiritualiter duri, impoliti, seu incircumcisi ac steriles erant, & Idola muta, Lapideaque colendo, illis conformati fuerunt, secundum illud Psalmista: *similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Deinde subdit quod è re nostra. Tertiò, per lapides intelligendo saxa præfata seu alia, & per filios Abrahæ intelligendo*

filios carnales ejus. Quid clarius? Ad ditque Dionysius, sed fortè non apparet quomodo id fieri potuerit aut possit, præsertim cum tempore illo Abraham obierit, & carnales filii ex carnali semine propagentur: Nihilominus Deus cujus potestas est penitus infinita, hoc pluribus modis potest, &c.

An non his accenseri possit Beatus Petrus Damianus Cardinalis in aliâ quidem, sed simili materiâ disputans, hic ferm. 64. expendens hæc verba Christi Domini è cruce pendentis ad Matrem de discipulo dilecto: *Mulier ecce filius tuus*, sic argumentatur: *Sicut dixit matri ecce filius tuus: ita dixit discipulis hoc est Corpus meum; & tantum fuit in illis verbis effectus, ut illicò panis ille, quem dabat, Dominicum fieret Corpus, dixit enim omnia & facta sunt. Ex quâdam itaque similitudine, si dicere audeamus, & Beatus Ioannes non solum filii potius est nomine, sed propter verba illa dominica quoddam majus necessitudinis Sacramentum apud Beatam Virginem obtinere meruit. Ubi ille Sanctissimus & Doctissimus Cardinalis comparat verba Christi ad Matrem in Cruce, cum ejusdem verbis ad panem in Cœnâ Eucharisticâ, ut scilicet sicut per hæc verba: *Hoc est Corpus meum*, panis factus est illico Corpus Christi, sic per ista, *Mulier ecce Filius tuus*, Joannes factus sit Virginis filius. Quomodo autem hoc? scit Deus qui talia potest.*

Dices, Damianus non vult Joannem factum esse verè filium Virginis per hæc verba, *Mulier ecce Filius tuus*, sicut panis factus est Corpus Christi per illa, *Hoc est Corpus meum*: ait enim Joannem factum esse filium Virginis per illa sicut panis Corpus Christi, ex quâdam similitudine: Respondeo fuisse crassissimum & intolerabilis error omnimodam hic prætereundam similitudinem, quare omninò hic cum limitatione & restrictione debuit loqui & locutus est Damianus. Igitur similitudinem docendo expressè, dissimilitudinem tamen aliquam insinuat. Sed in quo similitudo? in quo dissimilitudo? Audi: similitudo est in effectu utrimque ex verbis Christi secuto, ut scilicet juxta jam dicta, sicut panis factus est verè Corpus Christi vi verborum illorum, *Hoc est Corpus*

Corpus meum, ita Joannes verè filius Virginis vi istorum, *Mulier ecce filius tuus*: Si enim hïc esset dissimilitudo, in quo ergo similitudo? dissimilitudo verò est in modo quo secutus est effectus, quia nimirum panis conversus est in Corpus Christi præexistens, & desit esse panis: Joannes verò non est conversus in Christum Filium Virginis præexistentem, nec desit esse Joannes: absit ut tam absurda cogitemus, sed manens Joannes qui erat, factus est Virginis filius, quod non erat: atque secundùm hoc, & propter hoc limitatè loquitur D. Damianus.

XLII. Ex quâ doctrinâ illud pro me hïc decerpo, quod cum Joannes ex Beato Damiano factus sit verè filius Virginis per illa verba, *Mulier ecce filius tuus*; sicut panis verè Corpus Christi per ista, *Hoc est Corpus meum*, non sit autem hïc ratione Joannes filius Virginis generatione, ut constat: consequenter Divum Damianum censere nobiscum, posse scilicet aliquem fieri à Deo alterius verè filium absque eo quod interveniat generatio si Deus voluerit.

SECTIO VI.

Probatum idem sensus auctoritate aliorum Doctorum & Interpretum.

XLII. SI hos ex ordine persequi vellem, Quando esset finis? Quare ex his paucos selectos accipe, ac primò quidem nostrum Guidonem Perpinianum qui florebat anno 1320. in Opere quod inscripsit *Quatuor unum in Evang.* ad citata Divi Joannis Præcursoris verba, ubi postquam retulit sententiam eorum, qui in illis per lapides intelligebant Gentiles, qui lapides colebant, & quibus similes facti sunt: & per filios Abraham: imitantes fidem & opera Abraham: Subdit secundam, his verbis. *Vel ad litteram ubi Joannes baptisabat, ubi stabant Pharisei, lapides ostendebat: ut sit sensus potens est Deus qui de terra hominem formavit, de istis lapidibus suscitare filios Abraham.*

XLIII. Dices Guidonem commodè explicari posse juxta dicta superius Sect. 2.

dicendo quod illud ad litteram intelligat de lapidibus quidem veris non tamen de filiis veris Abraham: sed contra, cum enim eximius hic Doctor & ex Generali Ordinis Episcopus, prius explicans hunc textum secundùm sensum spirituales applicet distinctè sensum illum tam lapidibus quàm filiis Abraham: Cur aut quomodò, cum ab illo sensu transit ad litteralem, & dicit verba illa Divi Joannis ad litteram posse intelligi *ut sit sensus potens est Deus qui de terra hominem formavit de istis lapidibus suscitare filios Abraham.* Cur inquam aut quomodo verba illa restringerentur ad unum tantum terminum à quo scilicet lapides, quæ in sensu spirituali extendit ad utrumque? Deinde comparat Guido formationem filiorum Abraham ex lapidibus, cum primâ formatione hominis de terrâ: ergo sicut hïc intelligitur de terrâ & de homine ad litteram, ita & illic de lapidibus & filiis Abraham ad litteram.

Conspirat Doctissimus Cornelius XLIV. Jansenius Episcopus Gandavensis in Concordiâ Evangelicâ cap. 13. cujus hæc sunt verba. *Nolite, inquit, cogitare Pater noster Abraham est, proinde cum semini eius facta sit promissio salutis & hereditatis, non poterit venire super nos ira Dei, &c. Ego enim vobis confirmo posse Deum omnibus etiam vobis perditis adimplere promissiones Abraham de semine ipsius factas. Nota illud (de semine ipsius factas,) nam qui olim ex lapideâ & sterili vulvâ Sara excitavit Abraham filium, cujus deinde posteritas arene maris coæquata est, is modo vel ex istis quos cernitis lapidibus, eidem suscitare poterit semen. Nota (semen) in quo præstet quæ illi promissa sunt. Et post pauca. Notandum, inquit, cum dicit ex lapidibus istis, &c. demonstrasse lapides aliquos coram postis &c. ad litteram enim intelligendum Joannem id significare quod verum est, Deum, qui ex nihilo omnia fecit, potuisse etiam ex lapidibus filios Abraham suscitare. Et iterum inferius postquam verba illa explicavit secundùm sensum spirituales, subdit iterum in nostram sententiam. Præterea notandum quod dicit ex lapidibus posse dari Abraham filios. Illo enim aperte significat posse aliquos fieri filios Abraham etiam si ex illo non sint carnaliter prognati, imò ab eo sint quàm alienissimi secundum carnalem generationem,*

generationem, quid enim à carne Abrahae magis diversum quam lapides.

XLV. In eandem abijt sententiam noster Thomas Beauxamis tomo 1. in Harmoniam Evangelicam ad illa verba Divi Joannis, ubi sequitur & citat Divum Hieronymum, Euthymium, & Theophylactum, de quibus Sectione præcedenti.

XLVI. Horum vestigia præmens Didacus Stella in Lucae cap. 3. verba illa Divi Joannis versans sic profertur. *Sed mirum videtur quomodo possit Deus hoc facere, cum Abraham jam obierit, & carnales filii ex carnali semine propagentur? Nam bene Deus ex lapidibus, quos tunc Ioannes digito ostendebat, poterat homines facere, imò ex nihilo: sed quod isti homines sic facti & creati, essent filii Abrahae, impossibile videbatur, sed cum Deo nihil impossibile sit, & potestas ejus sit infinita, multis modis hoc facere potest. Primò quia potest transubstantiando convertere unum in aliud subjectum, sicut quotidie facit in sacrosancto Eucharistia Sacramento, ubi fit transubstantiatio, nam substantia panis convertitur in substantiam Corporis Christi. Et sic lapides in Iudeos, tunc vel nunc existentes convertere poterat. Item potuit hoc facere suscitando Abraham, & lapides in semen ejus convertere. Multis etiam aliis modis vobis ignotis poterat Deus hoc efficere.*

XLVII. Tandem ut alios innumeros omittam, Doctissimus è Societate Jesu Interpres Maldonatus in cap. 3. Matthæi sic explicat. *Veros significat lapides ex quibus non minus potest Deus filios Abrahae suscitare, quam potuit filium Abrahae Isaac ex mortuâ jam vulvâ Saræ. Genesis cap. 15. v. 4. & 5. & Roman. cap. 4. v. 19. Eò enim videtur Evangelista alludere. At suscitatus ex mortuâ vulvâ Saræ fuit verè filius, ergo & ex lapidibus suscitandi, licet dissimili modo. Deindè post pauca idem Maldonatus subtilissimè. Quod autè Remigius refert dixisse quosdam Ioannem hæc dicentem, eos demonstrasse lapides quos olim Hebraei Iordanem trajicientes in sempiternum monumentum erexerunt Iosue cap. 4. vers. 7. non est creditu necessarium, & nimis sententiam restringit. Illud malim observari suscitare filios Hebraicam esse locutionem, quæ plus quam gignere significat, nempe gignere unde*

videntur gigni non posse. Hæc ille. Non quod actionem gignendi hic velit, sed significat terminum seu filiationem inde, unde filiatio videtur non posse expectari.

Ex quibus omnibus patet Abrahamum & quemvis hominem posse (si Deus voluerit) esse verè & propriè patrem, & habere verum & propriè dictum filium absque eo quod interveniat generatio, quæ nullo modo requiritur ut quis fiat verè pater, nisi viâ communi naturali & ordinariâ: Cum ergò Divus Josephus adeò disertè dicatur Pater Jesu in Evangelio, cum eum Deus elegerit directè ut esset Pater Jesu, atque idco non priùs eum ex Virgine concipi voluerit, quam eum duxisset, & ex istâ intentione ejus vices in formatione Christi in Virgine suppleverit, consequum est ipsum esse verè & propriè Christi Patrem: nec minus quam foret Abraham pater istorum, qui ex lapidibus à Deo ipsi fuissent per potentiam obedientialem suscitati: Nam Abraham non foret Pater istorum generatione à se profectâ, sed actione à Deo proprio positâ, ut patet ex textu. Atqui hoc esset à Deo suppleri causalitatem, seu actionem Abrahamæ pro Abrahamo, Cum ergo in casu Divi Josephi suppleverit Deus, seu Spiritus Sanctus in productione Christi actionem Divi Josephi, omninò dicendum est non minus propriè esse Patrem Christi, quam foret Abraham pater istorum filiorum ipsi à Deo suscitatorum, quin potiori jure cum Spiritus Sanctus suppleverit actionem Divi Josephi, ipso existente, & in ejus uxore Divâ Virgine cum quâ erat jure matrimonii una caro.

CAPUT XIV.

Roboratur iterum nostra Sententia de hac Divi Josephi Paternitate exemplo à rebus naturalibus petito.



EMPLA habemus, primò, in Ape de quâ Ecclesia in Benedictione Cerei Pafchalis

chalis Sabbatho Sancto hæc canit : *O verè Beata & mirabilis Apis, cujus nec sexum masculi violant, fetus non quassant, nec filii destruunt castitatem: sed sicut sancta concepit Virgo Maria, Virgo peperit, & Virgo permansit.* Secundò, ficulneis nonnullis quæ teste Sancto Ephrem Syro tom. 3. operum latinitati donatorum & scholiis illustratorum à Gerardo Vossio nostrate & nostræ Cathedralis Leodiensis Canonico ferm. in Margarit. pretios. in fine fructum non ferunt nisi ramis masculorum obumbrentur.

II. Sed hæc solam produco Palmam cujus natura omnibus notissima est. Hæc arbor, quemadmodum magno consensu tradit rerum naturalium scriptores, hæc singulari noscitur prædita proprietate quod sicut in animalibus, sic in illis sexuum diversitas reperiatur: adeò ut quædam illarum mares, aliæ verò feminae sint & dicantur: unde sicut in animalibus, sic in his uiv. venit, quod scilicet palma femina sit ferax, mas neutiquam: neque hoc solum habent commune cum animalibus, sed insuper quod licet palma femina ex se sit foecunda & ferax, foecunditatem tamen istam exeret nunquam, prout nec animalia feminea, nullumque omninò unquam fructum producet, nisi illi palma masculini sexus combinetur, id enim semper & ubique observatum est, quod Palmæ feminae solitariae nunquam producant aut ferant fructum, ferant verò in consortio & præsentia masculi.

III. Sed quod hæc è re nostræ est in hæc tantâ similitudine, quam habent cum animalibus Palmæ, illud habent diversum ab illis, quod ad producendum fructum, licet requiratur utriusque Palmæ masculæ & feminae combinatio (non enim valet duarum mascularum aut duarum feminarum) non tamen necesse est, ut aut radicibus, aut ramis quodammodo coeant quemadmodum animalia, seque contingant, aut invicem copulentur, sed sufficit si sint sibi invicem præsentis, nec alia inter illas ad fructum major requiritur conjunctio: Ex quo patet quod licet Palma femina solitaria fructum non ferat, non tamen mascula Palma

concutit effectivè & per aliquid sui in feminâ receptum, ullo modo ad fructus productionem.

IV. Quamvis autem hoc ita se habeat, quia tamen Palma femina sine mare non fructificat, & hujus præsentia ac umbra facit quod illa foecunditatem suam exercere possit, hinc illius fructus & hujus quoque dicuntur, & huic omninò attribuuntur, ac si eos ut illa effectivè concurrendo comproduxisset, quia scilicet sine hoc non essent. Quid simile ad rem nostram confirmandam & illustrandam hoc naturæ portento? ecce enim dactylus seu fructus quem profert ferax Palma femina est & attribuitur Palmæ mari sterili, quia Palma femina illum non proferret sine ipsius secum connubio: quidni ergo & D. Josephus possit esse Pater Christi quem non produxit, quandoquidem ad ejus productionem voluntate Dei requisita fuerit ejus cõjunctio cum B. Virgine quæ cum protulit? Itaque D. Josephus & B. Virgo sunt spirituales Palmæ ex quibus hæc ex se est foecundissima, & Christum Dominum iustitiæ Florem & Solem protulit, non nisi tamen juncta Divo Josepho, idque ex decreto & voluntate Dei: unde licet D. Josephus ex se non genuerit Christum, quia tamen Beata Virgo non nisi per matrimonium conjuncta potuit illum gignere secundum præsentia Dei decreta, ideo flos iste & fructus Christus Jesus ipsi meritò attribuitur, & Joseph verè illius Pater dicitur. An non istud naturæ miraculum videatur fecisse Deus in Palmâ, ut per illud nos quasi manuduceret ad intelligentiâ hujus admirabilis Paternitatis D. Josephi?

V. Eodem quoque Palmæ exemplo eandem D. Josephi Paternitatem ante me illustraverat Sanctus Ephrem Syrus mox citatus, cujus hæc verba transcribere non pigebit, ut tanti Patris auctoritate nostram de veritate istius Paternitatis sententiam confirmemus. Ergo sic loco citato Divus Ephrem, *Evangeliū*, inquit, *illam* (idest Beata Virginem) *matrem appellat & non nutricem, & Josephum quoque Patrem vocat, cum nullam in eâ generatione partem haberet.* Deinde paucis interjectis, quomodo id verum sit ita explicat.

Yy

Non

Non appellatio, inquit, natura tribuit: nam & nos crebro Patres nuncupamus, non quidem genitores, verum senio conspicuos: Porro ipsi Joseph natura appellationem indidit, honoremque, tempus tribuit, hocque paulo post nostro sic illustrat exemplo. Possunt autem etiam contra ostendere Patrem qui non genuerit: Palmarum mares qui dicuntur, dum obumbrant seminis fructuosas illas efficiunt, cum tamen neque illis misceantur, neque ullam ipsi substantiam praebeant & ficulnearum quoque nonnullae fructum non ferunt, nisi ramis maribus obumbrentur. Quomodo igitur ista quamvis non generent Patres appellantur, ita & Joseph Pater est dictus, licet maritus Virginis non esset: scilicet ut interpretatur Vossius supradictus quoad maritalem thalamum: patetque ex verbis & scopo ac intento Sancti Ephrem.

CAPUT XV.

Amplius veritas huius singularis Paternitatis examinatur & illustratur per illius ad alias Paternitates stricti juris comparisonem.

I. **M**ISSIS paternitatibus per adoptionem & educationem, quatuor alias invenio in Scriptura Paternitates, quas stricti juris appello. Prima est Paternitas naturalis & non carnalis: Secunda, naturalis & non carnalis: Tertia, carnalis & naturalis simul: Quarta, nec carnalis nec naturalis, sed legalis ex lege Deuteronomii cap. 25. Singularum exempla accipe. Pater Aeternus in Divinis est pater naturalis Verbi Incarnati: quia Verbum naturaliter ex paterni fecunditate intellectus procedit: non est carnalis, quia ibi nihil carnis. Divus Joachim est contra Pater Beatissimae Virginis, est Pater eiusdem Verbi Incarnati carnalis mediate, quia ex eius carne propagatus est: non tamen naturalis, quia non via naturali & ordinaria ex Virgine Joachimi filia processit, sed supernaturali & divina. Tertio, Adam respectu Abel, Abraham

respectu Isaac, Isaac respectu Jacob, David respectu Salomonis, &c. Sunt tertio modo patres eorum, id est carnales & naturales simul: Carnales, quia ex eorum carne decisi: naturales quia ex actione naturali progeniti. Quarto modo, Heli fuit Pater Divi Josephi, id est legalis ex Deuteronomii lege c. 25. ut ostendimus supra Parte 1. Tract. 2.

Prima Paternitas ut pote Divina, infinita est, incomprehensibilis & extra omnem ordinem, sicut Deus, consequenter & extra omnem comparisonem. Quare haec omnia ad alias tres progrediamur ut ex collatione Paternitatis Divi Josephi cum his, illius magnitudinem colligere possimus: illud tamen ante observatum velim, quod ut prima paternitas singularis est, & sine exemplo, sic & Paternitas Divi Josephi: multi enim patres carnales & non naturales, tales omnes Christi Progenitores à Divo Matthæo usque ad Abraham, & à Divo Lucâ ab Abraham usque ad Adam recensiti: multi & sine numero carnales & naturales simul: multi legales: Solus Pater Aeternus Pater naturalis & non carnalis, solus item Divus Josephus Pater in suo genere.

SECTIO PRIMA.

Comparatur cum Paternitate Legali.

Legalis Paternitatis, quam supra descripsimus, veritas patet primo ex efficacia voluntatis Divinae, quae quodcumque vult, est: cum ergo tales voluerit esse patres lege à se lata, verè sunt patres, quidquid nobis contrarium videri possit, hicque intellectus captivandus, & supercilia deijcienda. Pater secundò, ex ipsis verbis legis Deuteronomii cap. 25. vers. 5. ubi sic habetur. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabis, ut non deleatur nomen ejus ex Israel.* Ubi notandum quod dum defuncto taliter à fratre

fratre ejus superstitie filius gignitur, non tantum dicitur filius defuncto suscitari, sed etiam *semen* ipsius, quo quid fortius ad exprimendam hujus Paternitatis veritatem proferri potuit, non video.

IV. Tanta portò fuit ista paternitas, ut licet naturalis absolutè loquendo hanc potior esset. Pater enim qui genuit ex se & pro se filium est strictius & perfectius pater, quam sit ille qui non genuit, sed ab alio pro se ex Dei lege genitum accepit, qualis est pater legalis: illa tamen naturalis in particulari ex qua oriebatur in comparatione hujus ferè nulla censebatur: undè filius ita genitus non reputabatur illius qui eum genuerat, sed omninò fiebat illius pro quo fuerat genitus. Undè de Divo nostro Josepho, qui fuit hoc modo filius Heli pro eo quod Mathæus dixit, *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, Lucas dicit, Joseph qui fuit Heli.*

V. Tanta erat, ut si talis Pater legalis postea fortè vitæ restitutus fuisset huic filio suo legali obstrictus fuisset, ac si ipsemet eum genuisset, non verò Pater naturalis, & vicissim filius patri isti ac si ab eo genitus fuisset, non verò Patri naturali; hicque filius, dato quod ille iste pater legalis redivivus alias proles procreasset, inter illas ipse Principatum omninò tanquam primogenitus obtinisset, & ita de reliquis. Ex quibus patet ad oculum quàm stricta fuerit hæc Paternitas.

VI. Paternitas tamen Divi Josephi ad Christum omninò strictior est & perfectior, strictius inter ipsum & Christum vinculum, strictiores ex hoc vinculo utrimque obligationes, jura, effectus: ita Divus Justinus Philolophus & Martyr quæst. 66. ad orthodox. ubi sic fatetur: *Si quod natum est ex Heli filius est Heli secundum legem Dei, multò magis ex uxore Josephi, Deo ita volente filius est Josephi citra conjugalem congressum.*

VII. Ratio hujus rei est manifesta, Nam primò efficacia divinæ voluntatis quæ dum ab æterno voluit esse Patrem, non est minor, imò potior, certo certius quàm in Paternitate istà legali. Secundò, Filius Legalis erat fructus conjugii alieni, Christus verò erat fructus Conjugii proprii Divi Josephi,

Tertiò, quia filius legalis cum patre legali habebat alium patrem, scilicet naturalem, seu eum qui se genuerat, adeoque inter illos duos patres aliquomodo dividebatur affectus, etsi pars potior deberetur patri legali, ut jam jam diximus, non item hic. Christus enim ut homo, nullum alium habuit Patrem quàm Divum Josephum. Quartò, major est, strictior & intimior inter Deum & hominem unio, quando unus pro altero agit seu generat quàm sit inter hominem & hominem. Denique, quia hæc Divi Josephi Paternitas habuit omnes suas sequelas, non sic legalis: amorem scilicet, curam, sollicitudinem, vigilantiam, & labores, ex quibus non parùm crescit & augetur amor & obligatio filii erga patrem. Ex quibus omnibus resultat vinculum hujus Paternitatis Divi Josephi, undique strictius esse vinculo legalis Paternitatis.

SECTIO II.

Comparatur cum Paternitate carnali mediata proximiori, Parentum scilicet Beate Virginis.

VIII. Dico contra P. Joannem Baptistam de Poza è Societate Jesu in Elocidario Deiparæ lib. 2. tract. 10. cap. 6. Divi Josephi Paternitatem ad Christum strictiorem fuisse quàm Paternitate carnali mediata, id est fuisse strictius vinculum Christi ad Josephum, & Josephi ad Christum, strictiores utriusque ad invicem obligationes ratione istius Paternitatis & Filiationis quàm inter eundem Christum & suos Progenitores carnales, etiam Avum & Aviam, Divum Joachimum & Sanctam Annam Virginis Parentis Parentes. Probatur efficacissimè ex dictis præcedenti Sectione: quia Paternitas legalis strictius ligabat filium ad patrem legalem & reciprocè, quàm paternitas naturalis ex qua oriebatur, ergo & strictius ligabat eundem filium ad eundem patrem legalem & reciprocè, quàm quævis filium carnalem ad suum Avum & Aviam: Atqui

Atqui hæc Divi Iosephi paternitas longè superat istam legalem, ut dictum est, ergo & hanc paternitatem carnalem mediata Avorum, Divorum dico Joachimi & Annæ.

IX. Probatur secundò, Generatio Christi in Sanctissimâ Virgine Uxore Divi Iosephi ipsi indivisibiliter conjunctâ, & cum ipso jure Conjugii unâ, à Spiritu Sancto supplente in eâ vices ejusdem Divi Iosephi, modo à nobis dicto, pertinuit magis ad Divum Iosephum quàm ad Avos, Annam & Joachimum, & ob hanc magis illi tenebatur Ioseph, magis ei obligabatur & subiciebatur Christus, quàm Avo & Avia quilibet nepos ut constat, ergo strictior fuit Paternitas Divi Iosephi, illorum Paternitate.

X. Objicies cum Pozâ citato, Divus Iosephus solo nomine & ministerio Patris gaudebat, quod multis erat commune, uti Ægypti Pro-Regi Iosepho respectu Pharaonis, Genes. cap. 45. Hiram respectu Regis Tyrionum & Salomonis 2. Paralip. c. 2. v. 23. & cap. 4. vers. 16. Ulpiano Jurisperito respectu Imperatoris. At Joachimus & Anna verè integræ causæ Mariæ, ac proinde Jesu, graviore munereungebantur. Respondeo primò, D. Iosephum non solum nomine, sed verè & reapse fuisse Christi Patrem juxta supra dicta: indigna est ergo ne dicam injuriosâ Patris Pozæ comparatio paternitatis Divi Iosephi, cum Paternitate Ulpiani Jurisconsulti respectu Imperatoris, Iosephi Ægypti Pro-Regis respectu Pharaonis, &c. Respondeo secundò, Avum & Aviam non posse dici propriè causas Christi, quia certum est non fuisse causas causæ reduplicativè, sed specificativè tantùm: quia licet fuerint causæ Virginis, hanc tamen non applicuerunt aut moverunt ad causandum Christum, ut possint dici causæ causæ Christi reduplicativè, & ideò impropiè tantùm dicuntur causæ Christi Domini: quis autem non videat illa quæ à nobis hætenus in Divi Iosephi paternitate observata, & tam multis repetita, longè prævalere huic divorum Joachimi & Annæ Christi Avorum mediata & impropiæ causalitati: Respondeo tertio, Paternitas

legalis tanta erat, ut strictius ligaret Patrem ad filium & reciprocè quam illa naturalis immediata ex quâ oriebatur, quid mirum ergo si paternitatem Divi Iosephi, quæ legalem longè superabat, huic mediata avorum paternitati præferendam esse dicamus?

Objicies secundò, cum eodem P. Pozâ, dignitas D. Iosephi ab electione est & non à naturâ, parentum verò Deiparæ dignitas à naturâ, gratiâ & divinâ pendet electione: altior autem est naturæ simul & gratiæ nexus, quàm gratiæ solius; ergo, &c. Respondeo primò ad minorem, si gratiâ & electio illius in quo non est naturæ nexus multùm superet gratiam & electionem illius in quo est uterque nexus, ut in nostro casu, falsa est minor: Et certè quis dicet omnes Christi consanguineos qui fuerunt Sancti, in quibus proinde fuit simul naturæ & gratiæ nexus: naturæ, ratione consanguinitatis: gratiæ & electionis, ratione sanctitatis: quis, inquam, dicat hos omnes præstitisse omnibus aliis Sanctis in quibus non fuit nisi gratiæ nexus? Quis dicet Zachariam, Elizabetham, Zebedæum, Simeonem, Cleopham, & alios ac alias, qui vel quæ fuerunt Christi consanguinei aut consanguineæ, & Sancti aut Sanctæ, palmas præcipuisse Sanctis Petro, Paulo, Andrea, & aliis Apostolis qui non fuerunt Christi consanguinei? Nullus: at quis indubium revocare possit gratiam Divi Iosephi quâ in se & directè electus est ad esse Patris Iesu, modo à nobis explicato; & quâ in tempore hæc electio executioni demandata est, scilicet per suppletionem actionis ejus à Spiritu sancto in uxore suâ, & ex intentione supplendi vices ejus & faciendi ipsum Patrem Iesu, præstantiorem esse gratiâ & electione, quâ Joachim & Anna electi sunt indirectè & in alio ut essent Avi Christi? Respondeo secundò, esto in Divo Iosepho non fuerit nexus naturæ formaliter, quia non genuit Christum, fuit tamen reductivè, quia scilicet nexus illius ad Christum, tanquam ad filium, reducitur ad naturæ nexum, quandoquidem iste filius in suâ uxore jure matrimonii secum unâ per actionem Spiritus Sancti suæ suppletivam

pletivam genitus est, dicente Divo Paschasio lib. 2. in Matth. ad illa verba Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam. *Ad Ioseph juxta carnem pertinet ortus Christi.* Et ipse D. Lucas eum non tantum Christi dicat Patrem, sed etiam Parentem. *Cum inducerent puerum IESVM parentes ejus in templum.* Hocque voluit, atque isto modo explicandus est Divus Ephr. à nobis hic supra Capite præcedenti num. 5. citatus, ubi hæc habet. *Nos crebrò Patres nuncupamus non quidem Genitores, verum senio conspicuos. Porro ipse Ioseph natura appellationem indidit.* Nota istud natura: certò non natura formaliter, sed reductivè. Præstat ergò undequeque Iosephi Paternitas Paternitati Avorum.

XII. Objicies tertio ex eodem Poza, magis est domesticus Christi Joachim & Anna quam Iosephus, ergo Christo major illorum cura quam hujus, consequenter amor & beneficia, ait enim Apostolus 1. ad Timotheum cap. 5. *Si quis suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infidelis deterior.* Respondeo negando antecedens, nam Divus Iosephus cum Beatâ Virgine uxore suâ & Christo Domino, unam componebat familiam in in terris, & scriptum est. *Relinquet homo Patrem suum & Matrem suam & adheret uxori suæ.* Et reciprocè, ut scilicet illis relicta individua inter se societatem ineamt: quod si per magis domesticum intelligi velit Poza majorem sanguinis nexum, repetitio est præcedentis objectionis.

XIII. Objicies quarto ex Divo Augustino lib. de decem Chordis. *Ad Parentes suos homo aperit oculos suos, & hæc vita ab eorum amicitia sumit exordium.* Id est inquit P. Poza, nulla est antiquior amicitia quam parentum, ac proinde nulla prius compensanda. Necdum ulli hominum placebamus quando majori charitate à parentibus diligebamur. Ergo cum obligatio Mariæ in Iosephum recentior esset, & cum hic per sanctum Connubium beneficium acciperet, non daret, præponenda est dignitas Joachim & Annæ, ut pote quorum amicitia ad Mariam fuit antiquior. Respondeo, P. Poza sui imme-

mor transit ad aliam questionem: nam questio est quænam sit strictior obligatio Christi ad Iosephum tanquam Patrem, an ad Divum Joachimum & Sanctam Annam tanquam Avos? In hæc autem objectionem aliud agit: resolvit enim strictiorem fuisse Divæ Virginis obligationem ad Divum Joachimum & Sanctam Annam tanquam ad Parentes, quam ad Divum Iosephum tanquam sponsum. Respondeo secundo, loquitur Divus Augustinus de parentibus immediatis, qui soli sunt propriè parentes: Cum ergò Divus Iosephus locum teneat immediati Parentis ex Dei voluntate & electione directâ, & c. ita ut etiam à Divo Lucâ Parens dicatur; ad illum ut Patrem prius Christus aperuerit oculos, ipsius vita ab hujus & Virginis amicitia & curâ dependit primariò, ideo sequitur ex mente Divi Augustini citati, id quod intendimus, scilicet nullam Christo antiquiorem amicitiam, quam Parentum suorum Mariæ & Iosephi.

XIV. Objicies ultimò ex Divo Thomâ 2. 2. quæst. 26. art. 8. in corp. **XIV.** Conjunctio naturalis originis major est quavis aliâ conjunctione, quia conjunctio naturalis est immobilis, & secundum id quod pertinet ad substantiam, aliæ autem sunt supervenientes, & removeri possunt. Sed conjunctio Sanctorum Joachimi & Annæ ad Christum est originis naturalis, non verò Divi Iosephi; ergo illa hæc major & præstantior: unde sequitur quod cum ibidem doceat Angelicus Doctor eos à nobis magis diligendos, qui nobis magis conjuncti sunt, Sanctos Joachim & Annam ut magis conjunctos Christo, quam sit Divus Iosephus, ab eo etiam magis dilectos fuisse. Respondeo Angelicum Doctorem solum facere comparisonem inter conjunctiones ordinarias & communes inter homines, inter quas conjunctio quæ est naturalis originis, ut Patris, Matris, Fratris, Sororis, & c. præferenda est, quia est immobilis, & secundum id quod pertinet ad substantiam: cum aliæ, qualis est Amici, Benefactoris, Vicini, Concivis, Commilitonis, & c. superveniant & removeri possint. Quare nego absolutè quamlibet conjunctionem naturalem v. c. Avæ, Fratris,

Fractis, Sororis, Cognati, esse majorem quavis alia quae non fundatur in tali origine: Nam ex dictis constat Paternitatem legalem Deuteronomii fuisse his praestantior, cum & ipsa naturalis paternitas immediata, ex qua oriebatur, ei cederet: Cum ergo Divi Josephi Paternitas longe strictior sit, paternitate illa legali, consequenter strictior fuit conjunctione Avi ad Nepotem, &c. Et hujus rei ratio est, quia licet conjunctio paternitatis legalis, aut Paternitatis Divi Josephi non sint formaliter naturalis originis primae classis, ad illam tamen reducuntur, sunt immobiles, maxime vero Divi Josephi Paternitas: quare de hac sicut de illa servata proportione argumentandum & judicandum.

SECTIO III.

Comparatur cum Paternitate naturali & carnali immediata.

XV.

SANCTUS Pater Augustinus omnium Ecclesiae Doctorum Apex, in omnibus quae versat eximius, in prosequendis Divi nostri Josephi Magnalibus nulli secundus, imò inter omnes certissime praecipuus; sed in explicanda hac ejus ad Christum singulari Paternitate, tanquam omnium Praerogativarum & Gratiarum ejus perenni fonte, singularis & omnino admirandus, ita hanc ejus paternitatem elevat, ut non tantum eum verè ac verissime Patrem JESU asserat, sed quod me & alios etiam Doctissimos tenet attonitos, firmiter & perfectius velit Patrem, quam sint patres naturales ordinarii, patres filiorum quos ex se genuerunt: Quod quidem assertum quia à tanto Doctore (quem cum tota Ecclesia & Schola praeter omnibus suspicio & suspicio) profectum & nullatenus retractatum, imò saepius repetitum video, ultro & animatus amplector, eò vel maxime, quod cum illud veritate niti videam, tam eximie faciat ad Sanctissimi hujus Domini & Salvatoris mei JESU in terris Patris magnitudinem & lau-

dem (quarum ego ingenter avidus sum) ut ad illud nihil addi possit ultra, & nihil sint ea quae haecenus dixerunt istius Sancti Encomiastes, si cum hoc quae de eo hic Augustissimus Doctor protulit elogio comparentur.

Sed quia res haec nonnullis dura videtur & valde difficilis; ideò non obiter & cursim transcunda, sed cum otio & mature examinanda: quare illam ad duo Capita sequentia rejicimus, in quorum priore sensum Divi Augustini de hac Paternitate singulari & admirabili detegemus; in sequenti pro hoc ejus sensu dimicabimus.

CAPUT XVII.

Sensus Divi Augustini de hac Divi Josephi singulari Paternitate.

PLURIBUS in locis suorum Operum Divus Augustinus totus est in commendatione Divi Josephi, ut proinde nullatenus dubitare possim cum ipsi inter omnes Ecclesiae Patres fuisse devotissimum: quis enim credat in eo tantam lucem fuisse sterilem: tantam Sanctitatis & Potestatis Divi Josephi cognitionem fuisse sine affectu & devotione? Sed nullibi tam praclare, tam eximie ille Sanctus Doctor de eo disseruit ut tomo 10. de divers. serm. 63. de Consonant. Evangelist. Matthaei & Lucae in viginti quatuor capita distincto, ubi mirifice materiam de ejus ad Christum Paternitate prosequitur: & tantis ejus veritatem adstruit ut cuique hujus Sanctissimi Patris JESU devoto assatum sufficere possit.

Tria itaque quoad hoc exequitur ibi Augustissimus Doctor. Primo quidem eum verè fuisse Christi Patrem asserit, non obstante quod cum Beatà Virgine Deiparà non concubuerit, nec per consequens ad generationem Christi ullo modo effectivè concurrenit. Secundo, docet non tantum fuisse verè illius Patrem, sed etiam non minus verè quam sint patres illi qui hodie ex concubitu generant. Tertiò, tandem gradatim

semper ad majora progrediendo, hoc ita probat, ut non tantum illius probationes id omnino inferant, sed etiam esse firmius ac perfectius Christi Patrem, quam sint isti suorum filiorum quos ex se genuerunt: quod & dilerte ac in terminis concludit. Singula per ordinem videamus.

SECTIO PRIMA.

*Divus Josephus verè Pater
JESU ex Divo Augustino
loco citato.*

III. **A**C primò quidem cap. 10. 11. & 12. incipit ostendere quatuor argumentis esse verè Patrem JESU: primo, Jure Conjugii, quia scilicet verè Virginis, quæ cum peperit, Maritus. Secundò, propter autoritatem illi in Christum exilitis traditam, ex quâ ei nomen imposuit. Tertio, quia ita eum vocabat Maria, quæ tamen conficia erat, quod non ex ejus complexu aut concubitu Christum conceperat. Quarto, quia Christus ei, ut filius patri, subditus fuit.

IV. Sic igitur ille ibidem cap. 10. Altera illorum calumniatio est: per Joseph, inquit, generationes Christi, & non per Mariam numerantur. Attendat paulisper sanctitas vestra; non, inquit, per Joseph debuit. Quare non debuit per Joseph? nunquid non erat maritus Mariae Joseph? non, inquit, quis hoc dicit? scriptura enim dicit Angelicâ autoritate quod maritus erat, Noli timere, inquit, accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in illâ narum est de Spiritu sancto est. Et quoque jubetur ut puero nomen imponat, quamvis non de semine suo nato. Pariet, inquit, filium & vocabis nomen ejus JESUM. Sed hoc intendit Scriptura quod non sit natus de semine Joseph, cum sollicito unde esset illa gravis, utero, dicitur, de Spiritu sancto est; Et tamen paternæ ei non aufertur autoritas, cum jubetur puero nomen imponere. Denique & ipsa Virgo Maria bene sibi conscia, quod non ex ejus complexu & concubitu conceperit Christum, tamen eum Patrem Christi dicit; Attendite quomodo? cum

esset duodecim annorum Dominus IESUS Christus secundum hominem, qui secundum Deum est ante tempora & sine tempore; remansit ab eis in Templo, &c. & dicit mater ejus, Quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te: Et ille, non sciebatis quia oportet me in his esse quæ Patris mei sunt: Non enim sibi volebat esse filium illorum, ut non intelligeretur Filius Dei: Filius enim Dei semper Filius Dei, creans illos ipsos: filius autem hominis ex tempore natus de Virgine sine semine maritali, parentem habebat utrumque: unde hoc probamus? jam dixit Maria, Pater tuus & ego dolentes quærebamus te: Hæc Divus Augustinus dicto cap. 10.

Prosequitur cap. 11. dicens: Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Quid ergo respondet Dominus IESUS Christus? oportebat me esse in his quæ Patris mei sunt: non sic indicat Patrem Deum, ut neget Patrem Joseph. Unde hoc probamus? secundum Scripturam quæ sic ait: Et dixit ad illos, non sciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? Illi autem non intellexerunt quid illis locutus est. Et cum descendisset cum illis, venit Nazareth, & erat subditus illis. Non dicit erat subditus matri, aut erat subditus ei, sed erat subditus illis. Quibus subditus erat? nonne parentibus? ambo parentes erant quibus ille subditus erat, eâ dignatione, quâ filius hominis erat.

Ac deinde cap. 12. Christo mundus subditus, Christus parentibus subditus. Viætis ergo fratres quod non ita dixerit, oportet me in his quæ Patris mei sunt esse ut intelligeremus quasi dictum, vos non estis parentes mei; sed parentes illi temporaliter, Pater ille sempiternè: Parentes illi filii hominis, Pater ille verbi & sapientiæ suæ, Pater virtutis suæ per quem cuncta formavit.

Ex quibus cap. 13. concludit: Non itaque propterea non fuit Pater Joseph, quia cum Matre Domini non concubuit; quasi uxorem libido faciat & non charitas conjugalis: intendat sanctitas vestra: dicturus erat post aliquantum temporis Apostolus Christi in Ecclesiâ. Reliquum est ut qui habent uxores tanquam non habentes sint I. Corinth cap. 7. Et multos novimus fratres nostros fructificantes

in gratiâ, in nomine Christi ex consensu ab invicem continere concupiscentiam carnis, non autem ab invicem continere charitatem conjugalem. Quanto illa reprimitur, tanto ista fortius confirmatur. Nonne sunt conjuges qui sic vivunt non querentes ab invicem fructum carnis, non exigentes ab invicem debitum concupiscentie corporalis? Et tamen illa subiecta est viro, quia sic decet: & tanto subiectior quanto castior: & ille uxorem diligit verè ut scriptum est, in honore & sanctificatione, tanquam cohæredem gratiæ sicut Christus, inquit, dilexit Ecclesiam, Ergo si copula est, si conjugium est, si non ideo non est conjugium quia non fit illud quod etiam in non conjugate fieri potest sed illicitè potest: utinam possent omnes, sed multi non possunt, non ergo disjungant eos qui possunt, & propterea negent esse vel illum maritum vel illam uxorem, quia non sibi carnaliter miscentur, sed cordibus connectuntur, &c. Quæ ibi fusè prosequitur & hæc de veritate hujus paternitatis ex hoc sermone. Vide plura à nobis aliunde ex eodem Sancto Augustino in eam rem adducta supra.

SECTIO II.

Quàm verè Divus Ioseph Pater Christi ex eodem S. Augustino.

VIII. **N**on minus verè Pater Christi, inquit Divus Augustinus loco citato cap. 14. quam Patres ordinarii sint Patres filiorum quos opere carnis genuerunt. Accipe Sancti Doctoris ipsissima verba.

IX. *Ergo fratres mei, inquit, intendite qui liberorum procreandorum causâ habent uxores magni viri, quales fuisse Patres legimus, & multis documentis invenimus, clamantibus omnino sine dubitatione paginis sanctis: si qui ergo viri propter creationem tantummodo liberorum uxores habent, si eis posset præstari ut haberent filios sine concubitu, nonne ineffabili gaudio tantum beneficium amplecterentur? nonne cum ingenti lætitiâ susciperent? duo sunt enim opera carnalia quibus consistat genus humanum: in quæ*

duo opera prudentes & sancti ex officio descendunt, imprudentes autem in ea per cupiditatem ruunt. Aliud est enim ad aliquid officio descendere, aliud in aliquo per cupiditatem cadere. Quæ sunt ista quibus consistat genus humanum? In nobis ipsis primum est quod pertinet ad sumenda alimenta, quæ utique non possunt sine aliqua per carnem delectatione sumi, manducare & bibere: si non feceris morieris. Hoc ergo uno sustentaculo stat genus humanum pro modo nature sue, manducando & bibendo. Sed per hoc sustentaculum sustentantur homines, quoad seipso attingit: successioni autem non consulunt manducando & bibendo, sed uxorem ducendo. Sic enim consistat genus humanum, primum, ut vivant homines: sed quia aigentia quantâcumque corpori adhibita non possunt utique semper vivere: consequens provisio est ut nascentes succedant morientibus: quia ita est genus humanum sicut scriptum est quomodo folia in arbore: sed in arbore Olea, vel Lauro, vel aliqua huiusmodi, quæ nunquam sine comâ est, sed tamen non eadem semper habet folia, &c. sic & genus humanum, quotidie morientium detrimenta non sentit per supplementa nascentium, & sic pro modo suo stat universa species generis humani. Et sicut folia in arbore semper videntur, ita plena hominibus terra semper conspicitur. Si autem morerentur tantum, & non nascerentur; velut arbores quedam omnibus foliis, ita terra omnibus hominibus nudaretur: Cum ergo sic subsistat genus humanum, ut necessaria sint duo sustentacula, de quibus satis dictum est: ad utrumque sapiens, & prudens, & fidelis, officio descendit, non libidine cadit. Ad manducandum & bibendum quam multi voraciter irruunt, ibi ponentes totam vitam quasi ipsam causam vivendi? Nam cum ideo manducant ut vivant, ideo se putant vivere ut manducant. Istos omnis sapiens reprehendit, & maxime divina scriptura, edaces, ebriosos, belluones, quorum Deus venter est ad Philip. cap. 3. Hos ad mensam non adducit nisi concupiscentia carnis, non indigentia refectiois. Itaque isti cadunt in escam & potum, illi autem qui descendunt ex officio vivendi, non ideo vivunt ut comedant, sed ideo comedant ut vivant: Itaque istis prudentibus, & temperantibus, si offerretur ut sint cibo

Et potu viverent, quanto gaudio amplecterentur hoc beneficium. Tertio, ut quo cadere consueverunt, nec descendere cogentur, sed semper suspenderentur in Domino. Non deponeret eorum intentionem necessitas fulciendarum corporis ruinarum. Quomodo putatis Heliam sanctum accepisse quando accepit calicem aqua, & collyridam panis, ut satis ei esset in alimentum quadraginta dierum: cum magna utique latitâ: quia propter officium vita, non propter seruitutem concupiscentie manducabat & bibebat. Tenta hoc prestare se possis homini, qui beatitudinem totam & felicitatem in epulis, tanquam pecus in praesepti constituit. Odit beneficium tuum, repellit à se, panam putat: sic & in illo officio conjugali, libidinosi homines uxores non propter aliud querunt: & ideo vix tandem ipsis uxoribus contenti sunt: atque utinam si auferre non possunt, aut nolunt libidinem, non ultra eam progredi sinant, quam praescribit debitum uxorum, etiam quod infirmitati conceditur: sed plane si tali homini diceret quare ducis uxorem? Responderet tibi forte verecundatus, propter filios: si quis ei diceret (cui sine ulla dubitatione crederet) potens est dare tibi & omnino dabit tibi Deus filios etiam non operanti opus illud cum uxore: ibi certe concluderetur, atque fateretur, quod non propter filios quarebat uxorem. Confiteatur ergo infirmitatem, accipiat quod officiosè accipere praetendebat.

X. Prosequitur incomparabilis Doctor cap. 15. Sic illi priores sancti homines Dei filios querebant, filios suscipere volebant. Ad hoc unum iungebantur feminis, ad hoc feminis miscbantur, ut filios procrearent: ideo illis permissum est ut plures haberent: nam si libido placebat Deo, sic permitteretur illo tempore, & una femina haberet plures viros, quomodo unus vir plures feminas. Quare omnes feminae castae non habebant amplius uno viro, vir autem plures feminas, nisi quia plures habere feminas unum virum pertinet ad proles numerositatem: una autem femina non quo plures habuerit viros plures poterit parere filios. Quapropter fratres, si Patres nostri non ob aliud quam ad liberos procreandos iungebantur & miscbantur feminis: magnum illis esset gaudium, si praeter opus illud carnale possent habere filios propter quos habendos ad illud non libidine

ruebant, sed officio descendebant.

Quibus tam subtiliter & eruditè praestructis, ita concludit Augustissimus Augustinus. Propter hoc Ioseph non erat Pater, quia sine concupiscentia carnis susceperat filium? Absit ut hoc sentiat castitas Christiana, quod nec Iudaica sentiebat: quae scilicet Patres legales agnoscebat. Diligite uxores vestras, sed castè diligite: usque ad eum modum carnale opus expetite ut filios procreetis. Et quia aliter non potestis habere filios, ad illud cum dolore descendite. Pena est enim illius Adam de quo exorti sumus. Non extollamur de panâ nostrâ. Pena illius est qui meruit mortaliter gignere, quia peccato mortalis effectus est. Ipsam panam non subtraxit Deus, ut meminisset homo unde revocatur, & quo vocatur: & quereses illum amplexum ubi nullapote est esse corruptio. In illo ergo populo, quia oportebat fieri abundantem propagationem usque ad Christum per numerositatem plebis, in qua praefigurarentur omnia quae praefiguranda erant Ecclesiae documenta, habebant officium ducendarum uxorum, per quas populus cresceret, in quo populo praesignaretur Ecclesia.

XII. Prosequitur deinde cap. 16. At ubi natus est ipse Rex omnium gentium, capit dignitas virginalis à Matre Domini: quae & filium habere meruit & corrumpi non debuit: sic ergo erat illud conjugium, & sine ulla corruptione conjugum. Sic quod castè uxor peperit, cur non castè maritus acciperet: sicut enim castè conjux illa, sic ille castè maritus. Et sicut illa castè Mater, sic ille castè Pater. Qui ergo dicit non debuit dici Pater quia non sic genuerat filium, libidinem quarit in procreandis filiis, non charitatis affectum. Melius ille quod alius carne implere desiderat, animo implebat. Nam & qui adoptant filios castius eos corde gignunt quos carne non possunt. Videte fratres videte iura adoptionis, quomodo sit homo filius, cuius femine natus non est: ut plus in eo juris habeat voluntas adoptantis quam natura gignentis. Ita ergo non solum debuit esse Pater Ioseph, sed maximè debuit. Nam & de feminis quae uxores non sunt, generant homines filios, & dicuntur filii naturales, & praeponuntur eis filii conjugales. Quantum pertinet ad opus carnis, equaliter nati sunt: unde isti praeponentur, nisi quia castior est

Z z

uxoris

uxoris charitas de qua liberi procreantur? non illic attenditur commixtio carnis, quae in utraq; feminâ par est. Ubi vincit uxor nisi in affectu conjugii, affectu sincerioris castiorisq; charitatis? si ergo posset de uxore quisquam sine concubitu suscipere filios, non tanto debuit latius quanto est illa castior quam diligit amplius? Quam divinè hæc Divus Augustinus pro Sanctissimo ac castissimo nostro Iosepho! ex quibus satis apparet quàm sublimiter fenserit hic incomparabilis Doctor de hæc paternitate.

XIII. Nec te moveant quisquis hæc legis verba illa Augustini ex hoc cap. 16. *Nam & qui adoptant filios castius eos corde gignunt, quos carne non possunt, quasi vel Patres adoptione præferat illis qui sunt generatione tales, vel paternitatem D. Iosephi, compareret cum paternitate per adoptionem: nihil enim minus cogitavit D. Augustinus. Sed cum pronunciaverit & tam multis afferuerit negationem exercitii libidinis, aut carnalis commercii (quod comitari toler libido) in Divo Iosepho non officere ejus paternitati verè, id tantum confirmat exemplo paternitatis per adoptionem, in quâ nulla intervenit libido, & voluntas adoptantis id facit quod natura non potuit. Estque non comparatio similitum, sed argumentum à minori ad majus, ac si diceret: videte quod in adoptione hominum, illi quibus natura denegavit filios, alios sibi voluntate adoptant, quos ut ita dicam corde gignunt, qui ex lege humanâ fiunt adoptantis filii, & sine libidine, sine carnali commercio sunt filii: si ergo hoc potest sola adoptio & voluntas humana, quid cogitandum in nostro casu, ubi Deus ipse D. Iosepho filium suum ex uxore jam uxore dedit, & habere voluit licet sine carnali commercio? hæc est argumentatio D. Augustini ex ipsius verbis admetitis manifesta.*

XIV. Et quia ut aiunt Docti, *in geminatis non cadit error*, confirmatur hæc doctrina Divi Augustini ex eodem Augustino lib. 2. de Consensu Evangelistarum cap. 1. ubi explicans verba illa: *Et ibant parentes ejus per singulos annos, &c.* ita habet: *sed ne quisquam hic parentes consanguineos potius Maria cum*

ipsâ Matre ejus intelligendos putet, quia ad illud respondebit quod ipse item Lucas superius dixit. Et erant Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo: Cum igitur ipse narret non ex concubitu Iosephi, sed ex Mariâ Virgine natum Christum, unde eum Patrem ejus appellat, nisi quia & virum Mariæ rectè intelligimus sine commixtione carnis, ipsâ copulatione conjugii, & ob hoc etiam Christi Patrem multo conjunctius qui ex ejus conjugio natus sit, quam si ei esset aliam de adoptatus. Ex quo textu patet bonitas nostræ explicationis textui Augustiniano præcedenti numero data, & Divum Augustinum hic & ibi sibi coherere, meque idè & omnes cordatos illi hæc in re prudenter adherere.

SECTIO III.

Quantum D. Iosephus Christi Pater ex D. Augustino citato?

PROgreditur Divus Augustinus, & cap. 20. hoc ipsum quod intendimus probando, etiam asserit firmius Christi Patrem esse Divum Iosephum quàm sint cæteri homines Patres filiorum quos ex se genuerunt, pro quo accipe ipsa verba Divi Augustini dicto cap. 20.

Iam verò illud quia movere non debet, quare per Ioseph, & non per Mariam generationes numerentur, satis dictum est, quia sicut illa sine carnali concupiscentia Mater, sic ille sine carnali commixtione Pater. Per illum ergo descendant, & per illum ascendant generationes: nec eum propterea separemus, quia defuit carnalis concupiscentia, major puritas confirmet Paternitatem, ne ipsa Sancta Maria nos reprehendat. Illa enim nomen suum proponere noluit marito suo, sed dixit, Pater tuus & ego dolentes quarebamus te. Non ergo faciant perversi murmuratores quod conjux casta non fecit. Numeremus ergo per Ioseph, quia sicut castè maritus sic castè Pater est: Sed proponamus virum femina ordine natura & legis Dei. Nam si remoto illo, illam constituamus, dicit ille, & rectè dicit, quare

quare me separasti? quare non per me generationes vel ascendunt vel descendunt? Notanda diligenter quae sequuntur? An dicitur ei quia non tu genuisti opere carnis tuae? sed respondebit nunquid & illa opere carnis suae peperit? Quod Spiritus sanctus operatus est, utriusque operatus est, sed in co sexu quem parere decebat, operatus est hoc quod etiam marito nasceretur. Deinde post pauca. Sic ergo Pater sicuti est. Cautissimè enim Evangelista & prudensimè per illū numerant sive Mattheus descendens ab Abraham usque ad Christum: sive Lucas ascendens à Christo per Abraham usque ad Deum. Ille descendens numerat, ille ascendens. & ambo per Ioseph: Quare? concludit: quia Pater? Quare Pater? quia tantò firmitus Pater, quanto castius Pater.

XVII. In quibus Augustini verbis tria omninò notanda, primò interrogatio illa, Si remoto illo, illam constituamus, scilicet in Genealogia seu deductione progenitorum ex quibus Christus, dicit ille & rectè dicit quare me separasti? quare non per me generationes vel ascendunt, vel descendunt? ubi vides Augustinum censere quod fuisset data D. Iosepho occasio iustae quarimoniae, si per Beatam Virginem, & non per ipsum descensus Christi secundum carnem deductus fuisset: Idem quoque censet idem S. Doctor tom. 7. lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 11. his verbis: Sed cum Iosepho non seminante illa peperisset, profectò nec ipsius forma servi ambo parentes essent nisi inter se etiam sine carnis cõmixtione conjuges essent: unde & series generationum, cum parentes Christi connexionem successionis commemorantur, usque ad Iosephum potius, sicut factum est, fuerat perducenda, ne (nota quod sequitur) in illo conjugio virili sexui utique potiori fieret injuria, &c.

XVIII. Secundò, notanda istius iustae querimoniae ratio: Si enim ei dicatur, quid quereris quod per te Genealogia Christi non deducitur, cum eum opere carnis tuae non genueris? Respondebit, inquit Augustinus, nunquid & illa, idest Beata Virgo, opere carnis suae concepit? ac si diceret, non. Quod Spiritus Sanctus operatus est, utriusque operatus est, sed in co sexu quem parere decebat, operatus est hoc quod etiam Marito nasceretur. Magna sunt ista pro Paternitate D. Iosephi.

XIX. Sed quomodo hoc potest esse verum quod Beata Virgo non genuerit Christum opere carnis suae? quomodo ergo Teotocos? quomodo Mater Dei? Respondeo pro defensione asserti Augustiniani in Diva Virgine quando Verbum Dei concepit, non tantum non fuit copula cum viro, ut constat, sed nec in conceptione Verbi fuit resolutio seminis ipsius, ut in ceteris mulieribus quando concipiunt ex viris: si enim ipsa non seminent, earumque semen non resolvatur quando coeunt, non concipient: in his autem duobus copulâ scilicet & seminatione seu resolutione seminis est opus carnis in mulieribus, quorum neutrum fuit in Virgine purissima. Etsi enim ipsa concurrerit ad organizationem Corporis Christi, & unionem ejusdem corporis cum animâ ut ceterae mulieres in formatione suarum prolium, non tamen ut illa per semen resolutum, sed per virtutem ei à Spiritu Sancto supernaturaliter concessam. Ita Divus Thomas 3. part. quaest. 32. art. 4. Quare vis argumenti Augustiniani talis est, Si Beata Virgo est Christi Mater, cum tamen non per opus carnis, idest copulam & sui seminis resolutionem conceperit ut ceterae mulieres: Quare cur in Divo Iosepho ut esset ejusdem Christi Pater requiretur quod per opus carnis & seminando eum genuerit? Cumque oportuerit Virgo esse Mater concipiendo Christum, non per opus carnis, sed per virtutem à Spiritu Sancto concessam, cur non sufficiet, ut Ioseph sit ejus Pater, quod in uxore sua à se indivisâ formatus sit per actionem Spiritus Sancti suae suppletivam, & ex directâ voluntate ejus actionem suppleri?

XX. Tertiò, notanda ex praedictis magna Divi Augustini conclusio quod scilicet non tantum sit verè Christi Pater, sed etiam firmitus, sive perfectus Pater, quò castius. Cum ergò nihil aliud in praefatis egerit Augustinus, quam perpetuò conferre hanc Divi Iosephi Paternitatem, quae fuit sine concubitu, cum illa quae est per concubitum, & post ejusmodi collationem, seu comparationem, tandem ita concludat, quid sequitur nisi Divum Iosephum esse perfectius

festius Christi Patrem quam sint ceteri qui per concubitus & opus carnis generant.

XXI. Sed quomodo vera potest esse hæc Sancti Augustini sententia? nam illi qui per concubitus generant, quocumque tandem modo ad generandum procedant, id est sive ad id ex officio descendant, sive per libidinem ruant, sunt principium per se filiorum suorum; Divus autem Josephus non est Pater Christi nisi per actionem Spiritus Sancti ejus vices supplentis: Atqui quod quis est per se, magis est tale, quam qui est tantum per alium, & illius actionem: ergo &c. pro hoc sic

CAPUT XVII.

Pro sensu Divi Augustini in locis præcitatis dimicatio.

I. **N**OTANDUM primò, etsi priusquam Beata Virgo impragnaretur à Spiritu Sancto, Divus Josephus nihil de eo præciseverit (quia id primò didicit ab Angelo, eum eam gravidam dimittere cogitaret) divinitus tamen ei datum est, ut actualiter ante cognosceret Deum posse si velit viro ex uxore sua, vel per conjunctionem, vel citra illam, dare liberos, sicut potest citra alimentum, si velit, dare homini ut in se vivat. Ex quâ cognitione & fidei suæ magnitudine, movente tamen illum ad id specialiter Deo in ordine ad executionem electionis de eo factæ in Patrem jam instantem, sic apud se resolvit: Cum id ita sit quod potest Deus, si velit, viro ex uxore suâ, vel per conjunctionem cum illâ, vel citra conjunctionem, dare liberos; Ego me igitur totum quoad hoc ipsius Divinæ providentiæ & voluntati committo, firmiter credens si Deus velit me habere prolem, mihi daturum renuncianti pro ipso operi carnis, non daturum autem quantumvis illud facienti, si nolit me habere prolem: unde & ex hæc reflexione non difficile abiit in votum castitatis inaudito exemplo.

I I. Hoc notandum inter omnia quæ ad Divi Josephi commendationem dici

possunt nobilissimum, & ex quo multa suis locis non modica ad ejus laudem colligam, non difficile suadetur cuivis homini pio: Nam primò illud mihi suggestit Divi Augustini doctrina Capite præcedenti num. 9. & 10. ex cap. 14. istius sermonis 63. de diversis transcripta, & Divi Justini Martyris quæst. 66. ad Orthodox. supra hoc Tractatu cap. 3. num. 2. Secundò, quia nihil est in eo repugnans: quod enim dici posset esse ridiculum & stultum expectare prolem ex uxore sine concubitu per miraculum tunc omninò inauditum, nec ab inde amplius futurum, rejicitur. Primò, quia nõ dicimus certò expectasse prolem ex uxore sine concubitu, sed certò credidisse posse Deum si velit sine illo dare prolem: in quo nihil stulti, imò quod omnes crederent. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Luc. c. 1. Secundò, quia gratia electionis D. Josephi fuit ut esset Pater Christi, ad quod & directè ex supradictis electus est: Cum ergo Dei ordinatum sit gratiam muneri ad quod elegit aprare, dicendum sine formidine, nullam D. Josepho gratiam negatam, quæ conduceret ut ad illud munus Patris JESU melius præpararetur: Et hoc quidem tantò verius & certius, quanto æquius est cogitare Deum nullibi exactius hanc regulam servasse, quàm in Mariâ & Josepho utroque Christi Parente. Cum ergo per hanc sanctam cogitationem Divus Josephus melius ad suam paternitatem præparandus foret, ut constat, hæc gratia illi nullatenus est deneganda. Tertio, quia per hoc disponebatur ejus animus ad facilius & promptè postea assentiendum Angelo revelanti id ipsum sibi contigisse quod crediderat. Quarto, cum Divus Josephus uxorem duxerit, sciret autem apprimè quod maledictus esset tunc ex lege sterilis in matrimonio, nullâ cogitatione melius confortari potuit, ut spretâ illâ legis maledictione, & apud homines probro, in continentiam cum Virgine uxore conspiraret, quam illâ. Quintò, ex nostro Imperfecto in Matthæum homil. 1. ad illa verba, *Joseph autem vir ejus cum esset justus: ubi sic ad rem nostram argumentatur. Conceptionem manifestè videbat, & fornicationem suspicari non poterat,*

rat, possibile esse credebatur mulierem sine viro concipere, quam Mariam posse peccare. Ex quo sic arguo ad propositum meum: si tunc sic cogitabat D. Iosephus & Deus cogitare dedit (aliàs quòd abisset cogitationes ejus?) posse scilicet mulierem sine viro concipere, si Deus velit, cur non etiam ante? ut sic magis disponeretur ad hoc ipsum recipiendum nunc re urgente & Angelo revelante? Sextò, ex Divo Augustino *Sermone 2. inter additos ad Opera ejusdem Patris à Chartus.* ubi sic ille Sanctus Doctor. *Inventa est Virgo illa pręgnans ad quam vir non accesserat, uterus quidem fetu intumuerat, sed virginalis integritas manserat, seminatore fidei conceperat.* Attende sequentia. *Et Ioseph circa conjugem suam corpore non erat mixtus, sed tamen jam fide fuerat copulatus.* Hic pondera, & benè confer omnia inter se: Quid significat hoc ultimum? *Et Ioseph circa conjugem suam corpore non erat mixtus, sed tamen jam fide erat copulatus.* Certè istud non significat solam copulationem per vinculum matrimonii: supponitur enim tunc Virgo, cujus jam venter intumuerat, & fides seminatore fidei conceperat, fuisse conjux, circa quam ipse Ioseph non erat corpore mixtus. Quid autem nisi illud quod hie dicimus? quod scilicet Divus Iosephus fide illà, de quà hie, copulatus fit Virgini, ut scilicet illi fides ista fuerit pro copulà, quia scilicet propter illam Spiritus Sanctus ejus vices in Virgine supplevit ut conciperet.

III. Ex quo notando sequitur, quòd cum D. Iosephus se commiserit Deo quoad prolem in suo conjugio, Spiritum sanctum qui ei hanc mentem inspiravit, ut ei corresponderet, tantamque ejus fidem frustraneam esse non permitteret (prout mos est Dei) B. Virgini in eodem obumbrasse conjugio, atque ita ipsum eodem ipso modo Patrè efficere voluisse, quo ipse per eum se talem fieri posse cogitaverat: unde manifestè sequitur Spiritum sanctum virgini obumbrasse ex directà voluntate, & expressà intentione supplendi vices ejus: quod satis indicavit etiam Augustinus cap. præced. num. 18. in his verbis: *Quòd Spiritus sanctus operatus est, utrisque operatus est, sed in eo sexu quem*

parere decebat operatus est hoc quòd etiam marito nasceretur. Non ergo Spiritus sanctus quasi nihil cogitans de Divo Iosepho virgini obumbravit, quando Christus in castis Virginis visceribus efformandus fuit, quemadmodum adhuc monuimus supra cap. 11. num. 14. sed ex intentione & voluntate supplendi vices ejus, & faciendi ipsum Christi Patrè ad quòd ab æterno directè electus erat.

Notandum secundo, triplicem esse in universum viventium generationem: prima est purè spiritualis, cujus principium & terminus sunt purè spirituales: talis est & sola talis productio Verbi æterni à Patre in divinis, quæ est per intellectum: Secunda, è contra est purè materialis & corpora, cujus principium & terminus sunt purè materiales & corporei, qualis est productio arboris ab arbore, bruti à bruto: Tertia denique est mixta, cujus principium & terminus sunt partim materiales & corporei, partim spirituales & incorporei: qualis est productio hominis ab homine.

Notandum tertio, licet productio viventium simpliciter, idest vegetabilium, puta arborum & plantarum, sit verè & propriè generatio sicut & cæterorum, quia est processio viventis à vivente in similitudinem naturæ, terminus tamen ex vi talis generationis productus, non dicitur filius, nec principium producens Pater, & hoc omnes fatentur: non enim arbor A dicitur Pater arboris B, aut arbor B filius arboris A, cur autem hoc? quis aliud assignare potest nisi quia arbor B non est ab arbore A, ut à principio cognoscente, quemadmodum sunt termini seu effectus aliarum generationum?

Dices cum P. Oviedo Iesuita degenerat, controvers. 2. puncto 6. num. 1. arboribus & plantis vulgò filiationem denegatam fuisse, quia regulariter vix specialem aliquam similitudinem sensibus perceptibilem habet planta vel arbor cum suo producente, quam non habeat cum aliis suæ speciei: unde fit ut cum de ratione filii sit similitudo, quòd illis in quibus vulgus vix aliquam similitudinem deprehendit

Zz3

IV:

V:

VI:

dir, filiationis proprietatem & nomen non attribuat.

VII. Sed contra, quia similitudo producti cum producente, quæ facit filium & Patrem, non est illa externa, sed specifica seu in natura & essentia: alii enim omnia individua animalium ejusdem speciei, quæ dicuntur filiis cum sint ab uno, debent esse similia secundum speciem externam producenti: quod si fieret vix specialem aliquam similitudinem sensibus perceptibilem haberent cum suo producente, quam non haberent cum aliis ejusdem speciei, adeoque non amplius essent filii quam plantæ vel arbores. Secundo, modò haberent similitudinem cum suo producente, nihil curandum est an etiam haberent cum aliis suæ speciei, hoc enim haberent tantum per accidens, illud ex vi suæ generationis. Tertio, quia detecto bruta vel homines vix aliquam habent similitudinem cum producente sensibus perceptibilem, quam non habeant etiam cum aliis suæ speciei, cum & hi sapius quam arbores, & bruta majorem cum aliis individuis suæ speciei, quam cum suo producente habeant similitudinem externam.

VIII. Major in primum sentent. dist. 13. quæst. 1. & Vasquez disp. 113. cap. 2. num. 6. amplius dicunt, asserunt enim non tantum arborem vel plantam ex hoc non esse filiam, quod non sit à principio cognoscente, sed nec ipsius productionem esse generationem: verum cum productio arboris sit processio viventis à vivente in similitudinem naturæ in quo stat essentia generationis, existimo verius, esse solummodò rationem cur non sit nec dicatur filia.

IX. Ex his ad ulteriora gradum faciens, dico, si ita est quod idem arbor non est, nec potest dici illius arboris filia ex cuius semine procedit, quia non est ab eâ tanquam à principio cognoscente, consequenter nec brutum erit aut dici poterit nisi valdè improprie & abusive alterius bruti filius, aut hoc illius Pater: tum quia cognitio bruti producentis non est cognitio nisi valdè improprie, tum maxime quia illa cognitio nihil facit ad productionem istius bruti, nec enim ad illam procedit bru-

tum ex cognitione, sed imperè naturæ? ut quid autem requireretur ad rationem filii quod esset à principio cognoscente, si cognitio nihil faceret in hoc ad illius productionem?

Dices, potest arte demonis, sine viri consensu aut scitu, semen ab illo extrahi & misceri foemineo semini intra matricem, ac ex inde homo procreari. Respondeo quidquid sit de isto casu quem Physicis relinquo, prolem istam non futuram filium aut filiam istius viri vel foeminae, quia non procedit ab ipsis scientibus & volentibus generare, quare hæc proles habebit hoc tantum quod sit ab illis genita vel producta, non verò filia.

Itaque ex his, esse genitum latius patet quam esse filium, quia ad esse geniti sufficit esse à vivente in similitudinem ejus: ad esse filii autem requiritur præterea, ut sit à vivente cognoscente & procedente ad generandum ex cognitione, atque adeò ex affectu seu voluntate generandi: cuius rei hæc ratio reddi potest, quod prima Paternitas, à quâ omnis alia, & quarum proinde norma est & mensura, est per viam cognitionis: ex cognitione enim, & ut volunt Scotus & Cajetanus, ex affectu & voluntate generandi procedit Pater in divinis ad generationem filii sui, imò per cognitionem generat illum.

Ex his facilis sit & plana proposita Sancti Patris Augustini cap. præced. doctrina de Divi Iosephi paternitate, quod scilicet firmitus sit & perfectus Christi Pater, quàm ceteri Patres ordinarii sint Patres eorum quos ex concubitu generant: inter hos enim alii sunt libidinosi, qui uxoribus non propter prolem, sed propter libidinem conjunguntur: alii Temperantes, qui malent à Deo prolem accipere, quam ipsi per se generare, ne quo etiam tales cadere consueverunt, ipsi descendere cogentur: & quidem si de prioribus est sermo, hicum brutali more, non divino, hoc est ex solo libidinis pruritu, ut bruta, non prolis affectu, ut Deus, in copulam proruant, cur magis essent Patres eorum quos sic generant, quàm bruta, cum non aliter procedant ad generandum quàm illa? & licet vulgò dicantur

dicantur Patres sicut alii, quia in nominibus appellativis, quæ sunt pro omnibus instituta, non attenditur quid in aliquibus casibus particularibus contingat, revera tamen non sunt Patres magis quam bruta, quia deficiunt hi sicut illa, in eo in quo stat formale paternitatis, quod est procedere ad generationem ex ratione seu cognitione, atque ad eam ex affectu & voluntate generandi: si verò de posterioribus, id est temperantibus agitur, quia ex Divo Augustino in omni concubitu etiam sanctissimo post naturam per peccatum viciatam, quantumvis ab his proles ex illo intendatur, non possunt tamen dum illud agunt, ita suspendi in Domino, ut non ad libidinem quam sentiunt recurventur, fit, ut cum in ipso actu quo fiunt Patres, de sublimi illo ad brutalem morem, si non omnino corrumpant, saltem valde declinent, fit, inquam, quod recedant etiam à perfectione paternitatis in ipso formali, ut proinde his, quantumvis temperantes sint, adhuc beneficium futurum iri pronunciet Augustinus, si à Deo proles sine concubitu daretur, ut quo cadere consueverunt, nec descendere cogentur.

XIII. At in Divo Iosepho fuit purissimus ex sublimissimâ & divinissimâ cognitione affectus habendæ prolis, cum potius elegerit non habere quam ex concubitu habere, ne quo etiam temperatissimi cadere consueverunt, & ipse descendens caderet, ac propterea hoc ipso modo utique purissimo accipere meruit, id est à Deo vices ejus suppletæ à quo (cum taliter dare decrevisset) specialissimè movebatur.

XIV. Ad argumentum igitur in sine præcedentis Capitis propositum contra nostram & Divi Augustini sententiam, Respondeo, verum esse quod illi qui ex concubitu generant, sint magis principium seu causa suorum filiorum, quam Divus Iosephus sit Christi, propter rationem in eodem argumento allatam, non tamen propterea sunt magis patres, quia licet concubitus faciat generantem, non tamen semper patrem: Cum enim primò Divus Iosephus, ut ne caderet in libidinem, abstinere voluerit à concubitu, & commi-

serit se pro prole Divinæ Providentiæ modo à nobis notato primò allato: Atque ob id secundò Deus vices ejus suppleverit ex intentione vices ejus suppleendi & implendi præconceptam voluntatem quâ decreverat ipsum efficere Patrem Iesu, habuit quod est materiale & quod est formale in paternitate. Materiale quidem minùs propriè quam ceteri patres, generare enim quod est quasi materiale non habuit per se nec ceteri, sed in hoc Deus supplevit ejus vices, ut diximus. Formale magis propriè habuit quam ullus illorum, cum in libidinosis nihil sit illius, in aliis verò sit valde imminutum per libidinem in ipso actu generandi supervenientem: At maxime per formale attenditur quod res sit: unde cum penes formale, omnes Divus Iosephus superet patres, qui ex concubitu sunt patres, omnibus etiam firmiter est & perfectius dicendus pater.

Instabis, si firmiter est Pater Christi & perfectius, quia castius quam illi qui ex concubitu generant, cum ex Philosophis omnibus plus teneatur proles patri quam matri, quia pater in generatione est potior, omnino sequeretur plus teneri Christum ipsi quam Beatæ Virgini, atque ad eam cum ex hoc unice colligat Ecclesia, Sancti Patres, Doctores, & Fideles omnes, universas excellentias & prerogativas Gratiæ, Gloriæ Beatæ Virginis, quod scilicet sit Mater Christi, sequeretur omnino quod cum Divo Iosepho magis obligaretur ex paternitate, majora quoque ei contulisset, sicque hic illam in gratiâ, meritis, & gloriâ præcederet quod ab Ecclesiæ & omnium sensu Catholicorum alienissimum est, & sine ullâ ambiguitate falsum, ergo & illud unde sequitur.

Respondeo, esto Divus Iosephus sit firmiter Christi Pater & perfectius quam sint ceteri patres eorum quos genuerunt, quia castius: attamen non ita perfectè ac si Christum ipse genuisset, ratio est quia si ipse genuisset præter hoc quod nunc habet, haberet etiam rationem principii per se, quam nunc non habet: Atqui dum dicunt Philosophi plus teneri prolem patri quam matri, faciunt comparationem inter patrem

patrem & matrem qui genuerunt prolem: Cùm ergò Divus Josefhus non genuerit; nec ita perfectè est pater ac si genuisset. Quare nec valet comparatio illius cum purissimâ illâ Matre quæ de se genuit, quæ totam sola materiam ex quâ compactum est Christi Corpus subministravit: sed quandoquidem hæc illum præcedat tam in materiali quia per se, quàm in formali quia non à recto deflexit cum libido, omninò eum in gratiâ, meritis & gloriâ antecellit. In his tamen omninò illi suppat Divus Josefhus, quia ejus paternitas proximè ad Maternitatem Divæ Virginis accedit.

XVII Instabis iterùm, quomodo hæc inter se coherent quod sit firmius Pater Christi & perfectius quàm illi qui ex concubitu generant, qui habent rationem principii respectu filiorum, non verò ita perfectè ac si ipse genuisset, quo casu haberet rationem principii quam non habet? Respondeo nullam hîc esse implicantiam: quia si genuisset, habuisset rationem principii per se, ut diximus, quam non habet, ac deinde cum remotâ libidine ex solâ ratione genuisset, ut & in statu innocentia genuissent homines ex doctrinâ omnium Theologorum præunte Divo Augustino tomo 7. lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentiâ: id enim ei Deus dedisset si voluisset ex homine gigni, quia sic Deum gigni oportuisset, atque ita omnem patris perfectionem habuisset.

XVIII Objicies, Paternitas Divina est prima, & à quâ omnis Paternitas quæ in calis & in terra nominatur. ad Ephes. cap. 3. vers. 15. ergo est regula cæterarum, id est cæteræ, ut sint veræ, ad illius normam esse debent: sed hæc Divina Paternitas est per generationem, ut constat ex psalm. 2. vers. 7. psalm. 109. vers. 4. ad Hebr. cap. 1. vers. 5. ergo & illa debent esse per generationem. Respondeo ad hoc argumentum, Regulam illam philosophicam in quâ nititur debere intelligi prout verba axiomatis sonant, de illis quæ sunt in eodem genere & ordine: nam ita fert axioma. *Primum in uno quoque genere est regula & mensura cæterorum.* At paternitates creatæ non sunt in eodem genere cum

Divinâ, & ideo non est necesse quod ille sint omninò ad normam hujus. Idcirco verò Divina Paternitas est per generationem, quia cùm sit divina, est omnium perfectissima, & omnium aliarum perfectiones complectitur, perfectior est autem illa quæ est per generationem omnibus aliis, & ideo licet Paternitas D. Josefhi sit vera & perfectior aliis creatis, non ita tamen perfecta ac si fuisset per generationem.

CAPUT XVIII.

Recollectio huc usque dictorum de hac Paternitate cum aliâ novâ ratione pro manifestâ.

EX dictis hæcenus patet quàm merito ob Evangelistis sacris dicatur D. Josefhus Pater Jesu, esto de cætero ad ejus generationem effectivè non concurrerit, quod non fuit necesse, ut tam multis probavimus: si enim Patres ordinarii & carnales dicuntur, & sunt verè Patres *generatione*, quam tamen ipsi non posuerunt per se, sed Deus nomine ipsorum ad exigentiam dispositionum naturalium ab ipsis per semen à se emissum introductarum, ut vidimus supra cap. 12. cur amabo D. Josefho istam qualitatem Patris, quam ei sacra Scriptura locis supra cap. 1. n. 9. citatis tam disertè attribuit, denegabimus? curve non poterit esse Pater Jesu verè maximè alio modo quàm *generatione*, per actionem à Spiritu sancto, ejus vices in uxore suâ jure matrimonii secum unâ supplente, positam ex vi electionis ejus æternæ in Patrem ex parte Dei, tum deinde ex parte ipsius D. Josefhi, ex vi divinissimi illius actus fidei, quo credidit Deum posse dare viro ex uxore suâ prolem vel per conjunctionem, vel citra illam, nec se habituram prolem quantumvis opus carnis facienti, si Deus habere noller, daturum autem eidem operi carnis pro iplo renuncianti, si habere veller, juxta ea quæ diximus cap. præcedenti num. 1.

Secundò, si Deus potest ex lapidibus II
in

in ripâ vel alveo Jordanis jacentibus fuscitare filios Abrahamo, quorum Abrahamus fuisse Pater verè & propriè, quos tamen non genuisset, ut vidimus cap. 13. sect. 4. 5. & 6. cur non erit D. Josephus Pater Jesu verè & propriè, & hic illius filius, quem ei Deus ex conjuge suâ fuscitavit, quandoquidem Spiritus sanctus illum in uxore suâ efformavit ex directâ voluntate eum efficiendi ipsius Patrem?

III. Tertiò, si fructus Palmæ feminae sunt & censetur fructus Palmæ maris, quos tamen hic non tulit nec protulit, quia non nisi ad hujus cum illâ præsentiam generarentur: cur non esset filius D. Josephi Christus, qui non nisi in ejus cum Virgine Matre connubio, & ut ita dicam sub ejus umbrâ ex præsentibus Dei decretis ab eâ concipi potuit? cur, inquam, non erit Christus filius Divi Josephi, cujus vices ideò supplavit Deus in Virgine Matre ejus uxore, quia eas sibi D. Josephum commisit censuit dum ipse seclè illi ita commisit, ut voluerit castè in perpetuum cum conjuge suâ vivere, ex hâc fide actuali, quod si vellet Deus ipsum habere prolem, ei daturus esset renuncianti pro ipso operi carnis non datum autem quantumvis illud facienti, si habere nollet. Quin immò propter hoc, inquit D. Augustinus supra cap. præced. & nos cum illo, perfectius fuit Christi Pater & firmitus, quàm cæteri homines sint Patres eorum quos opere carnis suæ genuerunt, quia ille castius his.

IV. Ideò duo Evangelistæ Matthæus & Lucas Christi descensum ex Abrahamo & Davide probaturi, cum per Divum Josephum, & D. Josephi progenitores deducunt, & non per Virginem, quamvis cum ab hâc solâ carnem ex Abraham & Davide propagatam sumpisset, clarior esset futurus iste descensus per hanc quàm per illum deductus, per hoc manifestissimè inuenientes, quod cum in re tanti momenti ita processerint, licet expressè caveant D. Josephum non genuisse Christum, non ideò tamen desinere esse illum Patrem verè & propriè, quandoquidem per eum ac si genuisset, ejus genealogiam deducendam esse judica-

verint: genealogia quippe, ut notum est, non nisi per Patres qui genuerunt deduci solet apud omnes Gentes, & ex privilegio Dei speciali pro Judæis per Patres legales: at Divus Iosephus, ut constat ex dictis, non est Pater legalis Christi; quare per hunc procedendū modum Evangelistarum patet evidenter, quod licet non sit Pater IESU per generationem, ejus tamen paternitas ad eam reduci debet.

Hinc cum D. Lucas alibi, scilicet cap. 2. vers. 27. ac etiam vers. 41. & vers. 43. D. Iosephum non tantum vocat Christi Patrem, sed etiam paternam ac si eum genuisset: esto enim Divus Iosephus non genuerit eum per se, cum tamen Spiritus sanctus nomine D. Iosephi, modo à nobis supra explicato, eum produxerit in Beatâ Virgine ejus conjuge, per se produxisse censendus est, & consequenter nihil est quod timeat Lucas, vel nos timere debeamus eum Christi patrem dicere.

Est ergo non subsistat ex parte Divi Iosephi generandi proprietatis, Pater tamen parensque Christi Domini vocatur & est ac si genuisset, ob singularem illam rationem, quandoquidem ad illud sufficiebat, quod in ejus conjugio absque ejus injuria uxor ejus eum conceperat, ut vidimus supra hoc Tract. cap. 9. sicut & in materiâ possidendi fructus, ut poma, pira, ficus agrî tui vel arboris tuæ, tuus est verè ac propriè fructus ille, qui ex eo vel ex eâ nascitur, etsi eum in agro tuo vel in arbore tuâ non produxeris, quia ager tuus est, & arbor tua in quâ ille ortus est.

Quoniam neque comparatio ista rem hanc adæquet, cum Beata Virgo non qualiscumque possessionis aut proprietatis jure seu titulo ad Divum pertineret Josephum, sed titulo longè strictiori & magis ad rem faciente, scilicet tanquam conjux ejus, qui longè strictior est, ut notavi eodem cap. 9. n. 8. ut proinde multò specialius, ac cætius, nobiliusque ex hâc etiam solâ ratione Christus esset filius D. Iosephi, quam fructus istius arboris vel agrî esset fructus Domini agrî vel arboris.

Confirmatur, quia filius natus ex servâ pertineret ad Dominū servæ, uti natus dum Mater esset sui iuris, ratione

A a a

servitutis,

servitutis, non ut filius, sed ut fructus in re vel possessione suâ nati: proinde multò specialius nobiliusque ex hac etiam solâ ratione ad Divum Iosephum pertineret Christus quàm fructus agri, vel arboris, aut filius servæ ad Dominum illorum: quantò ergo magis si huic rationi eam addamus quam à cap. II. profecuti sumus? Unde & iustus Simeon non solùm Virgini Christi Matri benedixit, sed etiam Divo Iosepho, atque utriusque simul & semel unicâque benedictione super communi eorum filio. *Et benedixit illis Simeon. Luc. 2. v. 33.*

IX. Addo pro mantifsâ, tantam Patres Græci, nonnullique etiam ex Latinis censuerunt, & tam stricti juris hanc Divi Iosephi ad Christum Paternitatem, ut ei illos tribuant effectus, qui non solent tribui nisi paternitati naturali, seu paternitati quæ est per generationem: Hi enim dum incidunt in illa Scripturæ loca, in quibus fit mentio de fratribus & sororibus Domini, ut Matthæi cap. 12. & 13. Marci cap. 3. & 6. & Lucæ cap. 8. existimant illa intelligi de veris & propriè dictis fratribus & sororibus, non verò de consanguineis solùm, seu cognatis; & dicunt illos verè & strictè fuisse fratres Christi Domini, eo quod fuerint filii Divi Iosephi ei ex priore, quam ante Deiparam arbitrantur duxisse, uxore geniti.

X. Qui licet decepti fuerint in eo quod existimaverunt D. Iosephum aliam ante Virginem uxorem duxisse, & ex eâ liberos suscepisse, ut constat ex dictis à nobis hac Parte 2. Tractat. 1. cap. 5. Section. 1. In proposito tamen nostro nobiscum conveniunt: nam si verum esset quod supponunt, Divum scilicet Iosephum aliam ante Beatam Virginem uxorem duxisse, ex quâ proles suscepisset, & quod ex hoc veri essent fratres & sorores Christi, id nequaquam ex eo prævenire posset quod Mater Christi Patri istorum nupsisset præcisè, quia affinitas non parit affinitatem, sed essent fratres propter Divum Iosephum, quod nimirum Divus Iosephus esset communis Christi & illorum Pater, licet alio modo illorum, & alio Christi, illorum nimirum generatione ex priori uxore, Christi verò quasi generatione, per actionem scili-

cet Spiritus Sancti in Virgine posteriori re suâ uxore suæ suppletivam, seu nomine suo positam.

Quare si adhuc contingeret aliquid simile (quod non est impossibile licet credam nunquam amplius futurum) ut scilicet Virgo aliqua nupta viduo habenti ex priore uxore liberos, sine congressu viri sui Deo dante conciperet & pareret, non posset hæc proles ex hac secundâ uxore virgine nata nubere ulli ex illis qui essent de priore uxore ex congressu suo nati: Ratio est quia hic viduus verè esset pater hujus proles sibi à Deo ex secunda sua uxore virgine suscitata, & consequenter hæc proles illarum frafer aut foror quæ sunt ex primâ uxore nata.

Pro coronide hujus Capituli adjicio benedictionem illam quam Jacob Patriarcha moriens in filium suum Ioseph pronuntiavit Genes. cap. 49. *Omnipotens, inquit, benedicat tibi benedictionibus uberum & vulvæ.* Quàm admirabilis benedictio! & quis unquam quid simile audivit? Quomodo benedictio uberum & vulvæ potest in virum cadere? de muliere quidem hoc bene intelligerem, sed de viro quis unquam illud concipiet? Quid igitur ad hoc: Audi meum eâ super re sensum. Respiciebat Sanctus Patriarcha quando hæc proferebat, seu Deus in ipso Divum Iosephum per filium suum Ioseph figuratum, & meo videri significat benedictionem quidem scemoris, quæ est virorum, non ei competituram, nihil tamen propterea ei deesturum, eò quod benedictio omnium benedictionum, vulvæ, dico, & uberum Beatissimæ Deiparæ Conjugis suæ in eum sic redundatura esset, ut ad eum tanquam ei propria spectaret, utpote qui illius purissimæ Virginis immaculatæ esset Sponsus, dum in eam ista vulvæ & uberum ejus benedictio depluebat.

Et certè poterat Spiritus Sanctus vel modicum ante desponsationem virtutis suæ obumbratione Virginem præfecundare, ita ut nec Divus Ioseph advertisset, nec apud alios ipsa ulla infidelitatis novam incurrisset: verum nò sola Diva Deipara Virgo inter mulieres, sed etiam inter viros Beatissimus Sponsus ejus

ejus Ioseph ex hac divinâ immensâque benedictione beatus esse debuit, & ab omnibus generationibus dici: quate non ante desponsationem vel momento uno Divi Iosephi Sponsam Spiritus Sanctus fecundare voluit, ut per hoc vulvæ & uberum participationem accipere possêt.

CAPUT XIX.

Ex hoc totam habuit in Christum Patris Auctoritatem.

I. **I**N Divinissimo Dominicæ Incarnationis Mystério hoc inter cætera mirabile, quod in eo ipsum imum usque ad magnitudinis apicem evexit Deus, & è contra magnitudinem ipsam usque ad imi fundum depressit. Quid enim Deus? quid homo? Quid Deo majus vel altius? quid homine vilius? Quæ ergò major humiliatio, quàm quod Deus usque ad hominem descenderit in Incarnatione? quæ etiam major elevatio quàm quod in eâ homo usque ad Deum ascenderit? Hoc nihil sublimius, illo nihil demissius.

II. Sed est alia ex hoc ineffabili Mystério elevatio, est & alia depressio ex præcedentibus consecraria & illis affinis ac vicina, elevatio nempe Mariæ & Iosephi: & depressio secunda Christi Domini: Nonne summa fuit elevatio horum Sacrorum Conjugum, Mariæ in quâ, Iosephi sub quo, hoc Mystèrium divinitus operatû est? Illius quæ per hoc Mystèrium in Matrem Dei evecta est? hujus qui in ejusdem Dei Patrem sublimatus est? Et quò altius ascendere potuissent puræ creaturæ? sed quæ depressio major illâ Christi qui cum licet homo, tamen substantialiter etiam Deus esset (cui proinde cuncta servitutum debent:) illis tamen Sanctissimis Conjugibus subditus esse voluit? Unde optimè Albertus Magnus in hæc verba, *Descendit cum eis Nazareth, & erat subditus illis*, Luc. cap. 2. vers. 51. Sic ait: Congruè verbo descendit utitur & propter situm loci, & propter humilitatem: à Majestate descendit cum parentibus humilis sub ipsis (recor-

datus præcepti sui Exodi cap. 20. *Honora Patrem tuum & Matrem suam*) vixit.

III. Sed ut ad Divum Iosephum me convertam, nescio quid prius & amplius in eo mirari debeam, an quod sit Pater Dei? an quod Deus sit subditus illi? utrumque enim summè mirabile, sed hoc secundum meo videri longè mirabilius.

IV. Est Divus Iosephus Pater Jesu Christi Domini nostri. Esset licet solum à Christo jam concepto vel nato electus & adoptatus ad id muneris: non enim est adoptio Dei qualis est illa quæ est ab hominibus: hæc quippè præcisè stat in voluntate adoptantis & acceptance adoptati, illa ponit rem in adoptato ut monuimus supra cap. 6. Sed est insuper Pater jure conjugii, *quod enim in meo fundo nascitur meum est*, juxta vulgatam juris præcipuam: est ratione efficacis Dei electionis ab æterno: est propter seu per suppletionem in tempore actionis ejus in suâ conjugè secum unâ, per Spiritum sanctum exequentem istam efficacem voluntatem & electionem, & Virgini obumbrantem ex intentione directâ efficiendi illum Christi Patrem; unde & strictius ac verius ejus Pater quàm avus: strictius & verius quàm Pater legalis: firmius & perfectius quàm sint cæteri Patres naturales, & ordinarii filiorum quos ex se genuerunt, quia castius ex Divo Augustino. Est ut minimum sicut Pater fidei nostræ Abraham fuisse Pater illorum, quos Deus illi suscitasset ex lapidibus in ripâ Jordanis vel ejus alveo jacentibus: Est sicut Palma masculus fructuum seu dactylorum, quos Palma foemina profert: est ita ut per illum ac si Christum genuisset, Christi genealogiam deducendam Spiritui sancto visum fuerit: est ita ut Lucas non vereatur cum non tantum Patrem Jesu appellare, sed etiâ parentem, quod nomen est proprium generantium: est ita ut ad ipsum ortus juxta carnem pertineat ex D. Paschasio, ut proinde et si non sit Pater generatione, sit tamen quasi generatione: est denique ita ut paternitas ipsius, à Patribus Græcis, eos producat effectus, vincula, impedimenta, quæ ipsa paternitas per generationem.

A a a 2

Quàm

Quam verum ergo & quam verè debitum nomen! Sed quam magnum nomen! ut aliquatenus concipi valeat.

V. Observandum diligenter mecum quod cum Deus in veteri lege Abrahamæ, Moysi, aliisque SS. Patribus & Prophetis voluntates suas manifestare voluit, nius est ministerio Angelorum, qui ferè semper eis in formâ visibili, corpore scilicet ex aëre assumpto apparebant, & sensibilibus eis loquebantur: quo in munere, licet non esset Deus, quia tamen nomine Dei agebant & loquebantur cum illis, Dei nomen ex eius concessione usurpare & attribuere ipsis licuit: hinc illa eorum voces, *Ego sum Dominus Deus tuus; ego sum Deus Patris tui Abrahamæ, &c.* Magnus profecto honos, magna gloria, privilegium rarum & singulare Angelis istis concessum, quod Deus eis permisit istud nomen Dei gloriosum assumere.

VI. Sed vide rem miram: quando in novâ lege gratiæ publicanda fuere Dei Incarnati magnalia, publicanda Christi divinitas, magnitudo & excellentia, certificandi Apostoli, & in illis omnes fideles, quod verè esset Filius Dei qui natus erat ut homo, non solum non tunc visi Angeli, non solum non eis concessam hæc verba: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui* proferre, & sibi nomen Patris arrogare, sed quod magis mirè, nec ipsi Spiritui sancto, licet ipse hic apparuerit in specie columbæ: hoc manifestè patet ex Matth. cap. 3. Marc. cap. 1. & Lucæ cap. 3. qui omnes attestantur, quod *IESU baptizato & orante, apertum est cælum & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & ecce vox, non Spiritus sancti, sed alterius, utique Patris æterni, de Cælo facta est, hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* Ecclesia etiam in officio octavæ Epiphaniæ eandem vocem non alteri tribuit quàm Patri æterno. Eodem quoque modo explicant SS. Patres inter quos D. Cyprianus lib. de Baptismo, *Huc usque Domine Sancte Pater non audivimus te ita loquentem, ut personaliter tibi assignetur loquela quam proferres: Hanc vocem à tua paternitate delatam nemo est qui ambigat,*

non est qui sibi hoc verbum audeat arrogare, unus Ioseph insignitur.

Et ratio est evidens quia descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in Christum, vox autem quæ dicebat: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*, veniebat de cælo; non ergo vox Spiritus sancti de columbâ quæ insidebat Christo: Non etiam Angeli, tum quia nihil aliud apparuit tunc præter columbam, tum quia dicitur vox illa venisse de cælo, à quo verò illa vox de cælo nisi à Deo Patre.

Magna res & mira, quod Deus Pater hunc titulum Patris concessit Divo Iosepho, & non concessit ipsi Spiritui sancto divinitatis suæ conforti, qui tamen antea etiam Angelis nomen suum Dei permisit. Magna res, inquam, & mira: Incarnatio quippe Filii Dei cujus opere perfecta est: nonne Spiritus sancti? cuius virtute illius corpus ex purissimo Virginis sanguine in Virgine efformatum est? nonne Spiritus sancti? nonne Spiritui sancto non tantum nomen supremum Dei communicatum est, sed etiam ipsum esse Dei? Interim tamen nomen Patris respectu filii sui, etiam ut hominis, nec Spiritui sancto, qui tamen eum produxit, concessit Pater, concessit verò Divo Iosepho, qui eum non produxit, quid hoc est? *Non est*, inquit mox num. 6. in fine Divus Cyprianus, *qui sibi hoc verbum Pater audeat arrogare, unus Ioseph insignitur.* Ex hoc collige quàm mirabilis sit D. Ioseph: quàm inter Cælestes est laudabilis: quàm magnus in oculis Dei!

Sed qui dico? ipsi Deus Pater non nomen solum, sed & rem Patris respectu Filii sui communicavit, non solum ipsum ad istius nominis participationem adlegit, sed & confortem voluit esse rei istius nominis. Quod si tanta res videtur participare nomini, quid erit ipsi participasse rei, & authoritati? participavit autem huic ut illi, ut patebit ex sequentibus.

Non ergo tantum gubernatorem, nutricium, custodem, aut tutorem, Filii sui constituit Pater D. Iosephum. sed suum ita dicam substitutum aut vicem gerentem: electus est, inquam, &

& positus ut locum suum teneret respectu Filii sui, quo nihil ei preciosius, nomenque proprium gereret. O quanta hæc ! quam immensa hæc ! quam incomprehensibilis hæc ejus dignitas ! magnitudo, excellentia ! nam si prima primæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis gloria est quod sit Pater, & habeat Filium Deum sicut ipse Deus est : nonne summa sit, immensa, incomprehensibilis Divi Josephi gloria, dignitas, & excellentia oportet, qui cum sit purus homo, habeat tamen filium qui Deus est, sitque ipse verè Dei Pater ?

XI. Meretur hinc nostram reflexionem consideratio circumstantiæ temporis in quâ Pater æternus primò Christum Filium suum esse per se testatus est, ut modò ex D. Lucâ dicebamus, quod scilicet id tum primum evenit, quando Christus à Joanne in Jordane baptizatus est & non ante, & quod in eadem circumstantiâ dicatur ab eodem Evangelistâ Divus Josephus Pater Christi putatus. Sic enim Lucas cap. 3. *IESVS baptizato & orante, apertum est cœlum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & vox de cœlo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi: & ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph.* Quid hoc sibi vult ? quæ connexio inter testificationem Patris æterni, quod Christus Filius suus sit; & populi existimationem, quâ credebat ipsum esse filium Josephi ?

XII. Notandum quod in Christi baptismo Joseph pro certo mortuus erat ut dicemus infra part. 3. Tract. 1. Sect. 1. Quo posito ecce tibi latens hæc in re mysterium. Sanctus enim Lucas rationem reddere volens, cur Pater æternus voce delapsâ de cœlo à magnificâ gloriâ in baptismo, primùm Christum filium suum esse in conspectu multitudinis publicè testari cœperit, videtur innuere id idè factum, quod jam à 30. annis retro elapsis nonnisi filius Joseph ab uno quoque existimatus fuerat: cur verò non citius, nec antequam Divus è vivis excessisset Josephus ? nimirum ne potestati & iurisdictioni paternæ, quam ipsemet isti summo viro contulerat, & in quam ipsum

subrogarat in locum suum, quidquam præjudicare videretur, vel gloriæ & honori, qui tanto Patriarchæ ex tantî Filii subjectione accedebat, vel tantillum decederet. Quod cum ita sit nonne ergo tantò melior Angelis effectus Divus Joseph, quanto differentius nomen præ illis hæreditavit ?

XIII. Sed si hoc tibi mirabile videtur quod Pater fuerit Dei, quantò mirabilius quod iste Deus fuerit ipsi ut cæteri filii Patribus subditus ? Res hæc clara est ex Scripturâ Lucæ cap. 2. vers. 51. *Et descendit cum eis Nazareth, & erat subditus illis.* Quàm hoc rarum & mirabile ! quàm inauditum & singulare ! Vide, inquit D. Bernardus serm. de Pascha, *quomodo Magni Consilii Angelus suum consilium postposuit consilio, se potius voluntati Fabri unius.*

XIV. Gloriat Pater æternus quod filium habeat ab æterno Deum sibi consubstantialem, & per omnia æqualem Græci dicunt *omousion* : Divi Josephi prima gloria est, quod eundem in terris habeat filium, sed illum se majorem : Deus enim est, ipse homo : Et tamen vide rem miram, Pater æternus in divinis nullam habet in istum Filium autoritatem, Filius ab illo nullam habet dependentiam, quia cum Pater & Filius sint unicus Deus, unus est ira Pater alterius, ut non sit illius Dominus : & vicissim alter ira est istius filius, ut non sit ei subditus : cum è contra D. Josephus in terris licet sit eodem filio minor, in eum tamen habeat autoritatem, & hic ad illum subjectionem, & ab ejus voluntate dependentiam. *Et erat subditus illis.*

XV. Ergo ut Pater æternus Divum Josephum subrogavit ut in terris suam personam repræsentaret respectu filii sui, ita quoque filius ei in se omnem Patris autoritatem contradidit : non enim est hic filius quales alii, qui ab hominibus generantur. Alii quippe naturaliter & ex necessitate spectant ad suos parentes, scilicet per nativitatem, quam ab ipsis acceperunt : non enim in illorum libertate, vel optione est, ut possint hunc, vel illum Patrem habere, quia non est in eorum potestate aut dispositione ut sint, vel non sint, & consequenter ut se huic, vel illi, vel isti,

seipfos tradant in filios. Sed tu ò Redemptor adorande ! qui licet homo nascaris in fine temporum, Deus tamè es ab æterno ante omnia tempora, tu es tuæ libertatis, tu solus Dominus tui ipsius : & idèd potuisti de te, & de omni quod es, & quod tuum est prout voluisti perfectissimè disponere : quare in uterum Virginis sponte descendis, & illa efficitur Mater tua : te ipsam incomparabili nostro Josepho tradis in filium, & illicò fit Pater tuus in terris, ei te subdis, & in te habet auctoritatem Patris : sic nempe communicatà D. Josepho à Patre æterno Patris qualitate, quam nec filio communicaverat nec Spiritui sancto, hic filius quasi per æmulationem ipsi quoque in terris communicat in se Patris auctoritatem, quam Pater æternus non habebat in cœlis : nonne hoc magnum ?

XVI. Filius Dei etiam ut homo, ratione dignitatis & excellentiæ sui suppositi seu personæ utique divinæ, est supremus Dominus omnium omninò creaturarum quantumvis sublimium ; ita ut ex jure illo & dominio supremo quod habet in illas, possit de illis absolutissimè disponere, possit illas pro ut voluerit & ad quæcumque voluerit cogere, subicere, destruere, &c. nec illis possibile sit resistere : Interim ecce ille ipse per admirabilem suæ pietatis dignationem, stupendamque majestatis suæ abjectionem, non sine summâ summâ superbiæ nostræ confusione & condemnatione, se submittit & subicit homini, cujus cum tanto jure est Dominus, illi obtemperat, mandata ejus excipit, nutus observat, nihil nisi de ejus assensu facit. O profunditatem stupendam humilitatis divinæ ! sed ò altitudinem admirabilem elevationis humanæ ! quandoquidem docente Sanctissimo Bernardo per hoc homo fiat superior ipsius Dei.

XVII. Principari animantibus est quid divinum dicente Deo Genes. cap. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit volatilibus cœli, & bestiis terræ, & piscibus maris.* Quasi scilicet idèd debuerit esse homo ad imaginem & similitudinem Dei, & quasi parvus Deus, ut animantibus istis dignè & congruè præesse posset :

quare & de illis disponit, eis utitur, illa destruit, ac si ea ipse creasset, essetque illorum Deus.

Quod si tam magnum est hoc, quid ergo erit hominibus ipsis principari ? Certè eò erit dignius, quò homo, in quem principatur, animantibus nobilior est. Qualis ergo erit prærogativa Divi Josephi habuisse sibi subditum ipsum Deum, cui omnia serviunt ? illius fuisse Dominum qui est omnium Dominus per essentiam ? Si Deus Moysi dixit, quia res illi erat cum Pharaone Rege Ægypti, *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, Exodi cap. 7. vers. 1. Quid dicemus, quid cogitabimus de Divo Josepho, qui non in Regem, sed in Deum ipsum habuit imperium.

Et licet Christus non obedierit Divo Josepho nisi quatenus homo : nihilominus quia in Christo homo est Deus, & Deus est homo ex vi unionis hypostaticæ utriusque naturæ divinæ & humanæ, idèd quando homo in Christo paruit, dicendum est Deum paruisse, sicut dicimus Deum natum, traditum, passum, mortuum : Præterea cum in Christo unum tantum sit suppositum, una duntaxat persona, scilicet divina, idèd cum ex Philosophis *Actiones sunt suppositorum*, omninò sine ambiguitate dicendum omnes actus obedientiæ quos Christus exercuit, fuisse actus obedientiæ ipsius Dei : O qualis Entis supremi, Entis Entium, Dei dignatio, qui ita se humiliavit, ut etiam homini obedierit ! Sed ò quanta Divi Josephi dignitas, qui ita elevatus est, ut etiam Deum sibi subditum habuerit & obedientem !

Si quando magnus ille Josuè Iraelitici exercitus Strategus ex magnitudine fidei ad Solem conversus, ipsum in suo cursu, stupendo prorfus atque inaudito usque ad ea tēpora, & ab inde prodigio, stetit, ut suarum ipse cursum victoriarum prosequi posset, Scriptura Sancta dicit, non Solem huic eximio paruisse Duci, sed ipsum Solis Deum, quia nimirum nisi hic istum in suo otbe fixisset, proculdubio nunquam stetit : & idèd eadem Scriptura non Solem, sed Deum ei obedisse miratur, & prædicat Josuè cap. 10. vers. 14. Quando cernimus hunc Dei Filium, Deum

Deum huic Patri obtemperantem, quando supremum mundi Opificem pauperis hujus Carpentarii iussibus obsequentem videmus, quando summum Deum, ante cujus conspectum fulgura procedunt & tempestates, euntem, venientem, sistentem, progredientem, & in omnibus ab hujus nuru hominis pendentem conspicimus; nonne ratio hæreat oportet, sensus stupeant, cogitationes confundantur, lingua obmutescat, ut in tantâ tantæ depreffione personæ, istius Patris magnitudinem miremur, & in humiliatone Dei sub homine, hominis istius sine pari elevationem veneremur.

XXI. Et verò quæ est illa obedientia quam Deus præstitit Josuë Israëlitarum Duci, quamque Sacra Scriptura adeo exaggerat, si cum illâ quam Divo exhibuit Josepho comparatur? ibi tantum fuit mutuata, ut ita dicam obedientia: Nam Sol tota fuit illius causa, torum illius instrumentum: sed hic Deus ipse in propria substantiâ, in ipsâ suâ personâ homini obtemperat: ibi obedientia fuit tantum trium horarum, hic triginta annorum: ibi fuit pro Deo gloriosa, quia divinæ magnitudinem potestatis, & virtutem protectionis ostentavit, hic nihil pro Deo nisi humilitas & abjectio, dum interim tota gloria huic cedit homini, cui Deus ipse parer.

XXII. Porrò cum Christus ratione dignitatis suæ personæ abfolveretur ab omni creaturarum quarumcumque potestate, etiam paternâ, quamvis fuisset ex virili femine genitus, voluit tamen D. Josepho subditus esse. Primò, ut per hoc amplius manifestaret, nosque melius intelligeremus Sanctissimum illum Virum verè fuisse suum Patrem, cui, ut hoc nobis insinaret usque ad plenam persuasionem, exhibuit, sicut & Matri suæ tam humilem & exactam servitutem, ut ex hæc quoque subjectione ab omnibus Filius ejus judicaretur, quemadmodum vicissim Divus Josephus ex curâ suâ pro ipso quotidianâ facillè ejus Pater judicabatur. Secundò, ut ex hoc cognosceremus ad quam Divus Josephus erectus est magnitudinem, qui etiam Deum ipsum sibi habuit subditum.

In Scripturâ frequentissimè Deus **XXIII** vocatur Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, &c. Deus ipse passim sibi idem nomen attribuit dicens, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* Sed cur ita quæso? Profectò quia solummodò tres Viri perfectione præstantes Imperium Deo dignum efformare videntur: Vel id Gentilis & impius agnovit Nabuchodonosor, Daniel cap. 3. dum post vitum præsertionis trium puerorum Hebræorum ab igne stupendum prodigium exclamavit: *Benedictus Deus eorum.* Prosequitur que addens. *A me ergo positum est decretum, ut omnis populus, Tribus, & lingua, quæcumque locuta est blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, Abdenago disperat, non enim est alius Deus qui salvare possit.* Sed si ita est, ut dicit, pro ut verè ita est, quod non sit alius Deus qui salvare possit, ergo non debuit illum vocare Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, sed Deum universæ creaturæ quem adorant Sidrach, Misach & Abdenago. Quare igitur tanti Numinis potentiam & imperium ad tres istos adolescentes contraxit? Responder Divus Chrysostomus homil. 6. ad populum. *Mundi Dominum ex tribus pueris vocat, non ipsius imperium sine concludendo.* Sed hoc quomodo; nisi quia in immensum extenditur Dei imperium, ac Deus ostentatur, dum trium Adolescentium fide & virtute præstantium Deus ostenditur. O Josephi ergò gloria ineffabilis! Si enim in immensum producit Dei imperium ex solâ trium puerorum subjectione quia Sancti erant & perfecti, vide quid censendum de divi Josephi gloria qui Deum ipsum, Dei que Matrem sibi subditos habuit.

Tertiò, voluit Christus esse Divo Jo. **XXIV** Josepho subditus, ut tibi non videatur mirum si homines hominibus subjecit, quando & ipse eis subditus esse voluit: Decuit certè, & multum decuit, ut hæc homini à Deo non denegaretur perfectio & prærogativa, ut alios regeret homines & gubernaret, quod videbatur debere esse propriū Dei. Cum bonâ gubernatione res ad finem & perfectionem suam ducantur, tantò melior erit gubernatio quantò major perfectio
à gu.

tionem non differri, sed statim & à principio fieri, & ne leviter contingat mutari, eadem necessitate oportet illam publicè fieri. Quocirca apud omnes Nationes, exceptis aliquibus Barbaris, ut Atlantibus apud Solinum cap. 44. & Plinium lib. 5. cap. 8. apud quos nullus est usus nominum, receptum fuit, ut & post aliquos à nativitate dies hæc nomina imponerentur, & cum solemnè aliquo ritu imponerentur.

IV. Hoc modo Athenienses & Græci, ut refert Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 25. die à nativitate decimo nomen infantibus, convocatis consanguineis & amicis, & oblati sacrificiis imponere solebant. Eodem modo Romani apud Plutarchum problem. 102. & Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 16. Filiis masculis nono die, fœminis octavo nomina imponebant, eos priùs lustrando seu expiando: unde factum ut dies illi lustrici vocarentur teste Fausto. Aristoteles verò lib. 7. de histor. Animal. cap. 12. Septimo die nomina infantibus imponi solitum asseruit, & cur ante diem istum non imponerentur rationem reddit his verbis. *Plurimi infantes ante septimum diem intereunt, unde fit ut septimo die imponantur nomina, sanquam saluti jam pueri amplius credamus.* Cum ergò ritus Circumcisionis apud Judæos fuerit celeberrimus, & per illum infantes suos octavo die à nativitate solemniter expiatis Deo consecrare deberent, consequens fuit ut eodem die, & in ipso Circumcisionis ritu eis nomina imponerent, ut & hodie apud Christianos imponuntur in Baptismo, per quem lustrantur & Deo regenerantur.

V. Ab hæc utraque lege Circumcisionis & impositionis nominis, primâ Divinâ: secundâ Politicâ, noluit eximi Christus, sed utramque subire voluit, ergo octavo à nativitate die circumciscus est.

VI. Circumciscus est ut Abrahæ filius: eodemque die nomen accepit inter homines ut filius hominis, sed nomen JESUS, nomen novum quod os Domini nominavit, Isaïæ cap. 62. v. 2. ut Filius Dei: hoc totum refert Lucas Evangelista cap. 2. dicens: *Postquam consummati*

sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus IESUS quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. Restat hic examinandum, à quo ista Circumciscio & nominis impositio sit: utrumque singillatim duabus sequentibus Sectionibus.

SECTIO PRIMA.

A quo circumciscus Christus Dominus.

VII. **C**ur circumcisci voluerit Christus Dominus qui peccatum nec fecerat nec contraxerat, causas vide si lubet ex D. Epiphano hæres. 30. D. Thomâ 3. part. quaest. 37. art. 1. & aliis apud nostrum Sylveiram fusè tom. 1. in Evang. lib. 2. cap. 3. q. 2. A quo verò circumciscus disceptatio est inter Doctores.

VIII. Prima Sententia est illorum qui volunt fuisse circumciscum à Summo Sacerdote, quem nonnulli ex illis volunt fuisse justum Simeonem. Fundamentum hujus opinionis fuit, quod Circumciscio esset Sacramentum antiquæ legis: quare illius administratio videtur pertinuisse ad Sacerdotes istius temporis, quemadmodum nunc minister Baptismi, qui successit in locum Circumcisionis, est Sacerdos novæ legis quamvis in necessitate eo deficiente possit alius. Et quia pertinuit ad Sacerdotes; idè in Templo, vel ubi id commodè fieri non potuisset saltem in Synagogis peragi solitum volunt.

IX. Confirmatur, quia etiam nunc Judæi in Synagogis suis circumcidunt, affirmantque se id ita facere, quod ita semper apud ipsos observatum sit: Cum ergo Bethleem, ubi natus est Christus, non distaret ab Jerusalem nisi duabus leucis, idè in Templo, & à Summo Sacerdote propter dignitatem tantæ personæ circumciscum voluerunt: hanc sententiam maximè amplexati sunt Pictores, unde factum ut apud vulgus mirè invaluerit. Huic opinioni velificatus est D. Hilarius in psalm. 11. in initio ubi hæc habet: *In hoc octo dierum numero, cum Christus circumciscione non egeret, oblati in templo est, ut in corpore ejus humana carnis recideretur infirmitas.*

tas Ubi videtur confundere circum-
cisionem cum Præsentatione, cum ta-
men prior facta sit: *Postquam consum-
mati sunt dies octo: Posterior, postquam
impleti sunt dies purgationis Mariae secun-
dum legem Moysi.*

X. Confirmari potest iterum hæc sen-
tentia hæc ratione, quod res erat plena
periculi circumcisio, & idè illius ad-
ministratio non debuit indifferenter
quibuslibet relinqui, sed debuit om-
ninò committi aliquibus ministris or-
dinariis qui discerent & callerent mo-
dum, haberent experientiam, & adhi-
berent cautelam: quibus verò potius
quam Sacerdotibus & Levitis, cum
esset res sacra, imò Sacramentum istius
temporis, & Filii Patribus in ministerio
succedentes, ab his instrui possent?

XI. Sed hæc Sententia non placet. Pri-
mò, quia in lege nullus extat locus qui
circumcidendi munus Sacerdotibus
aut Levitis addicat. Secundò, quia è
contra vidimus Abrahamum seipsum,
filium suum, & domesticos suos cir-
cumcidisse Genes. cap. 17. Sephoram
uxorem Moysis in præsentia mariti sui
qui erat Sacerdos ut patet ex illo psal.
98. *Moses & Aaron in Sacerdotibus ejus.*
Filium suum etiam circumcidisse Exod.
cap. 4. Josue Israëlitarum Ducem illos
circumcidisse in valle, quæ ab hoc di-
cta est *Vallis præputiorum* Josue cap. 5.
cum tamen ibi adesset tota Tribus Sa-
cerdotalis, & expressè notetur ibidem
cap. 4. quod Sacerdotes pergebant an-
te populum. Denique liber primus Ma-
chabæorum cap. 1. vers. 63. memine-
rit mulierum quæ circumcidebant filios
suos, & trucidabantur jussu Antiochi
Regis impii & sceleratissimi. Tertiò,
quia Scriptura Circumcisionem non in
Templo, aut Synagoga, sed in domi-
bus aliisque locis factam commemorat:
Nam ut præteream filium Moysis, qui
in diversorio dum iter agerent à Sepho-
rà Matre suâ circumcisus est, & popu-
lum qui à Josue Duce in Valle præpu-
tiorum circumcisus refertur, colligitur
evidenter ex Evangelio Divi Lucae c. 1.
ubi referens Divi Joannis Baptistæ so-
lemnem circumcisionem, ait, *Et fa-
ctum est in die octavo venerunt circumci-
dere, vicini scilicet & cognati, puerum.*
Si enim in Templo vel Synagoga hæc

Circumcisio peracta fuisset, non dixis-
set *Venerunt, &c.* sed *tulerunt puerum ut
circumciderent eum.* Quomodo de Jesu
dicit infra. *Tulerunt IESUM in Ieru-
salem ut sisterent eum Domino.* Cum er-
gò hic de Joanne dicatur *venerunt cir-
cumcidere puerum*, significatur venisse
ad locum ubi puer erat, ut circumci-
sioni ejus adessent.

Confirmatur ex hoc quod illud ver-
bum *venerunt*, non referat Parentes
Baptistæ, Zachariam scilicet & Eliza-
beth, sed vicinos & cognatos, de qui-
bus fuit sermo immediatè ante: tum
quia additur statim quod illi (qui ve-
nerunt) vocabantur eum nomine Patris
sui Zachariam obnitente Matre Eliza-
beth: tum quia non potuit Elizabeth
octavo die venisse ad Templum vel Sy-
nagogam, quæ debebat manere in san-
guine purificationis statutis diebus, &
tamen erat ibi præsens. Quartò, quia
Beata Virgo non interfuisset Circum-
cisioni Filii sui cuius tamen contra-
rium fingunt Pictores illi, qui huic sen-
tentia pondus præcipuum addiderunt
apud vulgus. Nam illa se gessit ut ce-
teræ puerperæ quibus præceptum erat
manere in sanguine Purificationis 40.
diebus pro masculo. Ex quibus patet
mendacium asserti modernorum Ju-
dæorum hic num. 9. & pugnancia hu-
jus sententia cum sacrâ Scripturâ, & con-
sequenter aperta ejus falsitas. Tandem
quia Divus Epiphanius hæres. 2. docet
Christum non in Templo, non in Sy-
nagoga, sed in Speluncâ Bethleemica
fuisse circumciturum. *Christus, inquit,
natus est in Bethleem, circumcisus in Spel-
uncâ, oblati in Ierusalem.* Cum ergo
Divus Epiphanius esset ex Judæis & in
lege Judaicâ versatissimus, certè si fuis-
set receptum apud Judæos in Templo
vel Synagoga circumcidere, ut volunt
Judæi moderni, quomodo scripsisset
Christum qui non venit solvere legem,
sed adimplere, contra istum solem-
nem morem non in Templo vel Sy-
nagoga, sed in Speluncâ fuisse circum-
citurum? Ex quo infero, non ergo Sacer-
dotes vel Levitæ fuere ordinarii Mini-
stri Circumcisionis, si enim fuissent,
sine dubio parvuli in Templum vel Sy-
nagogam ad Circumcisionem addu-
ci debuissent, quemadmodum supra
argumenta-

argumentabantur hujus sententia
Authores.

XIII. Ad id verò quo secundò confirma-
tur ista sententia, quod scilicet Cir-
cumcisio erat res plena periculi, &
ideò ad illam manum expertam fuisse
requisitam. Respondeo nihil fuisse dif-
ficile in Circumcisione, tum quia ad
illam etiam lapideus culter, qui non
potest esse nisi valde obrufus, erat ido-
neus, tum quia Sephora uxor Moysis
Gentilis & Madianita potuit illius ri-
tus esse satis perita, ut Eliezer filium
suum secundogenitum circumcidere
posset, undè periculum, quo non ca-
ruit Circumcisio non proveniebat à
difficultate, sed ab ipsà Circumcisio-
ne, quandoquidem ab illo liberi non
erant etiam à peritissimà manu circum-
cisi.

XIV. Addendum his, quod ritus ille apud
Judæos solemnissimus erat, ad quem
conveniebant semper plures maximè
vicini & cognati, quare cum omnes
frequentissimè adessent ejusmodi ritui,
facile fuit cuivis observare, & discere
modum quo fiebat, maximè cum, ut
asserunt Doctores, consisteret in solà
pellis quæ glandis integumentum est
defectione, quamvis existimem etiam
aliquid carnis fuisse defectum.

XV. Secunda sententia est illorum qui
existimantes cum Tostato Episcopo
Abulensi in lib. Josue cap. 5. nullum
fuisse ministrum Circumcisionis pecu-
liarem, hanc ratione ducti, quod nul-
lus in totà Scripturà invenitur Mini-
ster Circumcisionis determinatus,
quodque modò hos, modò illos, modò
vitos, modò mulieres, modò pa-
rentes, modò alios eam ministrasse ea-
dem Scriptura referat; ut videre est ex
iis quæ diximus hic supra n. 10. Dicunt
à Beatissimà Virgine Christum fuisse
circumcisum: Cum enim nullus esset
hujus ritus Minister determinatus,
hunc potius Beata Deipara perfecit in
Filio suo quàm quivis alius, eo quod
nec ad illud exequendum ei defuerit
animus, nec ulla manus aut mollior,
aut tuavior manu illius, nulla sollicitius
curatura ne cultellus malè incideret,
nulla dignior quæ carnem contingeret
sacratissimam, nulla purior ut Deifico
Sanguine tingeretur, nulla denique

propinquior, ad quam hoc magis
spectaret.

In hac opinione fuit Author libri de
vera Circumcis. qui extat inter Opera
Divi Hieronymi tomo 9. ubi sic ait:
*Christus octavà die circumciditur à Ma-
tre, utique quasi homo, qui promissus fuerat
ipsi Abraha.* Author item Tract. de La-
mentat. Virg. qui tribuitur Divo Ber-
nardo, ubi hæc habet. *Virgo Christum
genuit, lactavit, octavà die circumcidit.* Et
in hanc inclinant Barradius in Evang.
tomo 1. lib. 9. cap. 1. noster Sylveira in
Evang. tomo 1. lib. 2. cap. 3. quæst. 1.
& alii non pauci.

Sed nec hæc sententia placet: Nam
ad illud quod profundamento ponitur,
nullum inveniri in totà lege scriptà
Ministrum Circumcisionis determina-
tum. Respondeo, cum Circumcisionis
institutio præcesserit legem scriptam,
(coepit enim ab Abrahamo) ex hoc
quod lex scripta nihil de novo circa
illius administrationem statuerit, se-
quitur illam omnia reliquisse in eo sta-
tu in quo erant ante legem, estque illo-
rum omnium tacita seu interpretativa
approbatio. Atqui in institutione Cir-
cumcisionis illius administratio com-
mittitur Patrifamilias. Namque illa
instituitur Genesis cap. 17. quod & ita
intellexit, quia ibidem illam per se
præstitit, & ut manifestum constaret
non ad alium quàm ad Patremfamilias
id muneris pertinuisse, non tantum fi-
lium suum & domesticos suos dicitur
ibi circumcidisse, sed nec seipsum ab
alio passus est circumcidi, ait enim
ibidem Scriptura vers. 24. *Abraham no-
naginta & novem annorum erat, quando
circumcidit carnem præputii sui.*

Et verò cum Circumcisio esset sig-
naculum fidei, ac per illam profiteren-
tur Judæi se credere firmiter ex istà
carne ab Abraham Circumcisionis au-
thore, vel Circumcisorum præno &
principe propagatà, nasciturum Mes-
sam, æquum omninò fuisse videtur ac
vehementer æquum, ut hæc fidei pro-
fessio ab ipso Abraham, & singulis suc-
cessivè Patribus ex eo descendenti-
bus, in carne filiorum suorum, à
suà utique decisà, obsignaretur, &
in ista parte carnis, per quam fiebat
propagatio perventura ad Christum
Messiam

Messiam sigillaretur.

XIX. Nec melius inferitur eadem libertas cuiilibet administrandi Circumcisionem, ex eo quod non à Patribus tantum, sed etiam ab aliis peractam illam aliquoties perhibeat Scriptura Sacra: Nam primò, quod Sephora uxor Moyse in præsentia mariti sui, qui erat Sacerdos, filium suum circumciderit, id fecit ex ejus nutu & delegatione, urgente tunc Dei præcepto, ad quod Moyse tunc minus aptus erat, utpote nimio terrore percussus & sine dubio tremore correptus, ac manu ad hoc minus firmus ob intentam sibi ab Angelo mortem, eo quod dictam filii sui Circumcisionem distulisset.

XX. Quoad illas verò mulieres quæ i. Machabæor. cap. i. circumcidebant filios suos, & trucidabantur jussu Antiochi Regis, Respondeo id fecisse in manifestissimâ necessitate, in qua non negamus alium à Patre potuisse circumcidere, quemadmodum nunc, quamvis minister Sacramenti Baptismi, qui in locum Circumcisionis successit, sit Sacerdos, potest tamen alius non Sacerdos, etiam mulier in casu necessitatis baptizare.

XXI. Quod autem hæc nostra Responsio legitima sit, patet ex antecedentibus & consequentibus: Nam primò in antecedentibus dicitur Rex Antiochus fecisse eadem magnam hominum in populo Judæorum. Secundò dicitur, quod cum idem Antiochus jussisset ut omnis populus esset unus, & relinqueret unusquisque legem suam: multi ex Israel consenserunt ei. Tertiò, quod cum tandem misisset per manus Nunciorum libros in Jerusalem, & in omnes Civitates Judææ, ut sequerentur leges Gentium terræ, & prohiberent holocausta & sacrificia, &c. & relinquere filios suos incircumcisos, &c. præposuissetque Principes Populo, qui his advigilarent, & ad hæc eos cogèrent, adhuc multi de populo congregati sunt ad præcedentes transfugas, alii verò sibi fugâ consulentes in abditis & fugitivorum antris se absconderunt.

XXII. Pars ergò Judæorum ceciderat in gladio, pars transferat ad ritus sacrilegos Gentium, pars latitabat in abditis

& antris terræ: Quare uxores infantes suos, qui fervente hæc atroci persecutione manserant incircumcisi, cum præsentissimam mortem præ oculis haberent & expectarent, ipsæ deficientibus viris circumciderunt suos natos ne earum culpâ manerent incircumcisi.

Ex consequentibus quoque id fit manifestum, nam additur: *Et suspendebant pueros à cervicibus per domos eorum, & eos qui circumciderant illos trucidabāt.* Ex quo evidentissimè patet ab illis qui necdum interfecti erant, nec defecerant, nec latitabant, non verò à mulieribus hos fuisse circumcisos, ut proinde priores à mulieribus circumcisi, non fuerint ab illis circumcisi nisi quia deficientibus illarum mariti, & ex præsentissima id faciendi necessitate pro salute parvulorum suorum.

Confirmatur, quia hæc Circumcisio non fuit facta in tempore statuto, sed fuit extemporanea, at si libera fuisset matribus circumcidendi facultas, ut Patribus, quare illa ab ita timentibus Deum, ut pro eo mori non dubitarent, dilata fuisset usque ad illam extremitatem? quin imò in prædictis casibus mulieres illæ videntur fuisse capita familiarum suarum. Nam cum illarum viri vel interfecti essent, vel si adhuc extabant, censerentur non amplius extare, quia omnino pueris illis deficientibus; jus illud quod expectabat ad caput familiæ, ad uxores tanquam potiores & proximiores devolutum, prudenti judicio æstimare debemus, & idè illæ pro hæc circumcissione non ad Sacerdotes recurrerunt.

Quoad Iosue verò qui circumcudit populum in Valle præputiorum, Respondeo primò, illud fecisse de mandato speciali Dei, & idè hoc ejus factum non debet trahi ad consequentiam. Quod si aliud velis: Respondeo secundò, omnis ferè populus qui egressus est ex Ægypto generis masculini mortuus est in solitudine per longissimos viæ circuitus quadraginta annorum, qui omnes erant circumcisi: illi autem qui nati sunt in deserto per 40. annos illos itineris non fuerant circumcisi, consequenter nec illi qui erant capita familiarum. Quare ad

ad Josuë, qui erat Dux totius populi Israëliti à Deo constitutus, & consequenter primum ac summum caput omnium Tribuum & Familiarum, non verò ad ullum Sacerdotum deferretur cœleste mandatum, ut ipse circumcisus ante, omnes non circumcisos in solitudine circumcidat, quo amplius manifestum fieret id quod asserimus, non ad Sacerdotes, aut Levitas, nec ad quemcumque indifferenter, sed ad capita familiarum id muneris semper spectasse, quandoquidem non ad Sacerdotes, quorum tota Tribus ibi aderat, nec ad alios, sed ad Josuë caput capitum omnium tribuum & familiarum mandatum divinum de omnibus circumcidendis delatum sit.

XXVI. Itaque Josuë tanquam caput summum & universale omnium tribuum & familiarum, ritè & secundum legem jam ipse circumcisus, capita familiarum ipse per se circumcidit, ac deinde hi per illum jam circumcisus quique suos domesticos, itaut & hanc circumcisionem juxta Dei primitivam institutionem mandatam & peractam liquidò constet, scilicet per capita familiarum modo jam dicto, incipit enim Josuë caput summum omnium circumcidere capita familiarum: tùm deinde hæc capita quæque familias suas seu domesticos: non enim credibile est Josuë omnes & singulos filios Israel per 40. annos in solitudine natos per seipsum circumcidisse.

XXVII. Ex his resultat evidenter veritas tertiæ & nunc receptissimæ Sententiæ, scilicet Christum Dominum non ab alio circumcisum quàm à Divo Josepho: verè enim Divus Josephus fuit ille, *Fidelis servus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam*. Verè fuit Pater Jesu, verè conjux Mariæ, ergo verè caput illius familiæ quam componebat cum Jesu filio suo & Maria conjugè suâ. Confirmaturque hoc assertum ex revelatione factâ venerabili nostræ Margaretæ à Sanctissimo Sacramento in verbis à nobis supra relatis Part. 1. Tractatu 3. cap. 3. numer. 4.

XXVIII. Roboratur assertum nostrum auctoritate SS. Patrum Ephrem Syri tom. 3. Oper. suor. Serm. de Transfi-

gurat, Dom. inter med. & fin. ubi sic ille probans Christum esse verè Deum & hominem: *Si non erat caro*, inquit, *Ioseph quem circumcidit? & si non erat Deus, Stella in Cælo in cuius honorem accurrebat?* & Divi Thomæ in Cate-nâ ad illa verba Matth. cap. 1. *Pater autem filium & vocabis nomen ejus IESUM*; ubi sic Angelicus Doctor, *Ostendit*, inquit, *quod quamvis non sit necessarius (Ioseph) Conceptui, tamen utilis est procuratori, quia ipsa pater filium, & tunc Matri & filio erit necessarius: Matri ut ab infamiâ defendat, filio ut cum nutriat & circumcidat, quæ Circumcisio notatur, ubi dicitur, & vocabis nomen ejus IESUM. in Circumcisione enim solet nomen dari.*

XXIX. Ubi Angelicus Doctor aliam adhuc tangit rationem cur à D. Josepho Christus circumcisus dici debeat, eo quod scilicet id ei ab Angelo ex parte Dei demandatum sit, idque in eo quod ei nomen imponere iussus: Cùm enim essent duo conjuncta, circumcidere, & nomen imponere; quando D. Josepho munus imponendi nominis Christo cœlitus committitur, hoc ipso alterum quoque munus: cum circumcidendi illi conjunctum commissum fuisse intelligendum est. Hæc est vis argumenti Angelici Doctoris.

XXX. Quare etsi Beatæ Virgini non defuerit animus, ut illud munus cruciatum præstaret, qui non defuit Sephoræ, & mulieribus Machabæis, & qui ei non defuit ut juxta crucem ejusdem filii sui staret, Joan. cap. 19. vers. 25. Etsi nulla manus aut mollior aut suavior manu ipsius, nulla sollicitius curatura ut ne cultellus malè incideret, nulla dignior quæ sacratissimam carnem tangeret, nulla purior ut Deifico sanguine tingeretur; nulla denique propinquior ad quam hoc magis spectaret, ut dicebatur superius num. 13. non illa tamen, sed Divus Josephus illum circumcidit, quia in hæc causâ non quid dignius, sed quid legi & consuetudini receptæ (cujus tenacissima fuit Beata Virgo & Sanctus Joseph) conformius consideratum est & observatum. At fuit conformius legi & consuetudini ex dictis, ut Divus Josephus, qui & Pater erat, & Pater ab omnibus reputari debebat

bebat, & reputabatur, illud præstaret: ergo, &c.

XXXI.

Dices D. Iosephus sciebat quod licet Beata Virgo, ut sua uxor, esset sibi subdita, tamen ut Mater ex cuius carne Christus, esset sibi præferenda; sciebat maiorem esse illius ad Christum propinquitatem, maiora jura quam sua: quare agnovit illud juris ei potius competere quam sibi, unde & debemus credere illud ei detulisse. Respondeo esto propter rationem supradictam major esset in re & coram Deo Virginis Dei-paræ ad Christum propinquitas quam Divi Iosephi, non tamen apud homines, à quibus putabatur & tunc Deus putari volebat Pater Christi generatione: Cum ergo eum Deus subrogasset in locum Patris, ut talis ab omnibus reputaretur, eum consequenter subrogavit in omnia jura Patris erga filium, consequenter in hoc munus ei præstandum: quare Beatissima Virgo eius Sponsa omnium humillima & subditissima, nihil sibi de eo jure arrogandum duxit amplius quam ceteræ mulieres respectu maritorum suorum, nec propter rationes istas D. Iosephus hoc præstare dubitavit cum hunc totum serupulum abstulisset Angelus ei in particulari demandando ut nomen puero imponeret, ut cum D. Thomâ mox dicebamus.

XXXII.

Confirmatur hæc Sententia nostra ex eo quod contigit Moyse Exodi cap. 4. ob neglectam vel dilatam nimis filii sui secundogenitri circumcisionem: si enim circumcisio ad Patrem non pertinuisset, cur Angelus Moyse potius quam ejus uxori ob non circumcisum fati diligenter filium, mortem intenteret?

XXXIII.

Dices quia etsi Pater non esset determinatus minister circumcisionis, onus tamé illam filio procurandi pertinebat maximè ad Patrem, ex quo Deus præceptum circumcisionis in Abrahamo ad Patres familias direxerat. Sed verius est onus Moyse ut Patris fuisse non tantum ut filio circumcisionem procuraret, sed ut ipse eam ei adhiberet, quod cum non fecisset, ideò illi Angelus mortem intentavit non uxori, quæ tamen deficiente Patre peccasset etiam non adhibendo ut tene-

batur: idcirco enim mulieres Machabeæ deficientibus viris suis circumciderunt filios suos, etiam si scirent futurum ut propterea trucidarentur.

Adde quod etsi nullus fuisset determinatus minister circumcisionis, cum tamen illius cura maximè pertineret ad patrem, fatendum est patrem fuisse semper inter omnes potiore ut illud munus exequeretur, quo circa & Abraham filium ac domesticos circumcidisse patet ex Scripturâ Genes. cap. 17. Cum ergo oportuerit ut Divus Iosephus ad tempus crederetur Pater Christi generatione, quod & Beata Virgo intellexit, ideò & ex hoc capite adhuc à Divo Iosepho circumcisum Christum credere deberemus, ut amplius haberetur pro Patre illius quem ex illa autoritate circumcidebat.

Dices cum Jansenio Iprensi & Doctoro Henrico Rampenne Huo-Leodiensi utroque in Evangelia ad illud Luc. cap. 2. vers. 21. *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer.* Magis expediebat ut Christus & ceteri infantes ab extraneo circumcideretur, ut scilicet veritas susceptæ ab hoc & illis circumcisionis per publicum extraneorum testimonium esset extra omnem suspicionem: confirmatur ex Divo Augustino lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 17. ubi asserit circumcisionem fieri solitam à Judæis. Respondeo cum ritus circumcisionis esset valdè solemnis ad quem cognati conveniebant & vicini, ut vidimus supra ex circumcisione D. Joannis Baptistæ: ex his assistentibus & testibus habebatur abundantissimè ut firma esset & extra omnem suspicionem suscepta à pueris circumcisio: & ob alias causas notas Deo, sub quo captivandus intellectus, fuit institutum ut pater & non alius circumcideret filios suos. Ad autoritatem D. Augustini, Respondeo per hoc non significari quod præterdit objectio: sed ad summum velle Judæos in administratur Sacramento circumcisionis non habuisse rationem majoris sanctitatis: sed illam administrari solitam à quibusvis Judæis sive boni essent sive mali, ita tamen ut administraretur ab habente potestatem: Ex quo idem concludit

cludit Sanctus Pater de administrante nunc Baptismi Sacramentum contra hæreticam istum.

SECTIO II.

A quo nomen Christo Domino impostum?

XXXVII. **P**ostquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer ex Virgine natus, scilicet Christus Dominus, vocatum est nomen ejus JESUS, utique ab homine quod etiam vocatum erat ab Angelo priusquam in utero conciperetur: vocatum etiam fuerat idem nomen à Deo priusquam ab Angelo nunciaretur: nec enim Angeliquidquam loquuntur hominibus, nisi quod Deus dixerit: & patet evidenter ex Isaïæ cap. 62. vers. 2. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit.*

XXXVIII. Differentia est inter tres istas vocationes magna: nam vocatio quæ fuit à Deo, fuit prima, & fuit propriè nominis istius, JESU, in circumcissione Christo imponendi designatio & sanctio: quæ fuit ab Angelo fuit secunda & fuit nominis à Deo designati, & ab homine imponendi manifestatio, & ut ita loquitur, juridica intimatio: Tertia, quæ fuit ab homine, facta postquam consummati sunt dies octo à Nativitate ut circumcideretur puer, fuit manifestata per Angelum divinæ voluntatis impletio seu executio; hæcque sola fuit propriè & strictè nominis impositio. Et licet hanc factam juxta Judæorum consuetudinem octavo à Nativitate die & in ipsa circumcissione testetur Lucas cap. 2. v. 21. à quo tamen facta sit tacet: reliquit hoc nostræ indagini. Hoc itaque scrutemur.

XXXIX. Illud certum vel à Divo Josepho vel à Beatâ Virgine vel ab utroque factam, tum quia non ad alios quam ad parentes hoc nominis imponendi munus spectasse notum est apud omnes gentes, tum quia non aliis quam illis id per Angelum demandavit Deus. Restat ut à quo è duobus illis facta sit videamus.

XL. Factam volunt à Divo Josepho ali-

co quod ipse in locum Patris respectu Christi sit subrogatus, cuique Deus omnia quæ sunt Patris concesserit exceptâ solâ generatione: Quare cum unum ex juribus ad Patrem in prolem spectantibus sit illi imponere nomen, hoc Divo Josepho quis credat fuisse denegatum? Accedit quod ei expresse per Angelum demandatum sit, ut vocaret nomen ejus JESUM, Matthæi cap. 1. vers. 21. quod de hac solemnî impositione constat esse intelligendum.

Alii volunt è contra fuisse factam à Beatissimâ Virgine Deiparâ, quorum fundamentum esse potest quod S. Lucas dum de hac solemnî loquitur impositione, indicat eam non humano factam consilio, sed nutu Divino; dicens *Vocatum est nomen ejus IESUS, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur*, cum scilicet Virgini ab Angelo dictum, *Concipies & paries Filium & vocabis nomen ejus IESUM*, Lucæ cap. 1. vers. 31. Fuit quoque hoc ipsum nomen ab eodem Angelo indicatum Divo Josepho, sed non priusquam in utero conciperetur, verum cum eo concepto & alvo Virginis ex ejus conceptione visibiliter intumescente, liberandus fuit ab anxietate in quam ob id inciderat, quem in finem dixit ei Angelus, *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, &c. Pariet autem filium & vocabis nomen ejus IESUM, &c.* Attamen non hujus sed præcedentis vocationis ab Angelo memoriam reficit Evangelista in solemnî Nominis JESU impositione postquam consummati sunt dies octo à nativitate ejus: Cur hoc, nisi ut indicet hanc factam ab illâ Beatissimâ Matre, cui prima illa denunciatio ab Angelo facta fuerat? Accedit quod illa sola Mater sine terreno Patre eum genuerat: quare non Patri, idest Divo Josepho, qui in ejus generatione nihil habebat, sed Matre hoc jus ei nomen imponendi incubuit.

Quod si objicias etiam Divo Josepho dictum ab Angelo Matthæi cap. 1. versu 21. *Vocabis nomen ejus IESUM*. Respondent, non quia hujusmodi nominis imponendi munus ad eum pertinuerit, sed quia Archangelus Gabriel voluit Divum Josephum officio Patris honorare:

XLII.

honorare: si replices quomodo per hoc illum honoravit, si Joseph cum non vocavit? Respondent ab utroque Christum nomen istud accepisse, sed à Maria impositivè, à Josepho concomitantè; à Maria autoritativè, à Josepho approbativè tantum.

XLIII. Alii denique volunt factam ab utroque Divo scilicet Josepho & Beatâ Virgine, eo quod mandatum Dei de Nomine JESU Christo Domino imponendo ab Angelo ad utrumque delatum sit, ut indicatum est supra.

XLIV. Pro hujus resolutione difficultatis inquirendum & statuendum ad quem de jure pertineat munus imponendi nomina filiis? ad quam difficultatem Mendoza in lib. 1. Regum ad cap. 1. num. 20. in Exposit. litt. distinct. 45. & 6. ponit tres opiniones.

XLV. Prima est Moñtani in cap. 7. Josue, ubi docet spectasse ad Matrem, ductus non tam ratione, vel autoritate, quam Scripturæ exemplis: Nam à Matribus leguntur nomina accepisse Moab & Ammon Genes. cap. 19. vers. 37. & 38. Jacob Genes. cap. 25. vers. 26. ex mente Divi Chrylostomi homil. 51. in Genes. Omnes Filii Jacob tam ex Liâ, quam ex Rachele Genes. cap. 29. 30. & 35. Pharez & Zaram filii Judæ ex Thamar Genes. 38. vers. 29. & 30. Sampson Judic. cap. 5. vers. 24. Salomon 2. Regum cap. 12. vers. 26. labes 1. Paralip. cap. 4. vers. 9. & c.

XLVI. Secunda est quam docet Pineda in suo prævio Salomone lib. 1. cap. 16. cum aliis ab eo citatis pertinuisse scilicet ad Patrem. Probat hac efficaci ratione. Nam nomen imponere est autoritatis & potestatis, ut docent Tertullianus contra Marcionem lib. 4. cap. 13. Divus Chrystomus homil. 14. in Genes. Sanctus Ioannes Damascenus lib. 2. de Fide Orthodox. cap. 30. & alii, undè David Psalm. 146. de Deo universi Domino ait vers. 4. *Qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat.* Et Genes. cap. 2. v. 19. & 20. Adam acceptâ à Deo potestate & dominio in cuncta animantia, ea Deus adduxit ad Adam ut videret quid vocaret ea: & omne quod vocavit Adam anima viventis ipsam est nomen ejus. Et Danielis cap. 1. vers. 6. Nabu-

chodonosor seu Eunuchorum ejus Præpositus ex potestate quam habuit in tres pueros Hebræos Ananiam, Azariam & Misachem, muravit eorum nomina, vocavitque Ananiam, Sidrach: Azariam, Misach: & Misachem, Abdenago. Atqui Patria potestas est omnium prima: Nam & Mater Patris potestati subdita est. *Sub Viri potestate eris & ipse dominabitur tui.* Genes. cap. 3. vers. 16. Ergo ad Patrem spectat nomina filiis imponere, nec ulli alteri nisi de ipsius voluntate & nutu. Nec desunt infinita ex Scripturâ hujusce rei exempla: nam inter alios nomina à Patribus accepisse referuntur Enos Genes. cap. 4. vers. 26. Noe Genes. cap. 5. vers. 29. Ismael Genes. cap. 12. vers. 15. Isaac Genes. cap. 21. vers. 3. Manasses & Ephraim Genes. cap. 41 vers. 51. & 52. Gersam & Eliezer Exodi cap. 2. vers. 22.

Tertia sententia est Mendozæ lococitato, cui neutra ex duabus præcedentibus placet, eo quod cum paria Scripturæ exempla pro utraque referantur, necesse erit ut quælibet earum in lege quam finget ea super re tot admittat dispensationes, quot observationes; quod absurdum est: nec ratio adducta pro præcedenti sententiâ (quæ videtur prævalere primæ) valde urget, inquit Mendoza, quia naturale dominium in filios est penes utrumque parentem, & quamvis ad Patrem aliquatenus magis pertineat, præsertim jure Civili, & quoad aliquas actiones particulares, suâ tamen potestate Mater non privatur.

Quare planiorem censet Mendoza & expeditiorem opinionem Maldonati ex eadem cum ipso Societate JESU, in Matth. cap. 1. & Luc. cap. 1. existimantis nullum fuisse eâ de re jus inter Hebræos, sed hoc muneris ad utrumlibet Parentem absque ullo discrimine spectasse: & propterea modò hunc, modò illam, nomen filiis imposuisse, semelque sive ab hoc sive ab illâ impositum mansisse; ut patet per exempla pro utraque parte allata.

Ad stipulari videtur Divus Chrystomus homil. 51. in Genes. statim ab initio, ubi de hac nominum impositione sic loquitur. *Sive Mater, sive Pater nomen impositurus erat, varum quoddam*

et novum imponebat ut per illud aliqua futura prae-significaret. Et probat sic; quia nullum eâ de re jus naturale: positivum autem non apparet: & revera nullum fuisse inde satis colligi videtur, quod aliquando unus, aliquando alter parens nomē imponebat, ut ex dictis liquet: aliquando uterque simul idem nomē imponebat, ut patet in Ismaele Gen. c. 16. v. 11. & 15. in S. Joanne Baptistâ Luc. c. 1. v. 60. & 63. Idemq; Christo contigisse censet, eo quod hoc munus Divæ Deiparæ & S. Josepho commissum fuerat Matth. c. 1. num. 21. & Lucæ c. 1. n. 13. Aliquando unus unum nomen, alter verò alterum imponebat. Ut patet in ultimo ex duodecim Patriarchis filiis Jacob, cui Rachel mater nomen *Benoni*, Jacob autem pater *Benjamin* imposuit Genes. c. 35. vers. 18. Tandem aliquando tertius alius à patre & matre nomen filiis imposuisse visus est, ut patet ex dictis de Nabuchodonozore refectu trium puerorum Hebræorum, & in Salomone, quem Natan Propheta vocavit, *Amabilem Domino*, 2. Reg. c. 12. v. 25. Cum igitur in Scripturâ sacrâ tanta sit hujus rei diversitas non est cur ad unum potius parentem quam ad alterum potestatem hanc pertinuisse dicamus.

L. Verum mihi certissima videtur & indubitata secunda ex his tribus Sententiis, quod scilicet jus imponendi nominis filiis pertineat ad Patrem utpote fundatum in jure naturali, propter patriam potestatem sub quam primo cadit filius intrans in hunc mundum. Nec refert quod alii à Matre aliquando nomina imposuisse inveniantur. Respondeo enim id factum non aliter quam consentiente patre, vel non abnuente, qui si restitisset, vel ipse nomen imponere voluisset, hoc & non aliud à quovis positum proprium semper fuisset filii nomen.

L. I. Probat hæc Responso & consequenter assertio per illa ipsa quæ Authores aliarum Sententiarum pro se adduxerunt: ac quidem primò Genes. cap. 15. num. 18. ubi cum Rachel nomen *Benoni* filio suo inter duodecim Patriarchas ultimo dedisset, Jacob pater, licet & illi & Liæ potestatem fecisset alios Patriarchas nominandi, hunc tamen vocavit *Benjamin*, quod

nomen ei, alio refecto, remansit, fuitque semper ab omnibus habitum pro nomine ejus proprio, non illud quod à matre prius acceperat: cujus probatio invincibilis est quod semper ab inde non *Benoni*, sed *Benjamin* per totam scripturam etiam novi Testamenti appellatus legatur.

Secundò, probatur ex nomine *Amabilis Domino* Salomoni etiam à Propheta datum, quod nunquam fuit habitum pro nomine proprio istius filii Davidis, & ideò nunquam isto nomine legitur nuncupatus, sed nomine *Salomonis* significans *Pacificum*, quod fuerat ei à Patre prius positum: de Nabuchodonore, id fuit factum jure servitutis quod est contra jus naturale, & ideò semper tres isti pueri à Deo in Scripturâ vocantur nominibus à Patribus suis impositis Ananias, Azarias, & Misael.

Tertiò, probatur ex nomine *Ioannis* Sancto Præcuratori Domini impositum Luc. cap. 1. non enim amici & cognati acquiescebant Matri, quæ, cum mutus esset factus Pater, ei *Ioannis* nomen imponere volebat, sed recurrerunt ad patrem Zachariam, qui cum postulatis per signa pugillaribus scripserat *Ioannes est nomen ejus*, ratum & firmum habuerunt, & prout scripserat ita tenuit, quod manifestissimum est signum, non ad Matrem, sed ad Patrem rem hanc pertinuisse.

Confirmatur, quia Deus revelavit Zachariæ Luc. cap. 1. vers. 13. non verò Elizabethæ hoc nomine vocandum esse Præcuratorem: quare hoc nisi quia ad hunc non ad illam pertinebat istud negotii: nec valet si dicas etiam Elizabethæ revelatum, quandoquidem ipsa quoque indicaverit, & quidem prius marito suo hoc esse nomen ejus Luc. cap. 1. versu 60. Respondeo enim id non constare ex Scriptura de hac ut de Patre, possitque rectè dici hanc à viro suo didicisse v. c. per Scripturam hoc nomine vocandum esse, quo sibi Angelus revelaverat: deinde quia etsi daremus etiam Elizabethæ fuisse revelatum, cum tamen hoc Scriptura taceat, illud verò exprimere voluerit, quid causæ subfuisse dicemus nisi quod significare voluc-

Ccc

voluerit per hoc, istud munus fuisse Patris, non verò Matris?

L.V. Quartò, probatur ex eo quod dicitur Ismaël eodem simul ab utroque parente Abraham & Agar nomine vocatus, Genes. c. 16, vers. 11. & 15. tantum enim abest, ut hoc ita sit, ut potius exinde nostra sententia evidenter confirmetur. Nam video quidem matri dictum ab Angelo, *vocabis nomen ejus Ismaël*, non lego tamen ab eâ istud ei nomen impositum, sed ab Abraham Patre: sic enim habetur Genes. cap. 16, vers. 15. *Peperitq; Agar Abra filium, qui vocavit nomen ejus Ismael*. Quare hoc? nisi quia istud negotii ad Patrem spectabat: idque intellexit Agar: quare esto ei dixisset Angelus, *vocabis nomen ejus Ismael*, intellexit tamen illud posse fieri servando Abraham suum jus Patris, procurando scilicet ut per Abraham, ad quem spectabat fieret: cui propterea revelationem sibi ab Angelo factam indicavit: cum ergo non obstante istâ Angelicâ significatione (quæ in hoc casu, siurgeret, dispensatio fuisse à nobis responderi posset) Abraham tamen Ismaëli nomen imposuerit, manifestissimum evadit id juris ad Patrem pertinuisse: non tamen negamus in hoc negotio sæpè Patres de consilio uxorum suarum processisse: sed ex hoc nihil contra eorum in hoc auctoritatem, & assertum nostrum.

L.VI. Ex quibus omnibus cum manifestum evadat munus imponendi nomen filii de jure naturali & divino ad Patrem semper pertinuisse, & aliunde indubitatum sit D. Josephum fuisse ut Patrem in omnia jura Patris respectu Christi substitutum, omniaque illi concedenda quæ cæteris Patribus respectu filiorum suorum, exceptâ solâ generatione, ut loquuntur Patres. Tandem cum etiam ex dictis indubitatum sit Beatissimam Virginem matrem & humillimam & viro suo Divo Josepho in omnibus perfectè subditam nihil ei eorum quæ sunt mariti vel Patris derogasse, certissimè tenendum est Divum Josephum nomen Christo imposuisse.

L.VII. Confirmatur, quia Divus Josephus ita Pater fuit Christi ut per eum Chri-

sti Genealogiam omninò deducendam censuerint Evangelistæ, & ita necessariò faciendum fuerit, ut si fecus fecissent, illi injuria facta fuisset ex Divo Augustino lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 11. meritoque ex eodem D. Augustino serm. 63. de diversis cap. 20. conquæri potuisset. Ergo à fortiori si alius ab eo etiam Beata Virgo ei nomen imposuisset.

Nec refert quod Angelus dixerit ^{L.VIII.} Mariæ Luc. cap. 1. vers. 21. *Vocabis nomen ejus IESVM*, intellexit enim Maria melius quam Agar mox supra num. 55. se id posse servato jure mariti sui Divi Josephi, procurando scilicet ut per ipsum ad quem omninò pertinebat fieret. Secundò, id factum ut summus esset Mariæ consensus in sententiam Divi Josephi quoad istud nomen Christo utriusque filio imponendum. Tertiò, quia ex collatione utriusque revelationis magis confirmabatur D. Iosephus ut ei istud nomen imponeret, & nos ut crederemus fuisse nomen ei divinitus inditum. Demum ut nobis magis innotesceret hoc nomen non fuisse humanitus adinventum sed cœlitus allatum.

Levis est etiam conjectura, quod ^{L.III.} nomen Christo tuerit à Beatâ Virgine impositum, non à Divo Josepho, propterea quod cum illa solemniter impositio refertur à Lucâ Evangelistâ, recolat denunciationem hujus nominis factam ab Angelo Divæ Deiparæ priusquam Christus in ejus utero conciperetur, non verò illam quæ facta est Divo Josepho post ejus conceptionem: ait enim Lucas tunc, *Vocatum est nomen ejus IESVS, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur*. Respondet enim tunc illam potius recoluit Evangelista quæ facta est Virgini, quam alteram quæ facta est Divo Josepho, quia illa fuerat prima.

Nec majorem habet vim quod solâ ^{L.I.} Virgo dicitur sine Patre terreno concepisse & peperisse, & id eò ei debitum, ut præter legem communem filio ex se solâ genito nomen imponeret: Nam etsi verum sit quod sola illum sine viro conceperit, attamen Divus Josephus, cœlo volente, locum Patris respectu Christi, ac si eum genuisset, tenuit;

nuit; consequenter ad eum spectavit ipsi nomen imponere, ac si eum genuisset.

LXI. Neque hoc officium ei Angelus honoris gratiâ contulit, sed honorem qui ex jure Paterno ei debebatur declaravit & intimavit, ut ne scilicet Divus Josephus dubitaret illud præstare propterea quod sola Virgo puerum genuisset: Cum enim esset humilis & timoratus, timere potuisset, si hoc munus, etiam à Beatâ Virgine oblatum, exequutus fuisset: & propterea hæc divinâ declaratione confirmari necesse fuit. O Virum verè ineffabilem!

LXII. Probatum amplius nostrâ Sententia in particulari à ratione, quia necesse fuit ut illa omnia Divus Josephus circa puerum præstaret ex quorum omissione potuisset vel suboriri suspicio ipsum non esse Patrem Christi generatione (qualis ad tempus reputari debuit, ut tam sæpè diximus) vel existimari Beata Virgo minùs humilis & subdita viro. Quare cum ex dictis res sit Patris nomen imponere filio, & si Divus Josephus non impotuisse, data fuisset occasio suspicandi, ipsum fortè non esse istius pueri Patrem, vel saltem Beatam Virginem cum contemptu viri id sibi arrogasse, quod illi non competeat, sed viro; dicendum certò certius Divum Josephum ipsi nomen imposuisse.

LXIII. Idem quoque conjicio ex hoc, quod dum Angelus Divo Josepho, ut Patri injunxit ut puero in uxore suâ concepto nomen *JESUS* imponeret, simul & semel ipsi nominis istius significationem & energiam explicavit quod non fecit Matri: dixit enim illi, *Vocabis nomen ejus IESVM, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matth. cap. 1, vers. 21. Nam quamvis non dubitemus Virginem quoque scivisse hujus Sanctissimi Nominis significationem & virtutem, hanc tamen ei non legimus explicatam uti Divo Josepho: quare hoc? Nimirum quia cum non illa, sed hic impositurus esset nomen, conveniens fuit ut hic sciret illius nominis significationem.

LXIV. Tandem non possum non mirari Doctores circa hoc ita hallucinatos, nec advertisse hæcenus nostram assertio-

nem de hujus nominis impositione per Divum Josephum, clarissimè & interminis expressis contineri in Evangelio. Esto enim Divus Lucas cap. 2. loquens ex professo de hæc solemnè impositione factâ postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, taceat à quo facta sit, Matthæus tamen cap. 1. in fine id expressit clarissimis verbis: Nam cum Angelus Josepho, quem ab anxietate in quam proceperat eum uterus Virginis relevabat, duo præcepisset: Primò ut Conjugem suâ, quam dimittere cogitaverat, non timeret retinere, quia nimirum quod in eâ natum erat (de quo angebatur) non aliudè quàm de Spiritu Sancto erat. Secundò, ut eum quem in utero gestabat & paritura erat, *JESUM* vocaret quia ipse salvum facturus erat populum suum à peccatis eorum, subdidit discretissimè, *Exurgens autem à somno Joseph fecit sicut præceperat ei Angelus Domini.* Et licet hoc sufficeret ad significandum quod utramque partem Angelici præcepti impleverit, ut tamen nullus esset dubio locus, ad utriusque expressionem sigillatim adhuc descendit, dicens: *Et accepit Conjugem suam & non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum.* Et deinde pro secundâ parte istius præcepti, *Et vocavit nomen ejus IESVM.* Sicque claudit Matthæus Evangelii sui caput primum, quo nihil clarius esse potest. Ad calcem hujus Capitis addo pro coronide.

Primò, quod cum Deus Divo Josepho concessit Christo nomen imponere, ei potestatem suam in illum communicavit: Nam cum Christus verè filius Dei esset, ad quem alium quàm ad Deum poterat spectare manus illi nomen imponendi? Hanc tamen potestatem Divo Josepho communicatam voluit, quia respectu istius filii sui ipsum repræsentabat Divus Josephus, & ejus locum tenebat, fuit enim Christo Pater Divus Josephus.

Secundò, quod simul ac Deus Divo Josepho potestatem istam communicavit, explicavit quoque illi, & effecit ut conciperet istius vim & significationem nominis, dicens: *Ipsè enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matthæi cap. 1. vers. 21. Ex quo intel-

Ccc 2

lexit

lexit primò hunc puerum non futurum Salvatorem quales fuere Iosue, David; & alii ante ipsum, sed singularem, utpote qui salvaret populum suum, non ab hostibus corporalibus, sed à peccato, quod opus non est hominis, sed Dei: *Quis enim potest peccata dimittere nisi solus Deus.* Marc. c. 2. versu 7. Intellexit secundo modum quo iste suus Iesus istam erat perfecturus salutem, scilicet per mortem & sanguinem suum pro peccatoribus effundendum, ut clamant omnes Scripturæ, & præfigurabant omnia antiquæ Legis Sacrificia: Atque adeò hunc modum salvandi esse tam diversum ab aliis quàm ipsa salus. Alii enim salvabant, alios occidendo, hic cadendo & seipsum morti tradendo. Intellexit tertio se non aliter debere respicere filium istum, quàm ut innocentem victimam pro communi omnium salute mactandam.

LXVII. Ex his nonne sanè loquendo inferendum, quod cum Divus Iosephus ex Paternâ sibi cœlitus traditâ potestate Christo nomen IESU imposuit, his cognitionibus imbutus, Patri Æterno, qui cum jam morti destinaret, & propterea IESUM vocari voluerat, mente se conformaverit. Quare ut Pater ex Patriâ Potestate, & ut Æterni Patris Interpres ex Divino munere, Nomen IESU ei imponendo, eandem in illum sententiam pronunciavit quam Pater Æternus. Ex eâ quoque ut ille omnium intendens salutem hominum, quam ex illâ securam pervidebat: atque dum eodem tempore ejus Circumcisionem aggreditur, perficit executionem sui muneris, & Patris æterni arresti executionem incipit, primas illi sanguinis guttas manu propriâ eliciendo, cujus postea totalitatem carnifices erant exhausturi in Cruce.

LXVIII. Igitur cum in Circumcisione ceteri liberarentur infantes à peccati jugo & servitute, IESUS è contra Filius Dei & Iosephi in suâ ex Dei & Iosephi voluntate totâ peccatorum nostrorum mole oneratus pronunciatur, nostrorumque Reus delictorum, & universi Victimam: dicitur enim IESUS qui salvare debeat populum suum à peccatis eorum.

LXIX. Videte ergo ô Mortales: quantum

vos Sanctissimus & Amantissimus ille Pater IESU amaverit: discite quantum salutem vestram sitierit: agnoscite quantum vos illi debeatis, qui Filium suum, quem plusquam animam suam diligebat, in mortem propter vos tradere non dubitavit, paratus & ipse illum sacrificare, si Deus ita voluisset? Huc ergo optimè vocari posset quanti faciant Sancti Patres & Doctores consensum quem Beatissima ejus Conjux dedit in Incarnationem, dum dixit Angelo istum consensum expectanti: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Per quem voluit plus sibi meriti comparasse quàm omnes mortales simul: & pondera quid meruerit Divus Iosephus in hoc actu, in quo, & per quem consentit in ejus mortem, ejusque sententiam per Patrem Æternum in eum pronunciatam ratificavit; neque hoc solum, sed etiam in ejus executionem cœpit ipse primas ex ejus tenerrimo corpore sanguinis guttas cum circumcidendo elicere cujus totalitatem carnifices erant deinceps postea exhausturi, paratus id ipse per seipsum præstare si Deus ita voluisset: & perficere quod in hac Circumcisione inceperat.

Sed ad rem redeamus quanta saltem ex hoc ò Sanctissime Pater: tua gloria: Cum Deus sub mundi initium animalia adduceret ad Adam proto-parentem, ut videret quid vocaret ea: ipse sibi reservavit Firmamentum, Diem, Noctem, Mare, ac Terram, ut illis ipse propria inderet nomina, ut videre est Gen. c. 1 à v. 5. quærit Abbas Rupertus lib. 1. in Gen. c. 28. Cur Deus his potius quàm illis nomina imponere voluerit? & respondet: *Quia illa sine dubio prætereunt, hæc autem dubium non est quod præterire vel mutari non possunt.* Siquidem illis, in quibus peculiaris illa nobilitas & excellentia, Deus nomina imponere sibi reservat, illiusque fuit non hominis quamvis omnium Principis & Capitis, ea nuncupare: quanta tua gloria ò hominum Coryphee! ò Ioseph amabilissime! qui ipsi Dei Filio nomen imponere meruisti? quanta tua gloria, qui hanc communem mundi Victimam ad mortem pro communi salute cum Patre Æterno devovisti:
Primus

Primus omnium eundem in Circumcisione immolasti? quantum tibi meritum ex istâ tuâ actione talibus circumstantiis vestitâ, ex tali consideratione, fide, intentione, amore profecta? sed quanta tua felicitas qui primus omnium primis illis saluteri Cruoris guttis, cujus unica stilla omnium sufficiebat saluti, tingi meruisti?

LXXI.

Sed quantò hæc tibi steterunt? ô quot lacrymas isti miscuisti sanguini! ô quàm sensibili, quàm acuto doloris gladio cor tuum transfixum est, quando vidisti tibi pronuncandum esse in eum mortis ipsi decretæ arrestum, hoc ipso quod cum Jesum vocasti eliciendum tibi ex dulcissimi Filii tui membro primum sanguinem! elicuisisti tamen, & magno animo elicuisisti, quia pro communi omnium lytro & salute. Itaque fuit in Abrahamo Credentium omnium Patre præfiguratus, qui filium suum Isaac sibi supernaturaliter datum, propriis manibus sacrificare, ut Deo obediret, præsto fuit: Melius ipsi Virgini Sponsæ tuæ cõparandus, quæ cum si Deus voluisset manibus suis sacrificata parata fuit.

CAPUT XXI.

Habuit Divus Josephus pro Christo amorem paternum.

I.

QMNES semper mirati sunt, mirabuntur semper quotquot erunt usque ad mundi exitum Sapientes, & meritò, Regis omnium sapientissimi Salomonis judicium, in causâ duarum mulierum apud ipsum pro eodem filio disceptantium 3 Regum cap. 3. à vers. 16. usque ad finem, per quodam propositâ hinc argumentum procedo.

II.

Igitur duæ mulieres venerunt ad Regem Salomonem steteruntque coram eo: Quarum una ait, *Obsecro mi Domine, ego & mulier hæc habitamus in domo unâ, & peperit apud eam in cubiculo: tertiâ autem die postquam peperit, peperit & hæc: & eramus simul, nullusq; alius in domo exceptis nobis duabus. Mortuus est autem filius mulieris hujus nocte, dormiens quippe oppressit eum, & consurgens intempestè no-*

ctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancilla tua dormientis, & collocauit in sinu suo, suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo: Cumq; surrexisssem mane ut darem lac filio meo, apparuit mortuus, quem diligentius intuens clarâ luce deprehendi non esse meum quem genueram: Responditq; altera mulier, non est ita ut dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. E contrario illa dicebat, mentiris, filius quippe meus vivit, & filius tuus mortuus est, atque in hunc modum contendebant coram Rege. Ecce causam prout delata est ad Salomonem ex Scripturâ citatâ de verbo ad verbum. Quid obscurius? quid intricatius istâ quæstione? in hæc causâ deerant testes, deerant probationes, deerant omnia indicia, & hinc vocis & clamoris contentione pro more suo inter se certabant mulierculæ ut vincerent. Sed audi hujus nodi dissolutionem mirabilem per Salomonem. Hæc, inquit Salomon, dicit filius meus vivit, & filius tuus mortuus est: & ista respondet non, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit: itaque afferte mihi gladium, cumq; attulissent gladium coram Rege, dividite, inquit, infantem vivum in partes duas, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri.

III.

Non hoc ferio dixit Salomon, & ut ferens definitivam, sed ut exploraret, in quâ illarum mulierum maternus resideret affectus, qui abs dubiè hic erat proditurus; ut illi in quâ hic appareret, filium vivum adjudicaret: nam à naturâ insitus est Matri arcanus erga prolem suam amor & commiseratio, cuius experta est illa quæ non est Mater: naturam ergo hic interrogavit Salomon, & illa respondens, Matrem genuinam ex affectu monstravit. Audi quomodo: *Dixit mulier cujus erat filius vivus ad Regem (commota sunt quippe viscera ejus super filio suo) obsecro Domine, date illi infantem vivum & nolite interficere eum: è contrario illa dicebat, nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur.* Quo audito, pronuncians sententiam Rex pro illâ quæ dividi non est passa ait: *Dato huic infantem vivum, & non occidatur, hæc est enim Mater ejus.*

Hanc causam versans Divus Am-
Ccc 3 brosius

IV.

brofius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 7. sic colligit: *Salomon naturam in affectibus quaesivit, quae latebat in vocibus, & pietatem interrogavit, ut probaret veritatem.* Et optimè quidem ut enim idem D. Ambrosius lib. 3. de Virginit. *Illam quae suum esse sciebat infantem, non vinci metuens, sed orbari, nec iam solatio suo proprio, sed pignori suo consulens, orare cepit, ut incolumis magis puer traderetur aliena, quam sectus in partes sibi redderetur: unde Salomon, qui non Maiestate Divinâ, sed argumentis ut homo, interiorum interrogabat affectum, illi potius iudicavit parvulum reddendum, quam veram Matrem dolor proprium prodidisset: illam verò, quam morituri parvuli misericordiâ non movebat, exortem pronuntiavit esse naturae, quam exortem vidit esse pietatis.*

V. Salomonem ferè imitatus est Carolomanus ex gente Francorum Imperator Christianissimus. Hic certus vel patrem vel filium, quos captivos detinebat, reum esse homicidii perpetrati quod nullatenus impunitum esse volebat, incertus tamen uter eorum, quod neuter crimen fateri vellet; utrumque tandem iussit suspendi. At cum Pater, qui verè homicidium illud commiserat, Imperatorem seriò agere videret, omnemque spem evadendi praelusam, crimen à se perpetratum fassus est, & ita filium suum innocenter ab imminente periculo & morte liberavit; quo tendebat Imperator. Ita Martinus Delrio disquisit. magic. lib. 4. in praëambul. ex Andrea Barbario in cap. *Præsenti de probatione.*

VI. Ex quibus nonne patet Patrem amore & affectu probari, idque argumento omninò infallibili? Itaque si adhuc forrè dubitas an D. Josephus sit Pater Christi, interroga ejus affectum, interroga ejus viscera, interroga amorem, pietas prodet veritatem.

VII. Duobus porrò modis Divus Josephus amavit Christum Dominum, nos unico tantum: Christus namque erat Divo Josepho non tantum Deus ut nobis, sed etiam filius, quod non nobis: Quare illum amavit, & ut creatura Deum, & ut verus Pater Fi-

lium: Hic de secundo amore, parte sequenti, de primo.

Dico ergo Divus Josephus Christum amavit ut Pater Filium suum. Ratio hujus est evidens ex dictis, quia verè fuit illius Pater, ita volente Deo: dedit ergo illi Deus amorem & affectum verè paternum. Quid clarius? qui enim dat esse, dat & ea quae consequuntur ad esse inquit Philosophus. Hinc Rupertus lib. 1. de Gloria Filii Hominis in Matthaum dicit: *De carne Virginis hominem formans, Paternum Josepho amorem penitus infudit Deus.* Atque ex illo amore ita cum dilexit, ita curavit, sicque erga illum in omnibus se gessit, ut etiam nobis deservent illae probationes tot & tantae ad adstruendam strictam ac veram ejus ad Christum Paternitatem, quas toto hoc Tractatu cumulavimus, satis tamen manifestè daretur colligi non posse non esse Patrem qui ita amaret, ita curaret, sic se erga illum gereret, quomodo patebit ex dicendis: Quis enim unquam Pater ita impensè dilexit prolem ex se genitam, quomodo Divus Josephus Christum Dominum? Cur non ergò aequè rectè ac Salomon supra, de illo inferam, ergo fuit verè Christi Pater?

Ipsam Patris nomen est sacrum & amoris plenissimum, nullusque est affectu Paterno potior ut docuit Aristoteles 2. Politic. cap. 1. & Filii *apostolici filii*, id est ab amore dicti videntur: Filius enim quasi *Filos* Graecè, quod est Amor: quasi dixeris filium esse ipsissimum Patris amorem.

Amorem quoque istum indicant ipsius nominis derivationes, Latinae saltem: etenim hinc non disputo an nomen *Pater* Graecum sit an Latinum, ne uni vel alteri vapulem.

Latini ergò hujus nominis *Pater* etymon deducunt, primò à verbo *Pascere*, quod Patris sit prolem pascere. Et certe quis patrem matremve dixerit illos quos expletà libidine viderit filios, quos ex se genuerunt, abjicere? Non non, non ii prolis, sed voluptatis suae parentes fuisse produntur: Enimverò unum est quod parentem comprobat amor.

Debent ergo patres ut patres se probent

proben, curare prolem, debent *pasce-
re*, alere, fovere, protegere, quo affec-
tu si se exuant in quo qualis se patres
ostendunt, & esse dignoscuntur? aut in
quo filii talium sunt debitores paren-
rum? an ob propriam voluptatem in eo-
rum generatione duntaxat quesitam &
expletam? Absurdum id nimis: an for-
tè ob molestias uteri, vel partus dolo-
res? sed hos pater non sensit, & in ma-
tre fructus sunt suæ libidinis, pœna
prævaricationis, quos impediret, si
posset. Non ergo illi prolis, sed suæ
libidinis sunt parentes, qui libidinem
directè, prolem indirectè tantùm, &
hoc vix quidem, prorulerunt: *Pascant*
ergo patres prolem, ut se verè illius
patrem comprobent.

XIII. Et verò si cœlum quod suis influen-
tiis ac calore vivifico fecundat, tot-
que foetibus imprægnat, quot ex eâ
fructus progerminant, atque hac rati-
one quandam matrimonialis exhibet
imaginem fœderis, in quo cœlû quod
supra est, patris; terra, quæ infra, matris
locum tenet. Si, inquam, cœlum quod
omni sensu caret, ita curat, ita fovet ea
quæ produxit; si terra omnium stapi-
dissimum elementum tota sit alimen-
tum ut ea quæ sinu suo educata sunt, nu-
triat, & ad perfectionem perducatur:
idem dic de animalibus & brutis om-
nibus, an non is pudor qui prolium ex
se genitarum curam & educationem
abjiciunt? Tandem tam parum est ge-
nuisse præcisè prolem, ut quis dica-
tur Pater, ut Origenes dicat *vestisse*
*magis ostendit viscera paterna, quam ge-
nuisse?*

XIV. Jam nonne Divus Iosephus affectu
plusquam paterno Christi curam sibi
cœlitus demandatam suscepit, & quos
ipse labores in hoc munere pertulit?
sed quanto amore? quanto ardore?
quàm alacriter? quàm lætanter? non-
ne hunc in Virgine Sponsâ & conjugè
suâ conceptum, & ex eâ genitum, ut
filium sibi à Deo datum & concessum
excepit? suspexit? nonne ut talem tra-
ctavit? aluit? curavit? & quis Pater
filium ex propria carne suâ genitum
aut melius, aut æquè? nulla, nulla
hïc eorum ad illum comparatio: ergo
ex hoc capite Pater illius dici, sicque

ab eo & ab omnibus appellari meritò
debit.

Grata est & factis ad rem nostram XV
Plinii lib. de Floribus cap. 2. & Vale-
sii de Sac. Philosop. observatio: quod
scilicet lilium non sit fecundum eo
modo quo cæteri flores, nullû est enim
illi semen, quo producat aliud lilium
simile sibi, sed, inquit, Plinius *lilium*
seritur lachrymâ suâ guttæ aliquæ qua-
si roris ex eo decidunt in terram, & ex
his gignitur aliud lilium: Ita Divus Jo-
sephus dictus in Evangelio *justus. Iustus*
hic *germinavit sicut lilium*: est Pater,
non sicut cæteri Patres, est fecundus
ut lilium, fecunditate planè virginali:
ipsius labores & sudores conver-
tuntur in sanguinem Mariæ, & sanguis
Mariæ in Sanguinem Christi.

Secundò, aliî nomen istud *Pater* à XVI.
pateo deductum volunt, quia nimirum
ad omnem filii accessum Pater patere
debet, & in patenti habere quæcumque
filii necessitas, etiam sub solum Patris
aspectum produxerit, ut productio illa,
non tam postulatio sit, quàm impetra-
tio: verbo uno *Pater* à *pateo* secundum
hos dictum, quod omnia Patris filio
patere debeant; cor, brachia, domus,
horrea, cellaria, bursa: cor ad amo-
rem: brachia ad amplexus: domus ad
convictum: horrea & cellaria ad ali-
mentum: Bursa ad omnia necessaria,
& ad promotionem: quæ omnia, cum
in Divo Iosepho respectu Christi affe-
ctuosius quam in ullo alio Patre res-
pectu filii aperta extiterint, consequen-
ter & ex hoc capite merito Christi Pa-
ter appellari debuit.

Aliî tertio & ultimo nomen *Pater* à XVII.
pati profluxisse contendunt ut *Pater*
idem sit quod *patiens*. Neque hoc ad-
huc ineptè, arduum est enim esse Pa-
trem, & magnis curis & molestiis ob-
noxium: hinc Menander Comicus.

Oion to genestai patera paidon in
lopi

Phoslos phrontis peras ouden esti
Patrem esse plurimum habet molestiæ
Metusq; & curæ insinitas.

quas quis ferre posset nisi natura pro-
vida sive Deus Patribus amorem, quo
fieri possent, indidisset?

Divus Iosephus fuit omnibus Patris XVIII.
conditionibus & curis, illique non
exiguis

exiguus obnoxius: magna dum fiebat Pater passus est in tentatione illâ gravissimâ, dum mysterii ignarus (ita disponente Deo, ad ipsius meritum, virtutumque ejus evidentiam & manifestationem) vidit suâ uxoris quam non attigerat uterum intumuisse: Factus Pater, magna pertulit propter filium, dum pro illo timuit, cum illo & propter illum in Ægyptum fugere, ibique pluribus annis exulare debuit, non sine multis iisque magnis incommoditatibus inter gentes teras & barbaras: dum illum amisit in Jerusalem: dum pro illius educatione laboravit & sudavit.

XIX. Quoad alias molestias quas filii parentibus pariunt, quæ muneri Patris merè accidentariæ sunt, illas non sensit ob infinitam filii perfectionem & bonitatem, quin & illæ, quas in supra dictis habuit, non fuerunt ipsi propriæ molestiæ, ob amorem eximium & intensissimum quo in dilectissimum suum ferebantur filium, immò potius in illis pro eo susceptis laboribus delectationem inveniebat maximam, considerans quod illi labores pro Deo essent suscepti; quod tamen nullo modo minuit ipsius meritum, è contra multum auxit, cum præ amoris magnitudine illa non senserit, sub quorum pondere alii Patres gemuissent & obruti defecissent.

XX. Tandem hunc quoque in Divo Josepho rarum, & singularem, ac verè paternum amorem produnt evidenter naturales illius effectus, quos in paucis quæ de eo sacrum refert Evangelium, nihilominus luculenter satis, deprehendimus: curam dico seu sollicitudinem, metum ac dolorem pro ipso: de quibus sigillatim per sequentia capita.

CAPUT XXII.

Cura Divi Josephi pro Christo Domino.

I. **C**URA dupliciter accipitur: primò pro sollicitudine ipsâ & affectu animi. Secundò, pro munere quod ex illa solli-

itudine à curatore exhibetur rei seu personæ curatæ.

Cura primò sic dicta est ex Divo Isidoro, quod cor urat, & sic manifestum est effectum esse intensi amoris: quod enim vehementer amamus hoc curamus, idest studiosè custodimus, protegimus, conservare conamur mala ab eo arcendo, & bona, quæ ei congrua fuerint, procurando.

Hæc tanta fuit in Divo Josepho pro Christo, ut propter illam Divus Cyrillus Hierosolymit. Catechesi 7. Patrem Christi meritò dicendum censeat, sic enim ille ibi: *Sicut Maria Mater IESU dicitur propter generationem; ita Joseph Pater IESU propter curam vel dilectionem vocatus est*, quod intellige juxta dicta cap. præcedenti num. 9. idest quoad nos seu secundum apparentiam, secundum quam prudenter judicamus: Ita quod cura illa in Divo Josepho pro Christo tanta fuerit, ut nullus eâ visâ non judicasset ipsum non esse verè Christi Patrem.

Hanc curam mirè probat illud Matthæi cap. 2. vers. 13. & 14. *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi, futurum est enim ut Herodes querat puerum ad perdendum eum, qui consurgens accepit puerum & Matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum.* Ex hoc enim loco deprehendo Divum Josephum sic Christum curasse, & ita pro illo sollicitum fuisse, ut præ illo nihil cætera curaverit. Videamus.

Querunt Interpretes in hunc locum, an Divus Josephus ipsâ eadem nocte quâ hoc loco ab Angelo monitus dicitur, an aliâ sequenti fugam auspiciatus sit in Ægyptum? Tostatus Episcopus Abulensis in Matthæum cap. 2. quæst. 9. vult aliâ nocte fuisse auspiciatum, puta sequenti, vel tertiâ post istam: Primò quia sciebat se pro longo tempore proficisci in Ægyptum; dixerat enim ei Angelus, *Et esto ibi usque dum dicam tibi*, ac proinde de domo, deq; suppellectili debebat disponere: Secundò, quia per longum iter, & avium ob desertâ, debebat proficisci, atque adeo providere de necessariis ad illud conficiendum quæ inveniri

niri non poterant in loco horroris & vastæ solitudinis. Tertio non videbatur conveniens in salutatis vicinis inopinatio discedere, nè aliquid fortè suspicarentur.

VI. Sed contrarium docent omnes Interpretes ita unanimiter, ut vix ullum reperias, aut saltem paucissimos, qui sentiant cum Abulensi: & meritò quidem, quandoquidem istud à vero aberrare appareat ex ipso textu: Nam rogo te, ut quid moneretur ab Angelo ut surgeret, idest à somno & lecto in quo tunc (ut pater) jacebat, si non erat discessurus nisi sequenti vel alterà nocte deponi? Et quomodo posset esse verum quod consurgens, idest continuo, sed statim finito Angeli alloquio, surgens acceperit puerum, si non accepit illum nisi post unam aut alteram diem interpolatam?

VII. Confirmatur, quia etiam ex hoc festinasse præsumendum est prudenter, quod tunc, quando ab Angelo monitus est ut fugeret, esset nox: cum enim de die fugiens latere non posset, ideo nocte Angelus apparuit, nocteque sibi arripiendam fugam intellexit Divus Josephus, ut oportunitatem fugæ tempus, & pueri periclitantis securitati: cum enim aliquid præcipitur, præcipi etiam illa censentur, quæ cum tali re connexa sunt, & ad illam necessaria: propter quod dictus Abulensis in Matth. cap. 2. quæst. 59. rectè tradit hoc morale documentum notatu dignissimum, quod quando homo aliquid agit in quo periculum verti potest, quantumcumque firmam de Deo spem habeat, de cautelis tamen & securitatibus, quæ humanâ possunt haberi prudentiâ, nullam omittat. Sic fecit Divus Josephus, qui in defendendo, ac custodiendo puero, ab Herodis furore & manibus cruentis, diligentiam & cautelam adhibuit omnem quæ humanitatis adhiberi potuit.

VIII. Dices, textus habet quod *Consurgens accepit puerum & Matrem ejus nocte*, non addendo eadem: cum ergo non determinet illam eandem noctem, cum tamen id facile potuisset, possumus illam liberè interpretari de aliâ nocte. Respondeo negando illatum, quia satis determinatur tempus capta-

tæ fugæ per adjuncta à nobis jam tacta: Dicitur verò fuit quod acceperit puerum & Matrem ejus additâ istâ particulâ *nocte*, quod non videbatur necessarium, non inutiliter, ut scilicet intelligeremus apparitionem istam non contigisse abscedente jam nocte, ut in crepusculo discesserit, (quod poterat putari) sed nocte adhuc profundâ accepisse mandatum fugæ, & ad obediendum non expectasse diluculum, quod certè fuit difficilior, magisque commendat & ipsius obedientiam, & singularem ejus pro puero curam & sollicitudinem.

Nec me movent argumenta Abulensis in contrarium. Nam ad primum respondeo et si habuisset Divus Josephus domum propriam aut suppellectilem, an ab illis potuisset urgente præcepto Dei & periculo pueri detineri spiritu pauperimus, ut videbimus parte sequenti? An non & illorum & omnium totius mundi opum jacturam potius facere elegisset quàm cum infantis vel minimo discrimine fugam & obedientiam protelare?

Ad secundum respondeo, Divus Josephus nitetur aliter quàm cogitaverit Abulensis Providentiæ Divinæ, in quâ certissimè confidebat plusquam ullus unquam mortalium, ac ut ne etiam humanam ipsius excludamus prudentiam contra doctrinam hinc numer. 7. approbatam, poterat priusquam terram aviam & desertam ingrederetur, in ejus confinio necessaria tutius & securius comparare: idque, si pecunia illi aliunde non suppeteret, ex venditione melioris aut præciosioris è mobilibus, quod in eum finem secum asportare potuit cæteris contemptis.

Ad tertium respondeo in re tanti momenti non fuit cunctandum, omisioque istarum salutationum parvipendi debuit, nec curandum quid suspicaturi essent vicini, quidve dicerent, dummodo puer cœlitus commendatus salvus esset.

Roboratur assertum nostrum, primò quia ex Brocardo apud nostrum Sylveiram tomo 1. in Evangel. lib. 2. cap. 7. quæst. 12. à Nazareth usque ad Jerusalem viginti septem computantur

D d

leucæ

leucæ: ab Hierusalem usque ad Hebron octo, faciunt in simul triginta quinque leucas, ab Hebron deinde usque ad Gazam, quæ est in confinio terræ Judæ, adhuc iter unius diætæ: ex quibus concluditur, quod ad conficiendum illud iter cum Virgine delicatâ & pusione quem ipse, ut ait Carthusianus in Matth. cap. 2. *Fortè in propriis ulnis, vel scapulis bajularit.* Necessarii essent plures dies, non est verisimile Divum Josephum hoc attento voluisse discessum procrastinare, & procrastinando puerum in periculum conjicere. Res enim erat nimis magni momenti, & Divo Josepho nimis cordi, vita scilicet & conservatio puericuræ suæ cælitus commissi.

- XIII. Roboratur secundò ex versione Syriacâ textus Matthæi cap. 2. vers. 13. & 14. hîc supra num. 4. adducti, quæ in illo textu verba illa *secessit in Ægyptum.* sic vertit, *fugâq, in Ægyptum contendit,* ubi verbum *contendit* cum significat contentionem, manifestat rem illam, fugam illam cor illius & viscera paterna vehementer urisisse & ussisse ut festinaret, ut potuerit ipsi applicari istud:

Omnis in Ascansio chari stat cura parentis.

- XIV. Confirmatur ultimum, quia hæc sententia magis coheret cum obedientiâ Divi Josephi qui in eo semper fuit promptissima. Quemadmodum igitur Pater fidei Abraham, ipsâ eadem nocte quâ divinum accepit mandatum de immolando filio suo Isaac, tulit illum, & cum illo abiit ad locum quem præceperat ei Deus Genes. cap. 22. vers. 3. & 4. ita Divus Josephus eademmet nocte quâ Angelus ei apparuerat, nullâ factâ morâ, continuo surrexit, omnibusque aliis spreis & nihili perpenis, accepit dilectissimam sibi prolem, & cum illâ ceterendit, id est festinanter perrexit, quò præceperat Angelus. Sic cum pueri cura, sic sollicitudo, sic amor urgebat: fecisset Abraham pro mactando Isaac, & non Divus Josephus pro JESU suo & meo conservando? Quis crederet?

- XV. Ad hujus curæ, & consequenter amoris majorem adhuc evidentiam noster Sylveira ad eadem verba Matr.

cap. 2. vers. 14. *Qui consurgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum.* Notat verbum istud *secessit*, quo usus est Evangelista ad significandum ejus in Ægyptum fugam: Cum enim dixisset ei Angelus, *Surge accipe puerum & Matrem ejus & fuge in Ægyptum.* Quare, ut ejus obedientiam exprimeret, non est usus eodem verbo quo Angelus præcipiendo usus fuerat, dicendo *fugit in Ægyptum?* quare non saltem verbo tendit, profectus est, perrexit, aut alio simili, sed usus est verbo isto *secessit?* *Non littera, non syllaba in Scripturâ divinis sunt vacua mysteriis,* inquit Divus Chrylogus à nobis aliàs adhuc allatus. Quid igitur? audi, & mirare: nimirum Vir ille amabilis & amantissimus ita cum suo pignore exibat è terra Israel, & pergebat in Ægyptum, & non tantum corpore à terra Israel, sed etiam corde & animo (quod significat verbum istud *secessit*) ita, inquam, exibat, ac sinunquam amplius rediturus. Nimirum puer & Mater ejus, in quibus ejus divitiæ ejus thesaurus; secum defererebat. Et deinde quia ubi Rex ibi curia: ubi Papa ibi Roma: à fortiori ubi Deus ibi cælum, ibi totum.

Porrò ex hâc quæstione nascitur secunda, cur scilicet cum fugiendum esset expectavit Dominus ultimum istum articulum, in quo fugiendum erat, ut eum de fugâ incundâ mone-ret? Cur, inquam, non maturius illum præmonuit, ut sic posset de rebus suis commodè disponere, & de comætu pro longo itinere cogitare & providere? Respondeo humana sunt ista quæ non attendit Deus; si hoc fecisset, nec tantum meruisset Divus Josephus, nec ita apparuisset summa ejus paupertas, & rerum terrenarum contemptus, ingens ipsius pro puero cura & amor & virtus gratia. Quare hac subreptione uti voluit Deus, ut ea omnia manifesta faceret ad nostram ædificationem in Divo Josepho: non enim voluit tantum Deus Divum Josephum curam pro Christo habere, quam modò diximus, id est summam, sed etiam voluit eam nobis notam esse, ut ex ea colligeremus summum ejus apud Christum filium suum quem ita

ita curavit & amavit meritum.

XVII. Abrahamo Genes. cap. 12. vers. 1. præcepit Deus ut egrederetur de terrâ & de cognatione suâ, in Hebræo pro *Egredere est lech à lecha*, hoc est *vade tibi*, ac si diceret in tuam utilitatem, in tuam ipsius commodum vade: Et tamen adhuc Deus Patriarchæ mentem divite animat, allicit & firmat promissione, subdēns, *Faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus*. Quantum Divus Josephus superat & excedit hanc suam figuram: non enim sibi sed puero fugere jubetur & matri: nec placidè egredi jubetur, sed fugere metu crudelitatis & persecutionis immanis Herodis; ac fugit noctu in omni itineris asperitate, & tamen non audio illi ullam promitti mercedem, non premiis animari, nullius rei spe relevari: fortior nimirū erat Abraham & ab omni terrenarum rerum affectu desæciator. Quid ei alia promittatur merces? magnæ mercedis loco habet, Christo, ejusque matri fervire, & obsequium, aliquid præstare; tota illius cura, totus ejus amor est Jesus; præter illum nil aliud desiderat, nil aliud quarit, nil aliud curat.

XVIII. Verumtamen quemadmodum ituro in terras exteras Abrahamo multa promittitur soboles, ita peregrinaturō Divo Josepho nulla licet promittatur, multa tamen & copiosa donata est filiorum spiritualium copia: meruit enim ex hoc Pater constitui omnium gentium, non quæ in Ægypto solum, sed etiam quæ in universo mundo quâ latè patet, ad Deum conversæ sunt aut convertuntur, & in omnibus deinceps mundi ætatibus convertentur.

XIX. Sed, inquires, si tanta fuisset illius pro Christo cura & sollicitudo, quomodo ergo illum ita amisit cum esset tantum duodennis? hoc argumentum facit etiam contra Beatam Virginem. Et certè cui non videatur mirum quod Beata Virgo, & Divus Josephus qui tam ardentè illum amasse dicuntur, ejus absentiam ad diem integram itinerantes, quando magis ad eum advertere debebant, ferre potuerint? Respondeo tamen in hoc casu nullam

incuriam aut culpam ex parte Divæ Deiparæ, vel Divi Josephi intervenisse, ut impiè voluerunt impii Lutherus & Calvinus: patet id primò, ex interrogazione Virginis, nomine utriusq; factâ Christo Domino; ait enim illi Virgo, *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes querebamus te*: Si enim culpa illorum amissus fuisset non fuisset Virgo aulâ in ipsum Christum illam refundere dicendo, *quid fecisti nobis sic?* sed ut erant justi & humiles culpam humiliter agnoscentes veniam deprecari fuissent, aut certè in seipsis confusi præ verecundiâ conticuisissent. Patet secundò, ex responsione Christi ad illam interrogacionem, non enim in illos retorquet istam quarimoniam, sed ait: *Quid est quod me querebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* quod quidem non dicit asserendo, sed interrogando, inquit noster Sylveira, post alios in hunc locum: ac si diceret, *Nonne sciebatis quod in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Itaque per hæc verba videtur Christus voluisse Luthero & Calvino occurrere: Cùm enim ipse esset verus Filius Dei, ad negotia Patris sui cœlestis ferebatur totus. Ac proinde nullâ humanâ diligentia impediri poterat quo minus hæc juxta occasiones suo tempore impleret.

XX. Causa ergò quod illis tunc fuerit amissus JESUS non fuit incuria aut negligentia ulla ex parte Virginis aut Divi Josephi, non inobedientia aut dedignatio aliqua ex parte Christi, non casus aliquis ex parte hujus vel illius, vel utriusque, sed Dei consilium: Poterat enim Christus suos præmonere parentes de conceptâ à se voluntate remanendi in Jerusalem, & non ibi manere illis incisi ut fecit, & minimè præmonitis. Hoc tamen voluit & non illud, ut ostenderet, & hoc in exemplum nostrum, se in Patris sui Cœlestis negotiis esse suæ libertatis & auctoritatis, nec in illis ullo modo dependere à parentibus carnis. Ita Venerabilis Beda in hunc locum, & alii.

XXI. Voluit interim in eâ ætate specimen aliquod dare suæ Divinitatis, ne non tunc Deus fuisset putaretur, sed

Ddd 2

postea

postea tantum factus ut voluit Nestorius: Et ut ex hoc magnitudinem modestiæ ejus intelligeremus, quia cum talia posset & ante, & postea, tot tamen annos in silentio ut homo privatus, ignotusque omnibus latere voluit, nihil more vanorum hominum & nimis fervidorum moliens ante tempus.

XXII. Quod verò per integrum diem processerint Maria & Joseph non advertentes ejus absentiam nisi sub vespere, quando divertendum fuit ad hospitia, ex eo contigit primò, quod ad has solemnitates convenientes, & his finitis ad propria remeantes, viri cum viris, foeminaeque cum foeminis per tutas se recte procedere solebant; Pueri autem cum his vel illis. Ita Beda citatus & Tolerus annotat. 70. Secundò, quod Sanctissima Virgo & Divus Josephus filium suum magnâ reverentiâ & submississimè venerantur: unde etsi parvum adhuc ætate viderent, tamen ut verum Deum agnoscebant, ac propterea multa voluntati atque arbitrio ejus relinquebant, seseque illi submittebant. Tandem tertio, quamvis Beata Virgo & D. Josephus ægrè ferrent à Jesu disjungi, ex charitate tamen patiebantur aliquando se eo privati, ut aliâ divinâ ejus presentia fruerentur, quam sciebant non futuram sine fructu, cum mores ejus ex omni parte absoluti atque perfecti, oris ac vultus dignitas, totiusque corporis situs, majestas ac suavitas (quæ omnia divinum quid exhalabant) ad se omnes attraheret, in eosque ipse mille gratias effunderet. Vide nostrum Sylveira tomo 1. in Evangel. lib. 2. cap. 10. quæst. 9. Et hæc de curâ Divi Josephi primo modo sumptâ. Nunc de eadem secundo modo, idest pro munere, & officiis quæ ex illa cura & sollicitudine Christo exhibuit.

XXIII. Jacob cum scalam in somnis vidisset cælum attingentem, vidit quoque Dominum isti scalæ innixum Genes. cap. 28. vers. 13. Itane Deus cui omnia innituntur, innixus ipse hic scalæ perhibetur? Latet hic sine dubio magnum aliquod mysterium, quod pandit egregie in rem & materiam nostram, Abbas Rupertus lib. de Divin. Offic. cap.

18. ubi reddens rationem cur Ecclesia ante primam Missam Natalis Domini legat librum Generationis, sic loquitur. *Ecce verè divini structores ordinis, per hujus seriem lectionis scalam illam nobis representant profundo noctis tempore, quam nocte dormiens Jacob vidit, cui summitate suâ Cælos tangenti Dominus innixus eidem Jacob apparuit, & semini ejus terram hereditariam repromisit, quando pro ejusdem propagatione seminis ibat jussu Patris sui, ut acciperet uxorem de domo & de cognatione Patris & Maris. Nam cum omnia in figurâ contingerent illis, quid scala illa præfiguravit, cui Dominus innixus, ut dictum est, apparuit nisi generationem IESU Christi, quam Evangelista divino ore ita contexit, ut per Joseph ad Christum perveniret: cui videlicet Joseph supremo scalæ gradui Dominus parvulus innixus est. An non illi Beato innixus est, quando pupillus in hoc sæculo, idest absque carnali Patre natus, solatio ejus cum puerperâ Matre sustentari dignatus est? Et, ut cetera taceam, nonne tunc vel maxime illi innixus est, quando ne ab inimicis, Herode, vel ceteris inveniretur, qui quaesituri erant animam eius in Egyptum ab eodem Nutricio suo deportatus est, iterumque, defuncto Herode in terram Iuda relatus est? Eodem modo idem eximius Doctor in Matth. cap. 1. lib. de Gloriâ & honore Filii Hominis, ad illa verba: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est IESUS, qui vocatur Christus, Scala ista, inquit, est Generatio IESU Christi: latura scalam, summi Patres, & Principes sunt hujus Generationis, Abraham, atque David, ad quos promissio facta est. Supremus scalæ gradus cui Dominus innixus est, iste est Beatus Joseph vir Mariae de qua IESUS, qui vocatur Christus, natus est. Quomodo iste Deus & Dominus huic innixus est? utique tanquam Tutori pupillus, quippe qui in hoc mundo sine Patre natus est, ita innixus est huic Beato Joseph, ut esset infantulo iste Pater optimus, ut hujus solatio paterno puer cum Virgine puerperâ sustentaretur.**

Sub Josephi umbrâ, curâ, & patrocinio Christum futurum innuisse Angelum, dum ei in somnis apparens, dixit: *Joseph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, quod enim*

enim in eâ natum est, de Spiritu Sancto est: *Pariet autem filium & vocabis nomen eius IESVM.* Matthæi cap. 1. vers. 20. Sententia est Oris Aurei Divi Chrysostomi homil. 4. in Matth. ubi versans illa ultima verba, *Pariet autem Filium & vocabis nomen eius IESVM:* ait. *Negue enim quia de Spiritu Sancto est, idcirco te à ministerio tantæ existimes dispensationis extraneum; nam etsi nihil habeas in hac Generatione commune: (Virgo quippe permansit intacta,) tamen quod proprium Patris, quod nihil infuscat Virginis dignitatem hoc tibi facile concedo.* Est etiam Divi Thomæ Aquinatis in Catena ad eundem locum, ubi sic ille conformiter ad Glossam. *Quia, inquit, posset Ioseph dicere, ita, concepit ipsa de Spiritu Sancto, & pariet Filium: Quid ergo ad me? in nullo sum ei necessarius: ideo subdit ipsius Iosephi obsequium, vocabis nomen eius IESVM. Ostenditq; quod quamvis non fuerit necessarius conceptui, tamen utilis est procuratori, quia ipsa pariet filium, & tunc Matri & Filio erit necessarius: Matri, ut ab infamia defendat: Filio ut eum enutriet.* Hæc Divus Thomas.

XXV. Et optime quidem Angelicus Doctor: etenim in asserti ipsius corroborationem nullibi in Evangelio legimus Angelum præscripsisse Divo Iosepho ea quæ circa Christum præstare debebat, nisi solum cum fugiendum fuit in Ægyptum, aut inde redeundum in terram Israel, aut recedendum à terrâ Judæ, & secedendum in partes Galileæ quando Angelum pro his ei apparuisse invenio, eaque illi in particulari denunciâsse, quia nimirum ad illa ejus providentia propria se extendere non poterat: sed quoad alia omnia, nihil ei in particulari ab Angelo circa puerum injunctum aut demandatum legimus: & tamen ab illo tempore quo ei, ut supra, apparuit Angelus, & ut præfatum est, dixit *Ioseph fili David noli timere accipere Mariam coniugem tuam, &c. pariet autem filium & vocabis nomen eius IESVM,* omnia circa Christum gessit ac si ejus Pater carnalis fuisset: Intellexit ergo ex istis verbis se Christi Patrem esse, sibi omnia Patris munia esse imposita, omnia se ei debere Patris officia, & ex

alterâ parte vidit Angelus amorem illi ex tunc divinitus infusum, cum inclinatum ut omnia illi præstaret, & longè majora, quam ipse multis verbis præscribere potuisset. Bene ergo in verbis allatis dicitur Ioseph filius David. *Invenit siquidem, inquit Divus Gregorius Nazianzenus Orat. 1. Dominus Davidis cum filium verum, virum secundum cor suum, cui non Israelis imperium, sed Cælorum regnum, Dei Matrem committeret & filium.* Hinc Origenes in hæc verba, *Egressus David in prælium ne extingueretur Israel.* Ex lib. 1. Reg. cap. 1. vers. 17. introducit Angelum, filium Dei Sancti Iosephi curæ & custodiæ committentem, hisce verbis ei loquentem, *Ministra, serva, custodi, ser, cura, intende, & huic qui nascitur, & huic que generat.*

Ex hæc curâ Matri gravida omni affectu & sollicitudine servivit, ut prolem in ipsâ servaret, & ex eâ in Bethleem ad censum profectus, cum jam natum secum in libris publicis describi curavit, ut ei jura civis Romani acquireret, licet non iis indigeret: ex eâ mox in lucem editum suscepit, ejusque membra gelida in sinu & gremio, ut melius potuit, fovit: ex eâ ipsum circumcidit, adhibita omni circumspeditione possibili eique nomen imposuit ut filium esse Abrahæ constaret: ex eâ eum in Templum juxta Dei legem induxit & pro eo par turturum aut duos pullos columbæ um obtulit: ex eâ in Ægyptum illum, seu in brachiis, seu in scapulis bajulans, ut vult Dionysius Carthus. deportavit, & gladio Herodis infanticidæ eripuit: ex eâ eum ex Ægypto in terram Israël revexit: ex eâ reversus, cum eo in terram Juda timuit ire, quod audisset in eâ Archelaum pro Herode Patre suo regnare, & secessit in partes Galileæ. Ex eâ quorannis illum secum ad solemnitates in Jerusalem duxit, & in unâ illarum, cum duodennis esset, perditum cum dolore requisivit: ex eâ denique eum ab utero matris per totos triginta annos, quoad usque ipsius ope non amplius egeret, nutritiv ex laboribus manuum suarum & sudore vultus sui, quo quid sublimius? quid eminentius?

XXVII. Dei etenim est creaturas alere & pascere psalm. 144. vers. 16. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escas illorum in tempore opportuno: Aperis tu manum tuam, & imple omne animal benedictione:* in hunc verò hominem Divum Iosephum ille ipse oculos suos figit, ab eo alimentum expectat, & hic ei ministrat. Sed quomodo? non ex iis quibus abundabat, sicut abundant divites huius sæculi, qui tamen etiam ex his pauperibus pro Christo erogantes copiosè remunerantur: sed ex his quæ labore & sudoribus suis quotidianis comparare potuit: hinc pondera quantum Divi Iosephi nostri meritum? quantum ei Christus debitor, si ita loqui fas est, qui dignatione, permissione, promissione, &c. se suarum creaturarum debitorem constituere non dedignatus est? quantum nos ei debitores? Cùm enim ex sudoribus illius quotidianis Christus sit alitus, & augmentatus, profectò quando Christus Sanguinem pro nobis in Passione & Cruce fundebat, sudores aliquo modo D. Iosephi fundebat ex quibus iste sanguis coagmentatus fuerat. O felicissimi sudores tui magne Pater Patris mundi totius, qui ita ad universorum hominum Redemptionem concurrerunt!

XXVIII. Huic conceptui magnum conciliatur lumen ex iis quæ hic supra n. 24. & 25. diximus ex Sententiâ D. Thomæ Aquinatis, quod scilicet quando D. Iosepho dixit Angelus fructum ventris Mariæ conjugis (pro quoangebatur) non esse de adulterio, sed de Spiritu sancto, & ut filium quem paritura erat vocaret Jesum, ex his, & ex tunc intellexit eundem quoque esse filium suum & sub suâ curâ constitutum: nam cum eodem tempore quo hoc illi indicatum est, simul etiam sit ei indicatum ipsum esse Salvatorem mundi, qui salvaturus erat populum suum à peccatis eorum, quis dubitet quod quando Christo alimentum præbebat aliaque exhibebat, id fecerit ex magno cordis affectu, nec tantùm attendens quod suus erat filius sibi cœlitus datus, sed etiam illos qui per ipsum erant accepturi hereditatem salutis, per ipsum operanda?

XXIX. Itaque D. Iosephus ei cui cum Pro-

phetâ Regio ex progenitoribus suis cantabat, *spes mea Deus ab uberibus Matris meæ in te proiectus sum ex utero, de ventre Matris meæ Deus meus es tu, ne desesseris à me.* Vices reddere meruit, cum in suam curâ ab utero matris susceperit, ei inde ut dicam Deus fuit: cum suo auxilio, ex summâ dignatione indigere volentem, quoad vixit iuvit, curavit, defendit.

Fuit in hoc D. Iosephus optimè præfiguratus per sui nominis gerulum antiquum Patriarcham Ioseph, qui cum esset filius Jacob, alio nomine dicti Israël per naturam, factus est ipse eiusdem Patris sui Pater per officium, ministrando scilicet ei cibum & alimentum tempore famis: inde est quod Genes. c. 49. dicitur *Pastor Israël*, idest Iacob Patris sui, qui ut diximus alio nomine dictus est Israël.

Sed valde observandum Iosephum illum antiquum loco citato, non tantùm dici *Pastorem Israël*, sed etiam lapidem: inde, inquit, Scriptura loco citato Gen. *Egressus est lapis & Pastor Israël*: non solum quia fuit lapis angularis, qui duas in se numerosissimas copulavit Israelitarum tribus, tribum dico Ephraim, & tribum Manasse; sed etiam quia in Hebræo vox *Even*, pro quâ latinè ponitur *lapis*, componitur ex *Au* quod significat *Patrem*, & ex *Ben* quod significat *Filium*: ut proinde secundum hoc Iosephus ille antiquus (figura nostris) fuerit Pater & filius Iacob, filius naturâ, Pater officio: filius, quia ab eo genitus: Pater, quia cum ipse aluit. Ita D. Iosephus est simul Pater & filius filii sui: filius, quia ab eo esse accepit: Pater, quia ei alimentum reddidit.

Divus Hieronymus epist. ad Sanctum Damasum Papam pulchrè observat has duas voces Hebræas *Reghim* & *Reghim*, quarum una significat nutritium, alia amantem, uno tantùm puncto differre, ut inde discamus nutritionem in nutrito, affectum & amorem in nutriente supponere: & quemadmodum in nutriente amor est causa nutritionis active, ita in nutrito amor esse debet effectus nutritionis passive: unde ergo qualis in Christo fuerit amor erga Divum Iosephum nutritium?

CAPUT XXIII.

Metus D. Iosephi pro Christo Domino.

I. **M**ETUS inquit Cicero 4. Tusculan. est opinio independentis mali, quod intolerabile esse existimatur: Medius est inter curam & sollicitudinem, de qua cap. precedenti; & dolorem seu molestiam, de qua sequenti: Cura quippe versatur circa malum possibile seu remotum ut illud preveniat, omnesque illi vias & rimas precludat: Metus circa impendens & proximum, ut illud expugnet: Dolor vero sub presentaneo gemit.

II. Est metus, ut cura, & sollicitudo, affectus & passio amoris, illiusque effectus genuinus: hinc illud Poëta.

Res est solliciti plena timoris amor.

Quare ex metu Divi Iosephi pro puero optimè probatur ejus pro eodem amor, qui in eo etiam talis exitit, ut quamvis non aliundè probaretur Christi Pater, fuisse tamen vel ex eo solum satis liquidò constaret.

III. Et verò quis exprimat quis ille & quantus fuerit, qui illum corripuit metus, quando ex ore Angeli audivit Herodem omnium hominum truculentissimum vitæ pueri insidiari? Quantum Deus immortalis! ab illo metu urgebatur? quantum premebatur? Hinc nihil cunctari potuit ut fugeret, ne si fortè vel minimum tardaret, periculum infans incurreret: Hinc in itinere longo diversoria publica fugiens ad tuguriola divertebat; à viis publicis & regis ad semitas & avia declinabat, ne fortè visus & agnitus, insequentibus fortè fortunâ tyranni satellitibus ab hospite vel obviis proderetur: hinc viâ terrestri, non maritimâ, quæ facilius erat, incedere elegit, tum ne in portu cum puero & Matre navem opperiri cogeretur quando solveret, tum etiam quia vidit maris navigationem etiam robustis plerumque nocivam, à fortiori, tenero infanti & Matri delicatè futuram

nimis periculosam. Sed ô quanta toto illo itinere quoad usque in Regionem Ægypti pervenisset, & extra periculum puer positus esset, & extra periclitatio! Non solum in arbore movebatur, non minimum etiam feræ fortè curlantis strepitum obaudiebat, quin trepidaret, veritus ne fortè miles Herodis esset qui insequendo instaret: Ergo jure optimo potuit Divus Iosephus sibi usurpare istud Solis ad Phæontem filium suum ex Clymene, Oceani & Thyos filia, procreatum apud Ovidium lib. 2. Metamorph. non longè ab initio.

Pignora certa petis? do pignora certa timendo,

Et patrio Pater esse metu probor, aspice vultus

Ecce meos.....

Quam tamen mentis angustiam, ut ita loquar, pro tunc in eo Deus permisit, tum ut mereretur, tum ut disceremus apud Deum honorem non esse sine onere, tum etiam ut ipse Divus Iosephus factus Christi Pater disceret quod Deus eadè munera sua vendat.

IV. Secundò, cum redeundum fuit ex Ægypto, & repetenda postliminio Patria, cum jam omnia tuta videbantur, ecce iterum novus timor: Rem accipe ex Matthæi cap. 2. Defuncto impio & truculento Herode internâ febrî, dissenterîâ, voracitate, intestinorum exulceratione, podagrâ, ventriculi inflammatione, verendorum putredine, foetidissimâ tentigine, tremore, nervorum contractione, asthma, intolerabili denique totius corporis fetore, ut refert Iosephus lib. 17. Antiquit. Jud. cap. 9. & alii. Ecce, inquit Matthæus citatus, *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge accipe Puerum & Matrem ejus & vade in terram Israel, de sancti sunt enim qui querebant animam Pueri.*

V. Surgit igitur Divus Iosephus Cœlestibus obtemperans monitis, Puerum & Matrem magna cum devotione accepit, ut in terram Israel redeat post annos exilij. Sed cum terra Israel multa & varia loca completeretur, nec ullum in particulari, ad quem redire deberet, designasset Angelus,

per

per illam terram Israel, Judæam intellexit, quæ erat prima & potior pars terræ Israel, tum quia ibi sedes Regni, tum quia in ea erat Templum quod puero uti Messia, deinceps necessarium futurum putabat. Quare in Judæam reverti cogitavit, ita Divus Augustinus lib. 2. de Consens. Evangelist. cap. 9. & ex eo Glossa. *Quia, inquit, non distinxerat Angelus, Joseph intellexit Judæam, que dignior est pars Regni. Putavit enim tali puero non nisi Ierosolymis habitandum, sed cum audisset exiens in confinio illius, Archelaum ibi regnare pro Herode Patre suo, timuit illo ire.*

V I. Videns ergo Divus Josephus periculum imminens, eo quod ibi, quod tendebat, regnaret Archelaus filius Herodis persecutoris, mali corvi malum ovum cœpit esse perplexus & cogitare an hanc partem terræ Israel intellexisset Angelus, an aliam Regni partem, ibique hæsit divinum petens & expectans consilium: Et hoc nonne est timere? & prudentissimè quidem.

V I I. Sed, inquires, nunquid Divus Josephus Vir Justus esse potuit (quod tamen asserit Evangelium) qui de eo quod ei per Angelum fuerat divinitus imperatum timuit vel dubitavit? Angelus ei à Deo præceperat ut rediret in terram Israel: ergo illius reditus ibi securus futurus erat. Secundò, dixerat *defuncti sunt enim qui querebant animam Pueri*: ubi ergò timoris fundamentum? Sed certissimum est quod in Divo Josepho hic timor non vituperio sed laudi sit vertendus, nec fuisse incredulitatem peccaminosam, sed dubitationem prudentissimam: nõ enim dixerat Angelus ut iret in Judæam, nec etiam illam per terram Israel intellexerat: non ergo fuit dubitatio de Angeli fide aut veritate, sed de intelligentiâ suâ: & prudenter quidem, nam magnæ prudentiæ est in rebus magnis non propriæ fidei sententiæ ac iudicio, sed Deum per orationem consulere: & bene dubitasse constat, quandoquidem ab Angelo monitus sit quod de facto non esset sibi in Judæam proficiscendum, sed in Galilæam, quia sine dubio futurum erat,

ut ibi non esset securus puer, ut ipse prudentissimè timuerat. Porrò cum eundem esset in Galilæam, & non in Judæam, potuissetque Angelus eâ super re primâ vice Dei mentem Divo Josepho aperire, & non expectare ipsius dubium & anxietatem novam, non fecit tamen, ut daret locum prudentiæ & providentiæ Divi Josephi, magisque nobis innotesceret ipsius pro puero sollicitudo, timor, & amor.

Sed quæres primò: quare Joseph timuerit ire in Judæam propter Archelaum, quia ibi regnabat pro Herode Patre suo, & non timuit ire in Galilæam propter Herodem Antipam ejusdem Archelai fratrem, & dicti Herodis Ascalonitæ infanticidæ filium, cum etiam hic Herodes Antipas regnaret pro Herode Patre suo in Galilæâ. Respondeo, Quæstio hæc non bene proponitur: Nam Divus Josephus non debuit post monitionem Angelicam timere in Galilæam ire? si enim tunc timuisset, infidelis fuisset: sed quæstio hæc ad hoc est reducenda. Cur in Galilæâ securus futurum erat pro puero quam in Iudæâ; cum utrimque filii Herodis Ascalonitæ infanticidæ regnarent pro Patre suo, Archelaus in Iudæâ, Herodes Antipas in Galilæâ? Respondeo itaque ad hoc. Primò, quia Archelaus erat ambitiosior & sævior Herode Antipâ, quod colligitur ex eo quod fuerit Archelaus à Patre totius Regni successor constitutus, non Herodes Antipas, qui si Tetrarchiam Galilææ obtinuit, non illam obtinuit de Patris voluntate, sed de Romani Senatus & Imperatoris concessione. Secundò, quia Archelaus fuit ob sævitiam ab Augusto Cæsare in exilium pulsus. Denique quia infanticidium Herodis Ascalonitæ non contigerat nisi in Iudæâ, idque in Bethleem & finibus ejus tantum. Quare Archelaus facile intellexisset Christum noviter advenam in Iudæâ infanticidium evasisse ex ejus astate, ideoque eum ad necem revocasset, quod non fuit timendum in Galilæâ, ubi regnabat Herodes Antipas ex quo nihil ibi tale contigerat, & Nazarethanus ab omnibus habebatur.

Quæres

IX. Quæres secundò, si D. Iosephus rediens ex Ægypto, cum audisset Archelaum regnare in Judeâ pro Herode Patre suo timuit illò ire, quomodo ergo quotannis à reditu potuit illuc proficisci cum Puerò ad templum in tribus anni solemnitatibus majoribus, maximè verò Paschali, eodem Archelao ibidem regnante & regni sedem tenente? Respondet dupliciter ad hanc quæstionem Divus Augustinus lib. 2. de Consenf. Evangelist. cap. 10. Primò, negando quod parentes Christi venerint in Jerusalem ad festivitatem cum Puerò, nisi post Archelaum à Romanis in Galliam relegatum: sed pace tanti Doctoris hæc solutio non videtur mihi satis firma. Primò, quia ex Iosepho lib. 17. antiquit. cap. 15. Archelaus regnavit in Iudeâ decem annis post mortem Patris sui Herodis, postquam tamen statim monitus est Divus Iosephus ut acciperet puerum, & ut rediret cum eo in terram Israel: & sic Archelaus non fuit à regno ejectus nisi circa decimum septimum Christi: at saltem constat ex Evangelio Christum anno ætatis suæ duodecimo Ierosolymam ascendisse cum parentibus suis, Luc. c. 2. vers. 42. Secundò, quia mihi certum videtur parentes Christi venisse ad festivitatem in Ierusalem, non tantum cum esset factus Iesus annorum duodecim, sed singulis annis à reditu ex Ægypto, nec in solemnitate Paschali solum, sed etiam in omnibus aliis: nam si ex omni mundi Parte confluebant Iudæi ad solemnitatem Pentecostes, Actor c. 2. v. 9. etiam qui extra terram Israel degebant, ad quod tamen non tenebantur, ut latè probat Abulensis in Matth. cap. 1. quæst. 30. & cap. 2. quæst. 75. quomodo Beatissima Virgo & Divus Iosephus qui omnibus erant sanctiores, & Religiosiores, & habitabant in loco non ita distito ab Ierusalem, non ipsi ascendissent? & hoc non sine puero, quomodo enim illum solum reliquissent? Quod verò Evangelium tantum fecerit mentionem ascensus in anno Christi duodecimo, & non aliorum præcedentium, id inde provenit, quod in hoc anno contigit factum memorabile, quod non debebat præteriri in

historiâ Christi: nimirum quod remanserit in Ierusalem: ubi in Templo repertus, sedens inter Doctores, audiens illos, & interrogans eos.

Quare hæc Responsione dimissâ accipe secundam ejusdem Augustissimi Doctoris & optimam, quod scilicet cum ex omnibus partibus terræ Israel immò ex omnibus mundi plagis, ut constat ex Act. cap. 2. vers. 9. & seqq. concurrerent Iudæi in Ierusalem in tribus istis solennitatibus, potuit in omnibus D. Iosephus cum puero tulè venire, cum in tam confertâ & confusâ multitudine non potuisset facile distingui ab aliis, & facilè esset mox reversuris inter tot latère, ubi tamen meritò debuisset timere facere habitationem continuam.

Quare Divus Iosephus ut erat justus & timoratus, esto Archelaus Regni Herodianæ, & Paternæ hæres crudelitatis, ibi regnaret, non habuit quod timeret in istis solennitatibus cum aliis in Ierusalem ad templum convenire, ipsa accipe tanti verba Doctoris. *Fieri poterat, inquit Sanctus Doctor, ut per diem festum inter tam ingentem turbam latenter ascenderent mox reversuri: ubi tamen aliis diebus habitare metuerint, ut nec solennitate prætermisâ essent irreligiosi nec continua mansione conspicui: Ita timebant parentes pueri habitationem in Ierusalem, ut tamen propter Dei timorem, festivitatem solemnem non prætermitterent, in quâ latère facillimè possent.*

Quæres tertio, ex dictis constat X III. quod Divus Iosephus revertens ex Ægypto, propter timorem Archelai filii Herodis Aſcalonitæ infanticidæ, cuius ille vestigiis inhærebat à Iudæâ, quò tendebat, divertit in Galileam, quod que fuerit tutus in Nazareth. Quare ergo non potuisset ibidem similiter esse tutus tempore Herodis? Crescit dubium ex hoc, quod Herodes non misit interfici nisi infantes qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, ergo nullum erat pro puero periculum in Nazareth (quæ non erat in finibus Bethleem, imò extra fines totius Judeæ, utpote in Galileâ) ut esset illi fugiendum in Ægyptum, ad effugiendum Herodianum furorem. Confirmatur, quia Deus à quo revelatio proficisceretur

E e e

ficisceretur

ficiscebatur, & mandatum fugiendi, sciebat quo in loco futura erat Sanctorum cædes innocentium, ac consequenter non futuram in Nazareth, ubi domicilium erat illorum, quandoquidem de facto ibi minimè fuerit persecutio, nec se extenderit ultra fines Appendicum Oppidi Bethleem.

XIII. Respondet P. Suarez in 3. part. Divi Thomæ quæst. 36. art. 4. disp. 17. sect. 1. licet divina providentia potuerit eum in Nazareth custodire, ut non fuisset necesse exulare, si tamen humanam spectemus providentiam, non poterat ibi existimari satis tutus, quia cum Herodes ille esset Rex utriusque Provinciae, facile poterat inquirere & persecrari, donec intelligeret mulierem quandam peregrinam & advenam, peperisse in Bethleem in stabulo ad quod adventorant Magi cum dromedariis & Comitatu, ac postea discessisse. Atque adeò ulterius progrediendo in inquisitione suâ salvatorem in suo Regno invenire, præsertim cum (ut notat D. Hieronymus ad illud Matthæi cap. 2. *Mortui sunt enim qui quærebant animam pueri*) non solum Herodes, sed etiam alii, ut Regi assentarentur, pueri quoque necem procurarent.

XIV. Nec refert quod Deus præciverit Herodem non extensurum persecutionem suam, usque in Nazareth: tum quia noluit negotium hoc gubernari juxta præscientiam istam, sed juxta periculi gravitatem, & rerum humanarum consuetum cursum, & juxta quòd in tali occasione humano modo vitari conveniebat: tum etiam quia licet tantum constet interfectos fuisse pueros in Bethleem & in omnibus finibus ejus, non tamen indè sequitur non adhibuisse Herodem omnem diligentiam aliam in toto Regno suo, si fortasse alicubi vestigium aliquod novi Regis nati deprehendere posset: unde cum satis notum esset Christum natum in Bethleem, fuissetque nativitas Christi reddita valde publica & perspicua, per adventum solemnem Magorum, & per ea quæ publicè erant gesta in ejus Præsentatione à Simeone Senec & Annâ Prophetisâ, si indè in Nazareth reversi Joseph & Maria cum Puerò durante

Herodis persecutione ibi manere perseverassent, imò non omninò è toto Regno abcessissent, facile potuissent perquirendo, ad illos pervenire, ac sic puer periclitari: Post reditum autem ex Ægypto, quando non putabatur puer potuisse evasisse, sed in communi cæde extinctus: mortuo Herode, totque annis ab inde elapsis cessavit ejusmodi periculum, & maxime diviso regimine in duos non inter se consentientes.

Bis itaque Divus Josephus ex hoc amoris metu Christum liberavit à morte, vitamque tam præciosam nobis servavit. Primò, dum eum ab internecione quæ ab Herode exercita est substraxit. Secundò, etiam dum illum ab Archelai ejusdem Herodis filii, & morum hæredis, furore subduxit. Est enim hic non cogitaret de Christo occidendo, quem credebatur jam in communi infantium nece involutum, certò tamen erat cogitaturus, & mortem illaturus, si in Jerusalem, quò tendebat, rediens ex Ægypto Joseph cum Matre & Puerò perrexisset. Dico certò, quare enim Divus Josephus timens ire in Jerusalem ubi regnabat Archelaus pro Patre suo, ab Angelo fuisset monitus nè illò iret, sed secederet in Galilæam, si non ille benè timuisset? Quin etiam dico D. Josepho datum esse divinitus hoc timere, quia futurum erat pro certo quod Archelaus in mortem pueri machinatus fuisset, nisi secedendo fuisset ei subtractus.

Hinc collige quàm Christus, quàm nos Divo Josepho ex hoc simus debitorum. Nam præterquam quod Deus non cuicumque Christi actioni, aut qualicumque ejus morti salutem nostram affixerat, sed morti ignominiosissimæ & crudelissimæ Crucis, ad quam eum servavit Divus Joseph: Vita Christi non minùs fuit nobis necessaria quàm ejus mors: Quid enim mori profuisset, si exemplis & doctrinâ ejus caruissemus? Cum ergò Christo vitam Divus Josephus istam servaverit, ipsi debemus quod exempla Christi, quod ejus doctrinam, legem, Evangelium, habemus: quod phantasmate (qualem voluerunt Hæretici) reputari non possit: Denique quod

quod in Cruce, à quâ salus nostra pende-
debat, mortuus sit: & quantum Chri-
stus salutem nostram strivit, tantum
Divo Josepho se debitorem sensit, qui
vitam istam sibi servavit, à quâ exem-
pla, probationes & argumenta Divi-
nitatis, & veræ Humanitatis, doctri-
na, Evangelium, Mors Crucis, salus
nostra pendeat.

CAPUT XXIV.

*Dolor Divi Josephi pro Christo
Domino.*

- I. **H**unc Divi Josephi pro Chri-
sto Domino dolorem se pro-
dentem video in duobus
Evangelii locis. Primò Mat-
thæi cap. 1. vers. 21. in his verbis.
*Vocabis nomen eius IESVM, ipse enim
salvum faciet populum à peccatis eorum.*
Secundò in his Luc. cap. 2. vers. 48.
*Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus
& ego dolentes quærebamus te*
- II. Pro primi loci ex Evangelistâ Mat-
thæo intelligentiâ, huc revocanda
quæ diximus supra hoc Tract. cap. 20.
Section. 2. num. 65. quod scilicet si-
mul ac Deus Divo Josepho per hæc
verba tribuit potestatem imponendi
puero nomen **JESUS**, dedit quoque
illi ut conciperet, & omnino pene-
traret vim aut energiam istius Divini
Nominis, ut dum illud ei interpre-
tans dixit: *ipse enim salvum faciet
populum suum à peccatis eorum.* In hoc
nullam credo posse formari difficul-
tatem.
- III. Intellexit ergò primò melius quàm
ullus mortalium post Deiparam Con-
jugem suam, hunc Puerum esse populi
Salvatorem non quales Josuè, Ge-
deon, David, & alii ante ipsum, sed
singularem, utpote qui salvaturus erat
populum suum, non ab hostibus cor-
poralibus solum, ut illi, sed à *peccatis
eorum*, quod non est hominis, sed Dei:
Quis enim à peccatis salvare, seu ut
dicit Marcus cap. 2. vers. 7. *Peccata di-
mittere potest nisi solus Deus?*
- IV. Intellexit secundò modum quo iste
fuit **JESUS** istam erat perfecturus
eximiam salutem, scilicet per Mortem

& Sanguinem suum, ut omnes Scrip-
tura testantur, & præfigurabant om-
nia Legis antiquæ sacrificia quæ ma-
ctabantur: & certè absque hoc ut quid
factus esset Deus Homo? Quare dein-
ceps istum filium suum sibi cœlitus da-
tum & natum non aliter aspiciebat
Divus Josephus, quàm ut innocentem
totius universi victimam pro commu-
ni omnium salute in arâ Crucis tem-
pore præfinito immolandam: nec ullo
modo dubitandum omnem cruentæ
ac acerbissimæ istius Mortis & Passio-
nis seriem ipsi fuisse tunc manifestatâ.
Quoties ergo hæc cogitatio ejus men-
tem subibat, quàm frequenter, autem
subibat? O quantum compassionis do-
lor ipsius animam ejus amore flagran-
tissimam transverberabat: si enim illa
in aliis, Sancto Francisco Seraphico,
Sanctâ Brigittâ, Sanctâ Catharinâ
Senensi, Sanctâ Mariâ Magdalena de
Pazzi Ordinis nostri, & aliis, eam
fecit impressionem, quam in eorum
Actis legimus; quantum amabo in ejus
animâ fecit, quæ cum ad eum ejus amore
flagraret, toties eam sibi habuit præ-
sentissimam, & illius subjectum conti-
nuò præ oculis suis?

Ergo licet is qui juxta justî prophe-
tiam Simeonis animam Virginis per-
transiit doloris gladius eum non trans-
fixerit, quia non fuit præfens actuali
Christi morti, ut illa, utpotè ante
mortuus: illi tamen ex ista morte
suis non defuit dolor, nec ille modi-
cus. Angelus enim ei, ut Simeon
Virgini eum morte crudelissimâ mo-
riturum significaverat, ut proinde Di-
vum Josephum hic dolor totâ vitâ suâ
tenuerit sicut Virginem suam. O Pater
JESU Sanctissime, Martyrum Illu-
strissime, quem ipsemet Christi do-
lores ut & tuam Sacratissimam Con-
jugem pupugerunt, & Martyrem
effecerunt. Reliqui Martyres corpo-
re passi sunt, & corpore quod odio
protequebantur, ideoque de eo non
multum curabant: Sed tu ô Sanctis-
sime Pater! cum Dilectissimâ tuâ
Conjuge in Christo summè dilecto
passus es, & in animâ transverberatâ
dolore.

Secundò, hic dolor Divi Josephi
pro Christo patuit cum factus esset
Ecc 2 hic

hic annorum duodecim, quando ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus ut redirent, puer **JESUS** illis insciis remansit in Ierusalem: hunc dolorem manifestat amoroſa illa querela Virginis, quam Puer inter Doctores post triduum reperito gaudium ineffabile succedens amori & dolori ineffabili, expressit Lucae cap. 2. vers. 48. his verbis: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes querebamus te.*

VII. In quibus verbis attende primò dolorem communem utriusque Virginis & Divi Josephi in hac occasione: Nam verba ista profert amantissima Virgo non tantum nomine suo, sed etiam prædilecti Sponsi sui Divi Josephi, ut patet, & verba sunt non increpantis, sed conquarentis, & affectum utriusque summum aperientis. Deinde non dixit Deipara *Fili mi*, tametsi hoc majorem affectus sui teneritudinem expressisset, sed dixit tantum *Fili*: Non enim loquebatur pro se tantum in particulari, sed pro se & pro Viro suo, qui & ipse, ut illa, de ejus amissione doluerat: quare ut suum, ita & Sponsi pro puero amorem & affectum hoc verbo exprimere voluit, simul & omnibuse esse manifestum, quod **JESUM** non suum tantum filium, sed & Divi Josephi Sponsi sui existimabat, unde & mox ad majorem expressionem subdidit: *Ecce Pater tuus & ego dolentes querebamus te.*

VIII. Adverte etiam non dixisse *quid fecisti Patri tuo & mihi sic?* sed *quid fecisti nobis sic?* Quamvis enim hoc idem significet quod illud, tamen hoc aliquid habet quod non illud: Nam per hoc, *quid fecisti nobis sic?* patificat sibi Beata Virgo Josephum in passione & sensu ob Christum amissum, quod non ita fecisset, si dixisset *quid fecisti Patri tuo & mihi sic?* Et ratio est quia ille terminus *nobis* in precedenti propositione est communis, & ideo significat communionem cum aliqua paritate, non ita illi termini *Patri tuo & mihi* in posteriori, qui cum importent discretionem, possunt esse cum quacumque diversitate.

IX. Ait ergo Beatissima Virgo suo &

Divi Josephi nomine, *Fili quid fecisti nobis sic?* non rogat cur id fecerit? id est cur manserit? vel cur cum Doctoribus de lege disputaverit? hoc enim jure suo facere poterat: in actionibus enim Theandricis ab illis non dependebat, hocque illi probè sciebant, sed *quid fecisti nobis sic?* id est ut nobis insciis remanens, causa doloris hujus nobis fieres? Est ergo sensus: Scio fili, scio te justà de causâ à nobis ad tempus recessisse: sed cur quæso nos hujus rei conscios esse nolueris? tantorum nos secretorum participes hæcenus effecti, quid ergo in nobis est quod nos hoc latere, & tanti doloris causam nobis dare volueris? An eâ in te nostram in te dilectionem, nostrum volueris probare affectum? sed nunquid nostri quanti te faciamus? quanto te prosequamur amore? nec dubito etiam de tuo in nos amore, quid ergo hoc est quod nos ita experiri volueris? *Quid fecisti nobis sic?* Hunc sensum innuunt illæ duæ particulae *nobis & sic*. Et ita quidem Deum plerumque probare suos, notum est ex sacris Scripturis, ut amplius eorum amor & dilectio firmeretur. & elucescat: Vide nostrum Beauzamis tomo 1. in Evangelia ad hunc locum.

Secundò, ex iisdem etiam verbis magnitudinem hujus colligo doloris, consequenter amoris: Tantus fuit ut quomodo illum exprimeret non invenit aut Beata Virgo, aut sacer Evangelista: Quod subtiliter suo more nositer Sylveira tomo 1. in Evangel. lib. 2. cap. 10. quæst. 20. ad eadem verba eruit ex his verbis *Fili quid fecisti nobis sic?* His verbis, inquit ille eximius Interpretes, Beatissima Virgo ingentem expressit fuisse dolorem, quo cor utriusque transfixum est, quando filium suum deesse cognoverunt: hoc enim indicat illud adverbium *sic*, quod eandem hinc habet vim & energiam quam Joannis cap. 3. vers. 16. ubi eodem utitur sacer Evangelista ad innuendam illam, quam explicare non potest, divini erga nos amoris magnitudinem, & per quem nobis tradidit filium suum unigenitum. Sic, inquit, Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum nobis daret: ubi Evangelista dicit

dicit quod Deus dilexerit mundum sic, non dicit quomodo, quia non potest: Similiter hic dicit *Fili quid fecisti nobis sic?* quid? dicere non potest, vis doloris omnem superat eloquentiam.

XI. Didacus Stella Minorita Nobilis Lucae Interpres versans etiam hunc locum expendit in illo verbo *Fili* rationem grandem & prope divinam, quâ Beata Deipara suum Sponsique sui maximum expressit dolorem: Hanc autem sic ille explicat. Quando Christus orabat in horto, cum esset tristis anima ejus usque ad mortem, usus est istâ voce *Pater*: dicens, *Pater si possibile est transcat à me calix iste*, in quo verbo inquit Didacus Stella, latebat divina quædam quærela: ac si diceret, Tu ô Pater! meus Pater cum sis, & ego filius tuus, quomodo permittis me tantum & tam amarum bibere Calicem? Eodem modo & nunc Beatissima Virgo utitur nomine *Fili*, *Fili*, inquit, *suo* & Sponsi sui nomine, quid fecisti nobis sic? *Fili*, tu filius cum sis, & ego Mater tua, hic Pater tuus: quomodo potuisti ad hoc te resolvere, ut nobis tantum nobis causares dolorem? hoc ne ego Mater tua, hic Pater tuus, quos amas, & à quibus vicissim amaris, debuimus à te expectare *Fili*? Si manendum erat & ita constitueras, tu Deus quidem, nos opera manuum tuarum, sed interim ille Pater tuus, ego Mater tua, & tui amantiissimi, cur igitur non præmonuisti ut non discederemus ante te. & cum tanto animi angore nobis perditum crederemus?

XII. Adrem quoque Divus Bernardinus Senensis Serm. de S. Iosepho art. 1. cap. 2. acutè observat Beatam Virginem in hac occasione prima vice Christum Dominum *Fili* nomine compellasse: rationem cupis? accipe. Quia nimirum, inquit, ille Sanctus Pater, *Filius à philos* (quod *græcum nomen est*) id est amor denominatur, profecto enim dulcius amoris verbum proficere non potuit quam hoc, cum ait *Fili*, cui materni amoris voci dolorem associavit subjungendo, *dolentes querebamus te*, ut intelligeremus dolorem ejus æqualem fuisse amori, ita tamen ut amori & dolori suo amorem quoque sui Sponsi sociaverit & dolorem.

Unde idem Sanctus Pater eleganter ad propositum nostrum subnectit magnam observationem dicens, *Vix notanter advertendum quod hic solum legitur Virginem Ioseph appellasse Patrem IESU, quia sensus doloris quem habuit de IESU perditio, verum in eo monstraverit Patris affectum*. Quid clarius? sed quid elegantius in rem nostram?

Restat jam ut de causâ hujus doloris D. Iosephi æquè ac Virginis dicamus. Noster Guido Perpinianus Opere cui titulus quatuor unum, id est in Evang. ad illud Luc. cap. 2. vers. 48. *Ecce Pater tuus & ego dolentes querebamus te*. Cur dolentes quarunt? inquit, an ne formidabant infantem perditum? & ex eo quod præciter puer in comitatu, quod erraverit? absit, nunquam enim fieri poterat ut perditum formidarent infantem, quem Deum esse cognoverant: explicat id Origenes in Lucam homil. 19. eleganti similitudine, *Quomodo, inquit, nisi quando scripturas legis, quæris in eis sensum cum dolore quodam ac tormento, non quod scripturas errasse arbitreris, sed quod ille intrinsecus habeant veritatis sermonem atque rationem, & tu nequis invenire quod verum est: ita & illi dolentes querebant IESUM, ne forte recessisset ab eis, ne relinquens eos ad alia transmigrasset*. Hæc noster Perpinianus ex Origene. Uboid quod dicit, non credidisse perditum, aut quod erraverit, sed veritos ne recessisset ab eis, ne relinquens eos ad alia transmigrasset approbo; sed quod adjunxit Origenes quod cogitarint forte rediisse in Cælum, error est nimis crassus, non cadens in Beatam Virginem, aut Divum Iosephum, qui sciebant ipsum in his quæ Patris sui sunt debere esse, & prius mori debere ut salvaret populum suum à peccatis eorum, quam in cælum redire.

Cardinalis Toletus tamen annotat. XIV. 79. hoc nonobstante existimat Beatam Virginem (idem dicendum de Divo Iosepho) doluisse quod putarent à viâ aberrasse sicut cæteri pueri solent, quamvis non eodem modo: neque enim ullâ ratione accidisse crediderunt illi aliquid per errorem non volenti, quem certissimè sciebant esse Deum, omniscium, sed quemadmodum

similis esse voluit in infantia ceteris infantibus per omnia, in membrorum exiguitate, infirmitate, lachrymis, in eo quod coeperit prius balbutire quam perfecte & distincte loqui, ut infantes ceteri, &c. ita arbitrari potuerunt Maria & Ioseph, placuisse illi nunc more aliorum puerorum a via deviare, sed voluntate, non ut illi errore. Sed nec hoc probabile arbitror, nec eò confugere in hac difficultate cogimur cum planior via non desit, ea scilicet quam aperuit supra noster Perpignianus.

XV. Et verò cum satis intellexerint initio perquisitionis ex cognatis & notis puerum non in progressu tantum, sed nec initio reditus fuisse cum illis, inde presumendum prudentissime factum, quod non per avia illum requisierint hæc hæc, ille illac, sed recte uterque simul in Jerusalem venerint ibi eum requirentes: ubi quoque in Templo inter Doctores, audientem illos, & interrogantem eos invenerunt.

XVI. Non placet etiam multis sententia Divi Antonini Archiepisc. Florentini ex Ord. S. P. Dominici in 1. p. tit. 5. cap. 1. §. 5. existimantis dolorem Deiparæ & Divi Iosephi inde processisse, quod metuerent ne forte puer in manus Archelai incidisset: An enim oblitus erat Divus Iosephus Angelum sibi apparuisse dum periculum erat ab Herode ut ab illo puerum eriperet? nec prius monuisse ut rediret, quam periculum cessasset: & iterum alio periculo subnato ab Archelao filio præcedentis, eundem Angelum iterum apparuisse, & monuisse ut illud declinaret secedendo in Galilæam? quomodo ergo potuisset cogitare eundem puerum tunc a Deo & Angelis ira derelictum, ut periculum illud quod evaserat jam incurreret. Secundò, cum non ignorarent puerum istum esse Deum, nec periculum, si quod forte subfuisset, ipsum latuisse quomodo cogitare potuerunt ita in hoc periculum, quod sic ante præcaverat, incurrisse?

XVII. Dicendum ergo, quod cum Maria & Iosephus scirent Iesum esse Deum, sibi persuaserunt, non casu aberrasse, sed ex voluntate suâ, & ex alto confi-

lio ipsis incognito ab illis declinasse? Colligitur hoc Responzione Christi ad illos: *Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* tamen ob ejus absentiam merito doluerunt. Primò, eo quod hanc illis insciis affectasset, maxime cum ignorarent quamdiu duratura esset. Secundò, quod etsi culpam in se non agnoscerent ob quam Christus ita se subduxisset, solliciti tamen erant ne forte aliqua commissa fuisset quæ eos latèret: ita enim solent verè humiles, quales Maria & Ioseph: quod quam valde amantes angere aptum sit, clarum est. Tertio, cruciabant quoque Deiparam & D. Iosephum cogitationes de incommoditate pueri circa cibum, potum, hospitium apud exteros & ignotos.

Cæterum cum Beatissima Virgo & XVII Divus Iosephus ob hanc absentiam tanto dolore affecti fuerint, atque idè ex illo ipsius causam requisierint, mirum est valdè, quod cum a filio redditam non intellexerint, ut asserit Evangelium, quieverunt tamen ibi nec ulterius de hoc filium interrogare præsumperunt, nolentes amplius scire quam Deus vellet: Atque ubi cognoverunt illud opus esse paternæ voluntatis, cessarunt inquirere ulterius, magnâque resignatione divinæ dispositioni sibi non aliter insinuatæ, se conformarunt: ex quo discimus quantum debeamus nostrum intellectum submittere divinis ordinationibus.

CAPUT XXV.

Fontes hujus amoris paterni in D. Iosepho.

VIDEMUS hætenus in Divo Iosepho amorem pro Christo Domino & filio suo verè paternum, illum ejusque magnitudinem per ejus effectus naturales, scilicet sollicitudinem seu curam, metum & dolorem pro ipso probavimus: eaque omnia in eo gradu, ut etsi deessent argumenta quæ cumulavimus, ut verè Christi Pater esse demonstraretur, nemo tamen est qui non ex his illum

illum crederet Christi Patrem. Restat nunc pro hujus singularis prerogativæ præciosæque materiæ complemento, Tractatus coronide ut paucula de istius eximii amoris fontibus dicamus quandoquidem & ex illis ejusdem quoque amoris magnitudinem perspiciemus.

- II. Itaque præter summam objecti amabilitatem, immensam dico Filii pulchritudinem, bonitatem, gratiam, suavitatem, majestatem, sapientiam, & perfectionem, quæ in omnium pectoribus sui amorem accendebant; duos alios in Divo Josepho, quos non in alio Patre comperio, hujus sui Paterni fontes Amoris; quorum primus est natura & ratio ipsa: Secundus, Divinum donum.
- III. Primum hujus eximii in eo Amoris fontem dico esse naturam & rationem ipsam, esto enim verissimum sit Divum Josephum non genuisse ex se Christum, ut illius Pater naturalis dici possit sicut alii Patres: in quantum tamen fuit ex vi matrimonii sui cum Divâ Deiparâ Pater illius Proles, quæ in ipsâ sibi conjugio unitâ, & secum indiviso affectu caro una, concepta est, & in eâ à Deo ex directâ voluntate pro ipso formata, habuit proculdubio, & habere debuit naturaliter amorem pro illâ: Proles quippe illa sic, ut præfertur, in uxore suâ sibi indivisibiliter unitâ inventa, fuit verè sua, atque adeò eam ut suam naturaliter, & ex dictamine rationis naturalis amare debuit & curare.
- IV. Quemadmodum enim ille qui inveniret in prædio seu fundo suo fontem, vel arborem, aut fructum, etiam supernaturaliter productum, eum naturaliter amaret, imò eò magis, quò minus illum sperabat: ita Divus Josephus naturaliter amare debuit, & de facto amavit Christum, pro se in uxore jam suâ productum, hoc est eò magis, quò minus illum sperabat.
- V. Noster Christophorus Avendano Catholici Regis Ecclesiastes Ordinarius serm. de Sancto Josepho §. 3. pulchram movet quæstionem ad propositum nostrum. Apud Jurisperitos, inquit, tale quid quæritur: Moritur vir relinquens uxorem à bimestri vel

trimestri gravidam: nubit illa non multò post alteri, & postea filium enititur: Quis Pater hujusce proles censendus est? mortuus ne maritus, aut conjux vivus? Nescio, inquit Avendano, quid jura nostra de hac re decernant, Atheniensium Statuta habebant vivi filium debere dici, ut refert Herodotus, ex eo quod uxor defuncti jugo hujus liberata, tota transeat absolurè & cum illis quæ in utero suo gestat in jus, potestatem, & dominium illius, cui secundo nubit.

Quid ex hoc volo? accipe, si res ita habet, & ita definiere Athenienses, apud quos studia litterarum adeò floruerunt; Quanto fortius ergo & strictius Divus Josephus fuit Pater Christi, qui cum in uxore suâ non ab altero aut cum alterius esset, sed jam suâ divinitus pro se productum accepit? Cum ergo Christus adeò strictè esset filius suus, quantum quæso illum amavit? quantum ei charus fuit? Certè mihi omnino videtur certum & indubitatum hoc modo plus dilexisse filium istum quàm ullus alius pater prolem ex se genitam, maximè verò attentâ bonitate & perfectione istius filii sui singularissimâ, secundum quam nulla unquam proles ita se amabilem exhibuit: attento etiam quod cum Divus Josephus nullis esset passionibus obnoxius, plus ex ratione movebatur ad amandum filium suum, quàm ex inclinatione appetitus, cujus contrarium videmus in cæteris parentibus: At certum est fortiozem esse amorem rationis, quàm appetitus carnalis; ergò &c. Amor enim naturalis in homine dividitur in tres species, quorum primus & infimus est amor inclinationis, cœcus, quia est ex impetu naturæ. Secundus est amor passionis seu appetitus, qui aliquid videt, sed parùm, & valdè imperfectè, & obscurè; quia oculos habet valdè debiles & obtutum valdè circumscriptum, & ille invenitur in brutis æquè ac in hominibus. Tertius est amor rationis qui non ambulat, nisi in lumine, cumque oculos habeat perspicacissimos, omnia penetrantes, duobus aliis ducatum præstat amoribus, eorumque gressus dirigit & ordinat.

Secundus

VII. Secundus fons istius eximii amoris Divi Josephi & præcipuus, fuit gratia: quia cum ista proles fuerit à Spiritu Sancto formata in uxore Divi Josephi jam suâ ex directâ voluntate supplendi actionem ejus, & efficiendi illum Patrem Christi, debuit quoque per sequelam necessariam idem Spiritus Sanctus infundere illi amorem pro istâ Prole, quem natura dat Patribus pro filiis quos ipsi genuerunt: Hinc Rupertus Abbas lib. 1. de Gloria & Honore Filii Homini in Matthæum ad illa verba ex cap. 1. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ: ait, Spiritus Sanctus amborum (idest Mariæ & Josephi) conjugalis amor in ambobus præstidens, conjugem viri hujus fidei commisit & de carne Virginis hominem formans, paternum viro huic, ejus qui nascebatur Infantis, amorem pænitent infudit.*

VIII. Spiritus Sanctus ergo, qui, hos Conjuges in seipso, idest in Spiritu Sancto copulando, Divo Josepho Virginem tradidit, tradidit simul & fidem, quâ eam servaret intactam: Ita quoque quia eam illi tradendo, tradebat consequenter & filium brevi in eâ formandum, amorem quoque contradidit, qui necessarius erat, ut pro illo tot arumnas, pericula, itinera, exilium, labores, &c. exantlaret. Ad hoc autem planè fuit necessarius Paternus, & nonne etiam Paterno major? eum ergo ei infudit: At quis nescit quod quando gratia eundem effectum producit quem natura: effectum à gratiâ productum esse longè perfectiorem & excellentiorem eo qui à naturâ produceretur? Sic utique vinum à Deo in nuptiis Canæ Galileæ supernaturaliter productum, fuit longè excellentius illo quod natura produxerat, ut patet ex vocibus Architrictini istarum nuptiarum: *Omnis homo primo bonum vinum ponit, deinde id quod deterius est, tu autem servasti bonum usque adhuc.* Sic Humanitas Christi à Spiritu Sancto formata perfectior fuit etiam in naturalibus quam aliâ formata ab hominibus; & ita de cæteris. Ergo & amor paternus Divi Josephi à Deo illi infusus, excellentior fuit eo quem natura dat Patribus

generantibus: Nullus igitur pater naturalis ita amavit prolem quomodo Divus Josephus Christum: ergo & reciprocè nullus filius ita amavit patrem naturalem, ut Christus Divum Josephum.

Ast quantum crevit iste amor Divi Josephi ex consideratione quod idem Filius suus esset Deus? De Sancto Leonide nascentis Ecclesiæ Martyre, & Magni Origenis Parente, refert ex Eusebio Cæsar. lib. 6. Inst. c. 2. Cardinalis Baronius tom. 2. Annal. ad annum Christi 204. ipsum filio suo dormienti sæpè numero adstitisse, & quoniam per revelationem didicerat divinâ scientiâ replendum, pectus ejus stragulis quibus cooperiebatur denudatum, perinde ac si sacer Dei Spiritus ipsum tanquam Templum per inhabitationem consecrasset, augustè & cum reverentiâ solitum exosculari, atque lachrymis, quas præ animi jucundissimâ fundebat voluptate, irrigare.

Idem & quanto meliori jure de Divo Josepho existimandum: quam frequenter vagienti in cunis puero sollicitè invigilans, ac religiosè superveniens operimentum quo tegebatur detrahebat? quam sæpè pectus illud in quo omnes sciebat esse absconditos sapientiæ & scientiæ Dei thesauros ad Col. cap. 2. veneratus, & osculis demulcens, abscedebat, beatum millies & centies millies beatum se reputans quod tantæ proli à Deo effectus esset Pater. *Stupebat, inquit Sanctus Bernardinus Senensis Tom. 3. Serm. de Sancto Josepho artic. 2. cap. 2. ruminando corde, & oculis intuendo, quod Filius Dei se fecerat filium suum, & elegerat eum ad illum nutriendum, bajulandum, regendum, & conservandum in necessitatibus vite sue.*

Sed qualis eidem D. Josepho sensus quando Christus adhuc parvulus existens, *Nunc ad eum vice Patrem, nunc ad sanctam repit matrem: per virginales cervices gratas alternando vices: ut canebat in Responsorio ultimo ultimi Nocturni Officii de Sancto Josepho antiquum Ordinis nostri Breviarium, quando, inquam, ille infantiliter jocando in sinu ejus se abscondebatur? quando illi arridebat? basia infugebat?* Quod

XII. Quod si beati oculi qui viderunt quæ Sancti Apostoli Luc. cap. 10. vers. 23. Ipse (inquit Cardinalis Toletus ad illum locum convertens se ad Divum Josephum) ipse, inquam, non solum vidit & audivit, sed in ulnis saepe portavit. Quid admirabilius (verbis utor Divi Laurentii Justiniani in fasciculo divini amoris) quam Dei Filium Virginis mammæ sugere, Josephi fovendi in gremio? *Falsè Joseph*, inquit S. Thomas de Villâ Novâ, cui donatum est talibus interesse mysteriis, horum gaudiorum fieri consortem, qui dulcissimos audire concentus caelestium spirituum, audire tripudia, videre obsequia, orantes Angelos, adorantes Reges, letantes Pastores, beatis oculis inspicere meruisti.

Quis ergo denegat, concludo verbis XIII. Divi Bernardini Senensis tom. 3. ferm. de Sancto Josepho, quod ipse tenenti Christum in brachiis tanquam Pater, & balbutienti, aut confabulanti cum ipso ut Pater, Christus sive infans, sive adultus, non ingereret, aut imprimeret ineffabiles sensus, atque jucunditates de semetipso, & hoc cooperante interius gratiâ Christi, cum filiali aspectu, afflatu, atque amplexu. Quod si hæc Jesus in D. Josepho actione intentionali seu objective? quid efficientiâ reali? assentior Ildoro Icolano part. 2. cap. 15. dicenti: Egressus IESUS ex utero Virginis, Josephi cor vulneravit aeterni amoris indesititurâ ci-
catrice.

TRACTATUS TERTIUS.

D. JOSEPHI SANCTITAS ex nonnullis ejus Virtutibus.

I: **N**ON inefficiter, ut tamen arbitror, Divo Josepho strictæ ac veræ paternitatis jura respectu Christi Domini, quâvis eum non genuerit, asserimus Tractatu præcedenti: Quare licet in eo aliquibus fortè parum prolixi fuisse videri possimus, nescio tamen an omninò rectè. Meminerit si quis est talis, melius esse dicere fusè, quàm confusè, neque ex verborum mensurâ pensandam esse prolixitatem, sed ex ipsâ materiâ verborum: itaque vitiosæ prolixitatis argui non posse Tractatum illum cujus prolixitas non consistit in verbis inutilibus, sed in explicatione congruâ, in multitudine probationum, & copia objectionum & solutionum. Hinc eloquentiæ latinæ Princeps Cicero: *Ng- mis longum non est, inquit, cui nihil admi- ni potest, cui concinit Ildorus Pelu- siota epist. 57. dicens: Ver abbreviatas cum perspicuitate conjuncta, non in argu-*

mentorum prætermissione, sed in earum rerum, quæ ad instruatam materiam nihil opis conferunt, rejectione sita est. Ut enim ea quæ ab orationis argumento aliena sunt ponere, supervacaneum est: ita etiam eorum, quæ ad ipsius confirmationem aliquid momenti adferunt, nihil omittere necesse est. Quocirca ne tu quoque, si in pugnam atque in arguticem orationem incidas prolixitatem accusés; verum illud cogita, non aliter eam, id quod quærebatur, perspicuè declarare potuisse, nisi longo verborum ambitu uteretur. Nam si affirmantum duntaxat & pronuntiandum sit, brevis sanè atque compendiosa sit oratio. Si autem probandum & demonstrandum, tum verò, ut in longum quidem extendatur, omnem autem redundantiam, atque earundem rerum repetitionem fugiat, necesse est. Et Divus Augustinus in Proœmio Retractionum suarum. Absit, inquit, ut multiloquium depretem, quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum multitudine ac prolixitate dicantur. Melius adhuc & pressius in Exposit.

Fff

plalmi

psalmi 18. locum obscurum explicaturus ait: *Si hoc planum esset unum aliquid audiretis: quia verò obscure dictum, multa audiretis.* Qui tamen ut multitudinem illam cum brevitate stare ostendat, ait in initio ejusdem psal. *Psalmi hujus textum breviter percurramus.* Denique in istâ Divi Josephi paternitate omnia illius magnalia in ordine gratiæ & gloriæ, ut & Sponsæ ejus in suâ maternitate, fundantur: quare in illâ stabilendâ nihil omitti debuit: & hæc fuere causæ justæ prolixitatis, non superfuitatis.

II. Manent itaque ex assertâ ibi Divi Josephi ad Christum paternitate plenissimè ac sufficientissimè probatâ, quæ Parte primâ Tract. 1. & Tract. 3. de gratiis illi ante paternitatem istam adeptam, sed tamen ejus aliquando futuræ intuitu collatis, ut scilicet ad illam convenienter, ut decebat, disponeretur pronuntiavimus, qualia sunt illa quæ de ejus singulari prædestinatione, de copiosâ ejus in utero sanctificatione, de confirmatione in gratiâ, de accelerato rationis usu, de fomite restincto, de castitate & virginitate plus quam Angelicâ differuimus: Quid enim est gratiæ, quod non debetur Patri Dei ex illis, quæ congruæ ipsius ad tale munus dispositioni conveniebant, quæ aliis eò inferioribus, collata fuisse dignoscuntur? & quantum quæro supra illos ex rectâ ratione?

III. Verùm enim verò in hæc quoque assertione jacta sunt fundamenta & præjudicia solidissima ad ea quæ deinceps dicturi sumus, maximè hoc Tractatu de ejus Sanctitate & nonnullis ejus virtutibus, & Tract. 1. Partis sequentis de ejus gloriâ apud Deum incomparabili, & Tract. 3. de ejus Patrocinio singulari: sunt enim ista illius Præcellentiſsimæ Dignitatis appendices & sequelæ.

IV. Sed esto certissimum sit hoc, efficacissimèque ex assertâ Divi Josephi Paternitate concludatur, ipsum cum gratiis, quibus ad illam præparatus est, illarumque bono usu & nunquam interrupta illis correspondendi sedulitate, necnō aliis eâ dignitate adepta ei ubertim adjectis, ad inconceptibilem sanctitatis & perfectionis gradum con-

scendisse, quem non aliter explicare possumus, quam dicendo fuisse talem, ut nulla sub Dei Matre major unquam extiterit sanctitas aut futura sit: non parùm tamen confert ad istius solidissimi præjudicii credibilitatem, & tantæ ex eo antecedente trahi solitæ sapientibus omnibus consequentiæ firmitatem, spirituales etiam nostram ædificationem, illas ejus virtutes introspicere, quas præ cæteris divinum, licet paucis, in eo observavit & commendavit Evangelium, ut nos illas nobis ipsis proponeremus imitandas tantquam summam, utpote quas ab ipso Jesu omnis sanctitatis Magistro docente & faciente didicit, & simul cum illo per totos triginta annos exercuit.

Et quia humilitas, omnium sensu, est cæterarum basis & fundamentum, ideò ab illa hanc materiam auspicabimur, finituri per charitatem quæ est earundem forma & complementum.

CAPUT PRIMUM.

De profundissimâ D. Josephi humilitate.



UOD Divus Justinus Martyr cognomento Philosophus, quæst. 36. ad Orthodoxos de Diva Deiparâ affirmavit, hoc Sanctissimo ejus Sponso Divo Josepho aptare non dubito, *Beatiorem fuisse virtute quâ Pater Dei esse meruit, quâ dignitate, quâ Pater Dei effectus est.* Nam Salvator ipse mulieri cuidam, quæ extollens vocem de turbâ dixit ei, *Beatus venter qui te portavit, & uber a quo suxisti.* Respondit, *Quintimmò Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Luc. cap. 11.

Sed quâ potissimum virtute istud decus comparasse dicendus est? Censeo prorsus (& quis aliter?) eadem quâ Sponsa & conjux ejus suam maternitatem. Hanc porro quâ virtute illâ variant Authotes in illâ assignandâ.

Præmium fuisse Fidei ipsius visum fuit Sanctæ Elizabethæ Mariæ S. Joannis Baptistæ: ait enim hæc Mariæ, *Beata qua credidisti, quoniam perficientur in te ea que dicta sunt tibi à Domino.* Hanc videtur

videtur sequi Divus Augustinus tract. 4. in Ioannem, & lib. 4. de Symbol. ad Cathecumen. cuius hic accipe verba: *Impletur uterus Matris sine ullo complexu Patris: sentit prolem, quae se ignorabat coniugem*, (intellige complexu) *Angelus ad Virginem loquitur, à Virgine cor preparatur, Christus fide concipitur.*

IV. Alii volunt fuisse præmium obedientiae ejus, ita Divus Bernardinus Senensis tom. 2. serm. 51. ubi cenfet Virginem consensu suo his verbis, (*Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*) ex animi sententiâ prolatis expresso plus apud Deum meriti consecutam, quam Angeli omnes hominesque universi: & speciatim cenfer istius contentus & obedientiae mercedem, fuisse gratiarum incrementa immenta, fecunditatem virginitatis prodigiosè conjunctam, ipsam denique Dei Maternitatem.

V. Alii volunt fuisse præmium virginitatis ipsius, alii humilitatis, alii pietatis & summæ Religionis: Alii denique volunt fuisse præmium virtutum omnium: à quibus postremis in re non dissentiant illi, qui istam maternitatem huic aut illi ejus virtuti attribuunt & deferunt: non enim isti dicunt hanc maternitatis ejus dignitatem fuisse præmium Fidei, Obedientiae, Virginitatis, Humilitatis, Pietatis aut summæ Religionis ejus excludendo cæteras, maxime charitatem, sine quâ impossibile est placere Deo, cum certissimum sit quod si aliis virtutibus caruisset, non fuisset digna ut esset Mater Dei: sed quantum ad meritum primarium huius maternitatis, & rationem quæ principaliter movit Deum ut hanc illi conferret, alii hoc huic virtuti tribuunt, alii isti.

VI. Ego, ut hic sensum meum proferram, si ulli Divæ Deiparæ virtuti in particulari, ejus demississimæ humilitati cum intensissimâ charitate conjunctæ hoc merito tribuendum esse existimo cum communi ferè omnium Sanctorum Patrum Choro, quorum hæc una vox est de Virgine Matre. *Virginitate placuit, sed humilitate concepit.* Vide D. Augustinum Serm. 35. de Sanctis. Sanctum Maximum Taurinensem homil. Dominicæ de Ramis. Divum Bernardum sermone. 1. super

Missus est. Divum Bonaventuram in Speculo cap. 13.

VII. Crevit ergo Beatissima Virgo ad tantam celsitudinem per profundissimam humilitatem, ideoque facta est supra omnes, quia ipsa se dejecit infra omnes. Vin' videre: clamant ei omnes: *Beata viscera Maria Virginis quæ portaverunt Eterni Patris filium, & beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum.* Sed unde hoc? Audi ipsammet Virginem in suo Cantico *Magnificat*, &c. *Respexit humilitatem Ancilla sua, ecce enim ex hoc Beata me dicent omnes generationes.* Ergo ideo præcipuè tacta est Dei Mater, & ob id Beata, quod fuerit humilis & abjecta in oculis suis: Eadem ergo ratione Divus quoque Josephus Pater Christi, quo nihil post Matrem majus, quia nihil eo humilior.

VIII. Sapientissimus Menæus antiquus Author Græcus de Sancti Patris Gregorii Nazianzeni laudibus dicens, verba hæc magnifica magnificè de eo protulit. *Si statua ex singulis civitatis, virtutibus humanâ effigie formanda esset depingendus foret Gregorius.* Ad eundem planè modum ego de Divo Josepho: Si humilitas ac modestia suis vis ac genuinis coloribus delineanda esset, aut suis partibus & membris constituenda, certissimè nulla aptior illius imago vel idea esse poterit quam Divus Josephus omnium mortalium humillimus. Non legit attentè Sanctos Evangelistas Matthæum & Lucâ, qui hoc ignorat. Sciebat utique Sanctissimus Patriarcha, sciebat *superbiam non esse magnitudinem, sed tumorem: quod autem tumet videtur magnum, sed non est sanum.* Sed ad rem veniamus, magnitudinemque Divi Josephi ex ejus Humilitate videamus.

IX. Humilitatem ipsius summam fuisse pater ex summis illius gradibus quos enumerat Divus Anselmus lib. de Similit. & ex eo Vincentius Belloc, in Spec. moral. lib. 1. d. 100. part. 3. ad quos ipsa pervenit: quorum primus est, cum quis ex perfectâ sui ipsius notitiâ, suæque nihilitatis apprehensione, contemptibilem se, & nihil esse agnoscit: Secundus, cum hoc fateatur: Tertius, cum hoc ab aliis credi & dici

non dolet: Quartus, cum non aegre fert se contemni & contemptum tractari: Ultimus, cum amat & gaudet se ita tractari. Quae omnia in hoc Sanctissimo Viro, omnium utique humilimo, in summo reperiri, ex tuis oculis subijcio in tribus occasionibus. Prima ante ipsius nuptias cum Beatissima Virgine, ut per eam prepararetur, & fieret dignus qui summa & humilima isti Virgini conjungeretur. Secunda: in ipso puncto harum nuptiarum, ut per eam acciperet ultimum complementum dispositionis ad istam tantam conjunctionem: Tertia, post easdem nuptias, ut congrue pro ratione tantae conjunctionis & qualitatis ornaretur.

X. Quoad primam: Consideranda sunt in Divo Josepho tria: Primum, ipsius Natales. Secundum, in talibus Natalibus fortuna & conditio: Tertium, in hac fortuna & conditione animi ejus dispositio: Omnia enim haec faciunt ad rem nostram. Pro natalibus nihil eo sublimius. Pro fortuna & conditione, nihil humilium. Pro animi dispositione, nullus eo magis contentus: haec sigillatim ordine consideremus.

XI. Quod spectat ejus natales: Natus est haeres primi Regni totius mundi, scilicet Judaicæ, peculii Dei, ex quo Christus, Messias & Filius Dei, nasciturus erat: natus est, inquam, Haeres immediatus & directus Davidis Regis, ut late probavimus supra Parte 1. Tractatu 7. cap. 12. Sect. 2. & 3. Ergo nihil eo sublimius. Et ut hoc non esset, est tamen verum, ut Evangelium, ipsum esse ex illo sanguine cretum, ac per consequens esse ex prima omnium totius mundi stirpe & prosapia, quid illustrius aut nobilium? Adde ipsum, sive hoc, sive illud, non descendisse ex istis tantis Progenitoribus nisi ut esset Pater Filii Dei Incarnandi: ecce ipsius natales: quam ex his Magnus!

XII. Sed interim vide in tali adeoque illustri origine ejus fortunam & conditionem: quid humilium? quid abjectius? Ad ultimam Deus, qui Regna dat & auferit pro nutu suo, quibus, quando, & quomodo illi placet, conditionem, eum ex singulari suae pro-

videntiae dispositione dejecit, in eum cum summo mire maritans, quia cum volebat summe humilem, & summe cum Matre sua sibi similem. A summis ergo natalibus ad imam fortunam dejectus est, ex Rege opifex, saltem ex Principe Carpentarius faber factus: Quam stupenda revolutio! quam mira combinatio! ecce hominem omnium Sanctissimum, ad quem jure hereditario pertinet sceptrum Davidicum & Salomonium, Deo volente, destitutum, ac loco sceptri ferrum & asciam tractantem: Ecce e contra hominem omnium nequissimum Herodem, vitam indignissimum, sceptrum ejus injuste occupantem & gestantem, ac in ejus Solio gloriose residentem: O caeci ergo homines mundani! qui omne bonum, omnem felicitatem vestram in fulgere constituitis transituro rerum mundanarum, qui interim nihil est nisi illusio, cujus duratio non extenditur ultra vitam fragilissimam, & quam saepe corripitur? & cujus tandem finis, vel catastrophe, vel saltem confusio aeterna. Quam diversa sunt judicia Dei a vestris? vult quippe Deus Divum Josephum, ad quem spectabant ista non tantum jure natalium, sed etiam jure meritum sublimium, illis spoliatum, & a sublimitate Throni sui ad opificium deturbatum; rapiat interim illa nequissimus mortalium Herodes, ut illius fiat Pater qui humilitate tua venit aut sanare mundi superbiam, aut damnare.

Verum cum non ex eo statim quis humilis quod in statu imo & dejecto: Luciferi enim superbia summa in ultima etiam sua dejectione, ideo oportet hic tertio loco Animi Divi Josephi ex sublimi ad imum dejecti, nec de jure suis ignari, dispositionem attendamus.

Nascimur omnes cum semine honoris seu inclinatione ad illum, nec ullusest tam exiguus aut tam obscurus, in quo propriae amor excellentiae altissimas non egerit radices, qui eos perpetuo proritat, ut conatus exerant ad assurgendum. Hoc quotidie oculis usurpamus. Ergo perpendite qualem

vim debuit habere hæc impressio naturalis in animum hujus Viri ex tam sublimi progenie orti, qui non obstupuerat, & quem non latebant jura sua? sed cum aliunde probè sciret Deum ob rationes justissimas & altissimas, quamvis sibi occultas, eò quò se constitutum videbat dejecisse, non solum non erubuit de tam vili & abjectâ conditione, non solum à se abjecit omnem cogitationem inde emergendi, sed etiam conditionem istam amplectitur cum amore, gratias mille agit Deo, qui eam ipsi elegit, atque eâ adeò contentus est, ut ferram & asciam suam, quam exosculabatur, non voluisset cum totius mundi scepro commutare.

XV. Prognatus ergo cum esset ex Regiâ Davidis stirpe, genusque duceret ex longâ Patriarcharum, Regum, Ducumque serie (recensebat enim in Majoribus suis Patriarchas omninò quatuordecim, Reges totidem, totidèq; Duces) à quibus sibi nomen facere poterat, ut faciunt homines hujus sæculi: Non fecit, nec è majorum suorum gradibus & titulis honorificis se erexit, sed abjecit potiùs infra omnes adeo ut nec fabrilem exercere erubuerit, cupiens in oculis mortalium esse abjectissimus, qui Coeli calculo erat Altissimus: in quo profectò stulta damnavit hominum studia, qui stultissimè sibi à Parentibus, ab Avis, & Pro-avis gloriam accersunt, non autem à virtute propriâ, in quâ tamen vera nobilitas, & gloria.

Nam genus, & Pro-avos, & quem non fecimus ipsi,

Vix ea nostrâ putato.

Ulti nec putavit Vir Sanctissimus, cui una virtus, & Dei gratia pro culmine & gloriâ fuit, ut de illo meritò dicere possim, quod Divus Hieronymus de Pammachio qui Senatoriatum cum Cucullo Monastico permutavit, epist. ad Pammach. *Quis crederet hoc,* inquit, *ut Consulum Pro-nepos, & Turiani germinis decus, inter purpuras Senatorum sur vâ tunicâ incederet, & non erubesceret oculos Sodalium, ut deridentes se derideret?* Quis, inquam, crederet hoc, ut Divus Josephus longâ ac perenni Patriarcharum, Regum, Ducumque

serie progenitus, Sceptrique Davidici ac Salomonici hæres directus ac legitimus, non tantum non erubesceret videre se ignobilis opificis ventrali præcinctum, ac pro scepro ferram tractantem, sed etiam inde gloria-retur, in eoque statu mundum deridentem derideret, ac de eo triumpharet?

Quare meritò Spiritus Sanctus Cantic. cap. 2. vers. 16. loquens per os Animæ sanctæ & Deo devotæ, dicit: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Id est ut ait Glossa. *inter Josephum & Mariam.* Joseph ergo, ut Maria, comparatur lilio ut humilitatem in magnitudine. Etenim ut unâ ex parte lilium, teste Plinio lib. 21. histor. natural. cap. 5. & nostris etiam oculis testibus, inter omnes flores altius omnibus caput attollit, sive, ut verbis Plinii utar, *Nulli florum excelsitas major.* Ita ex alterâ parte insigne illud suæ excelsitatis documentum præbet, quod ubi ad debitam Celsitudinem pervenit { quæ est ut sit omnibus excelsus) obliquo capite versus terram inclinat. Lili ergo imaginem in Divo Josepho expressam intuemur, dum omnibus Sanctorum Choris superior, caput demittit per summam illam, quam hic prosequimur, suam humilitatem.

Pro secundo argumento humilitatis ejus, ea attentius perpendo, quæ ei contigerunt, dum jam actu Divæ Deiparæ conjungendus, fuit in matrimonium: Sacerdotes quorum erat virgines Deo sacratas, & Templi obsequiis mancipatas, Parentibus orbas collocare: cum inter se quæssissent cui Maria orba & nubilis, ac de Deo apud Templum sacratarum numero, esset in Sponsam tradenda, nec inter eos conveniret propter mores Gentis ex unâ, & votum Virginis ex alterâ: Placuit eo super negotiò ad oraculum recurrere, è quo hæc audita vox. hoc responsum: *Cujus Virga de repente floruerit, ipse est quem Deus Mariæ Sponsam designavit, ipsam ei tradite.* Tunc convocati omnes Contribules, in quibus Divus Josephus cum cæteris; sed hic virgam vel non attulit, vel occultavit: ita ut cum nihil apparuisset

Fff 3

cœlestibus

caelestibus responsis conforme, secundo redeundum fuerit ad portam Sanctuarii, & consulendum iterato oraculum: unde eadem vox quae prima vice, Virginem istam ei tradendam cuius virga effloresceret. Quo responso iterum accepto, coeperunt Sacerdotes, & qui convenerant attentius circumspicere, adeo ut cum Viro Sanctissimo nullus amplius esset evasioni locus, debuerit, ut ceteri virgam suam proferre, vel, ut ait Sanctus Eustachius in Hexamer. à Sacerdote proferendam accipere, quae (eventu oraculo respondente) illico & in germina & in flores sese explicuit, ac pro evidentiori adhuc divinae electionis ejus signo, columba nivea è caelo in eam devolavit, & ab illa in caput Divi Iosephi, ubi & confedit: Quare Principes Sacerdotum, Sacerdotesque cuncti qui convenerant, rem admirati, pari voto Mariam illi desponderunt: Haec ex Divo Hieronymo lib. de ortu Virginis, vel eo qui est ejus Author inter Opera ejus, & Divo Eustachio citatis.

XVIII. Super quo casu ut ad rem nostram veniamus, inquirendum occurrit cur Divus Iosephus prima vice virgam suam vel non attulerit, vel occultarit, ut ad oraculum iterato redire necesse fuerit? vin scire: dicam quod censeo: hoc fecit ex summa, quae me in stuporem rapit, humilitate, & humillimâ de seipso aestimatione. Non poterat sibi figurare vir modestissimus oraculum ullo modo pro se locutum, nec sibi persuadere in se quidquam reperiri, quare Deus veller eum aspicere, multò minùs ad favorem suum aliquod miraculum edere: uno verbo adeò in oculis suis sibi parvus erat & abiectus, ut extra omnium qui convenerant numerum, ac si non esset computaret: quanta hæc humilitas & animi modestia inveni mihi parem: latuerat eo usque, atque mundo semper incognitus vixerat Divus Iosephus, nihil omninò ambiebat nisi semper sic latere: & idè virgam suam non profert, sed occultat, ut absconditus maneat, nihil quærens nisi soli Deo placere.

XIX. Omne quod magnum est & rarum, latet: Nam primò Deus, *Posuit tene-*

bras latibulum suum, Psalm. 17. vers. 13. *Habitat lucem inaccessibilem*. Substantia & essentia cujuslibet rei est invisibilis, sola accidentia apparent, anima pars hominis nobilior non videtur. Metalla preciosiora, ut aurum & argentum, profundius in terrâ detrusa sunt, nec nisi magnis sudoribus effodiuntur: Uniones non reperiuntur nisi in fundo maris: lapides preciosi non nisi in aviarum præcipitiis Rupium: secundo in statu gratiæ Deus est absconditus in carne, remissio peccatorum in aquis baptismatis, gratia sub egenis elementis, Christus sub specie vini & panis. Tandem in statu gloriæ, omnis gloria filii & Regis ab intus, vita Sanctorum est abscondita cum Christo in Deo. *Et nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus bona diligentibus se*, 1. Corinth. cap. 2. vers. 9. ex Isaïæ c. 64. v. 4.

Propterea etiam Christus Deus natricium suum, Custodem, Tutorem, Salvatorem, Patrem latere voluit: propterea Evangelium tam pauca de eo profert: propterea Ecclesia de eo tantum & tam altè siluit: isto nimirum exemplo, inquit R. P. Fullonius Jesaita Leod. ad lib. 2. Mach. cap. 4. sect. 3. monendi eramus, laudes, existimationem, approbationem, etiam quæ à viris probis & spiritualiter judicantibus proveniunt, non esse magnificandas: curari non debere, ut non curavit nosset Sanctus Iosephus, judicium & gloriam quæ cum tempore volvitur, sed eam quæ perstat cum ævo sempiterno: vitam nostram cum Christo, cum Mariâ, cum Iosepho, nos debere procurare absconditam, nisi Deus voluerit illam manifestatam, non id esse altissimum flumen, quod majori sonitu defluit, neque opulentius conchylium, cui striata melius cochlea, aut levigata nitescit: neque illum ditiozem mercatorem, qui plus mercium exponit, neque magnificentiozem Principem qui Palatiorum frontes habet ornatiores: sed fluminis altitudinem ab alveo, qui later, metiendam: pretium conchylii ab incluso margarito statuendum: mercatoris divitias attendendas esse in recessu: Principis magnificentiam in interioris aulae apparatu,

ratu, pompa, nitore spectandam: Ita à simili eos non esse sanctiores qui plus habent speciei & nominis, quorum facta oculos magis & aures feriunt, sed qui in interiore hominis corde, ubi Pater videt in abscondito, perfectius operantur.

XXI. Pro tertio humilitatis ejus argumento, considerandus est Divus Josephus post nuptias. Certè si necdum virgini conjunctus talia dedit argumenta suæ humilitatis, credemus ne post conjunctionem minus fuisse humilem? ergo ne cum illâ intumescere vel ab humilitate suâ recedere didicisset? è contra hæc virtutum Mater fecunda, profundiores adhuc in ejus pectore egit radices: Et certè quomodò fieri potuisset, ut anima tam benè disposita non evasisset humilior in convitio tantæ Virginis, quæ cum esset Dei Mater, erat tamen tam humilis, tam abjecta, in oculis suis? sed quomodo non fuisset factus sibi ipsi vilior, videns ante oculos suos filium altissimi factum infantem, positum in præsepio bestiarum, tam pauperem, tam humilem, tam parvum, tam absconditum? Quomodo non se usque ad imum nihili sui se abjecisset, videns ipsum æternum Deum oculis suis, universi creatorem diu & noctu ante se humiliatum, sibi subditum, & humillimè obtemperantem?

XXII. Hæc ratiocinatio adeò justa est, ut nulla alia probatione opus esset ad obtinendum cujusvis rectè judicantis assensum, ex quo maximè tam pauca de Sancto isto divinum dixerit Evangelium: sed ecce tamen adhuc ex illo ejusdem virtutis vestigia, & argumenta.

XXIII. Primò in stabulo Bethleemitico ibi observo quod nato Christo, Pastores qui erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum, ab Angelo moniti ad illud advenerint, quodque invenerint Mariam & Joseph & infantem positum in præsepio, Luc. cap. 2. v. 16. At dum Evangelium loquitur de adventu Magorum ad idem stabulum, non facit mentionem ullam tunc Divi Josephi, sed dicit simpliciter Matthæus cap. 2. *Invenerunt puerum cum Mariâ Matre*

ejus & procidentes adoraverunt eum. Quid hic Mysterii? Certè nullo modo probabile est Divum Josephum in hæc ultimâ occasione, si non adfuit, adeò abfuisse, ut non potuerit non adfuisse dum ibi essent Magi; quandoquidem hi ab inde non discesserint valdè subito, sed ibi saltem reliquum istius Dei & noctem exegerint sequentem, moniti sunt enim ibi in somnis ne redirent ad Herodem, & idè per aliam viam reversi sunt in Regionem suam, ut dicitur Matth. cap. 2. v. 12.

Idemque sentit mecum Gerson Cancellarius Parisiensis in suâ Josephina, dist. 9. ubi sic ille.

Invenisse Joseph Pastores littera tradit. Mentio nulla fit hic, sed qualiter hujus honoris

Hujus mysterii mässe putabitur exors; Præsertim Reges qui non cessere repente:

De reditu verito nam somnis visio facta est,

..... An sola relicta videtur

Mater cum puero, quando vaga fama per urbem

Insonuit totam, Reges venisse potentes In dromedaris, in pulchro & divite cultu?

Restat ergo dicendum Divum Josephum ibi tunc non apparuisse, sed non longè ab inde se occultum tenuisse, donec discederent: Quare autem hoc? utique quia hi erant Reges cum multo comitatu, cum pompâ, fulgore, & gloriâ: & idè hic se abscondit, vel non apparet, qui apparuerat coram Pastoribus, coram exiguis & simplicibus. Nunquid in hoc non est humilitas? Quod si Divus Cyprianus tract. de Nativ. Christi, de his Pastoribus, qui ab Angelo ad Christi cunas vocati sunt ait: *Electa adest humilium personarum simplicitas, ut poneretur Regula, & in dissolubilis daretur forma, quod non nisi pauperibus Spiritu Christi pater humilitas, nec superbos ad intuitum sui posset admittere veritas.* Vide quàm humilis debuit esse Divus Joseph, qui tam familiariter, tam continuo, tam diu, tam intimè ei adfuit?

Secundò, in Præsentatione Christi: **XXVI;** hoc ut fiat clarum, advertet quod ex lege

XXIV:

XXV.

lege Levitici cap. 12. tenebantur Judæi pro natis suis adimpletis Purificationis diebus offerre agnum unum Deo in holocaustum, & turturem unam, aut pullum columbæ pro peccato, vel casu quo non invenisset manus alicujus unde haberet agnum, loco illius aliam turturem, vel secundum pullum columbæ: Ita quod si potuisset invenire ut agnum posset offerre, tenebatur absolute agnum offerre: vide caput citatum Levitici, ubi res hæc clarissima est. Atqui Joseph & Maria in Præsentatione Christi non agnum obtulerunt, sed par turturum aut duos pullos columbarum Luc. cap. 2. vers. 23. & 24. Signum ergo est quod non invenerit manus Josephi & Mariæ unde agnum offerrent, quem procul dubio obtulissent, si habere potuissent, cum essent uterque legis observantissimi, & sectatores zelantissimi ejus quod perfectius esse poterat, quod certè non ignorabant, quia erant illustratissimi. Sed quomodo potest ita esse quandoquidem non ita pridem munera pretiosa, ac quidem aurum inter alia à Regibus Magis acceperant? quæ tam citò expendisse non est probabile, nec agnus tanti valoris sit, ut pro eo habendo multa pecuniâ opus fuerit.

XXVII. Huic difficultati non difficilis responsio: Erogaverat jam Divus Josephus in pauperes, quæ ex Magorum preciosis muneribus provenierant; adeo amans erat sanctæ ac beatæ paupertatis, quæ nutritrix est humilitatis, sicque sibi in suâ humili complacebat conditione. Et licet prævideret futurum, ut intra paucos dies offerre deberet puerum JESUM in Templo, non tamen reservavit ex muneribus istis nequidem unde agnum emere posset offerendum, quia non minus futurus erat religiosus turturem aut columbæ pullum offerendo, & tamen sic faciendo, exercebat non solum charitatem & misericordiam in pauperes illa eis erogando, & paupertatem illa à se abdicando, sed etiam sanctam Humilitatem quæ oculos fugit, soli Deo, in quem solum intendit placere cupiens.

XXVIII. Tertio, tandem cum JESUM duodennem in Jerusalem perditum (ipso

utique ab illis se subducente) post triduum invenisset in Templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem eos, & suus esset hic puer Jesus, essetque verè illius Pater; Mater quoque pueri, uxor sua foret, & ipse istius familiæ caput, cui uterque humillimè subditus erat, quamvis ipse, ut Mater, dolorem de ejus amissione sensisset, & de inventionem gaudium, non tamen elatus est gaudio illo quo perfundebatur, ut præsumpserit puero dicere quidquam, sed totum Matri ex reverentiâ ac si ipse nihil esset, reliquit; adeo modestus erat & parvus in oculis suis. Quare hæc Filio suo tam pro se, quam pro Sponso suo ipsum tamen sibi præferens, & de humilitate cum ipso decertans, dixit: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*

Cum ergo Divus Josephus tam humilis fuerit, quid mirum si tantum à Deo sublimatus? Cum tam profundas miserit radices deorsum, quid mirum si tantum fecerit fructum sursum? Quare appositè valdè Ecclesia ad introitum Missæ de illo cum comparat Palmam dicens, *Iustus ut Palma florebit.* Ut enim observant Philosophi naturales, & experientia docet, in Palmâ profunditas radicum illius, est mensura altitudinis trunci & ramorum ejus, eademque proportione surgit & expanditur ramis in altum, quâ deprimatur & dilatatur radicibus deorsum.

CAPUT II.

De Divi Josephi perfectissimâ Obedientiâ.

PRIMUS humilitatis fortis, est obedientia: nec enim hæc sine illa verè stare potest: Quid enim est Obedientia propriè loquendo? est humilis subjectio iudicii mei ut approbem quod ab autoritate superiore præcipitur: voluntatis utilitatem amplectar & velim: & totius mei ipsius, ut illud ipsum exequar. Atque in hac quidem obedientiâ tria potissimum consideranda: Primum, cui illa præstanda: Secundum, in quibus: Tertium,

Tertium, quomodo: tum enim verè unusquisque perfectus obediens dicitur, cum hæc tria perfectè impleverit, id est cum, primò, illis quibus debet; secundò, in omnibus in quibus debet; tertio, eo modo quo debet, obedientiam præstiterit: In quibus omnibus quantum Divus Josephus eminuert, (propter quod obedientiam ejus perfectissimam in titulo pronuntiavimus) hic discutiendum. Sed priùs

I. I. Observandum quemlibet hominem triplicem quodammodo gerere personam tres status seu Respublicas ad quas pertinet, & in quibus vivit: Vivit enim in mundo, ut homo: in Ecclesiâ, ut fidelis: in Patriâ, ut civis. Est in mundo ut homo communi conditione, est in Ecclesiâ ut fidelis Dei misericordis vocatione, est in Patriâ, ut civis vel nativitate, vel suâ electione: Ut homo in mundo, debet obedientiam Deo ut auctori naturæ: ut fidelis in Ecclesiâ debet eidem in Rectoribus & Pastoribus obedientiam, ut auctori gratiæ: ut civis in Patriâ debet ei obedientiam in Principibus & Magistratibus, ut auctori ordinis & politiæ. Non est enim potestas nisi à Deo, inquit Apostolus ad Rom. cap. 13. vers. 1. Et Deus ipse Proverb. cap. 8. vers. 15. *Per me Reges regnant, & legum consiliores justa decernunt.*

III. Porro trium istorum Regnorum seu Statuum, Mundi, Ecclesiæ, Patriæ, & cujusque membri illorum anima, sunt leges: Anima mundi & cujusque in illo hominis, est lex naturalis: Anima religionis & in illâ cujusque fidelis, est Evangelium: Anima patriæ & in eâ cujusque civis, sunt leges politicæ & civiles. Quamdiu anima in corpore & membris, unumquodque illorum vivificat, vegetat, & ad actiones sibi proprias movet. Abeat anima, abibunt omnia, & ubi ante venustas, nil nisi vermes, putredo, cinis. Ista in illis omnibus statibus, Mundo, Ecclesiâ, Patriâ: quamdiu lex sartatecta eos animat, omnia vernant, florent omnia: Leges si tollas, nil nisi chaos, confusio, horror.

IV. Alligetur ergo unusquisque hominum, fidelium, civium, legibus mundi, Religionis, Patriæ, ut animæ suæ, sine

quibus homo non homo, fidelis non fidelis, civis non civis, sed cadaver tantum, & spectrum hominis, fidelis, civis. Hoc nostro sensu dixit Ecclesiastes cap. 12. v. 13. *Deum time, & mandata ejus serva, hoc est omnis homo.* Quid namque ista causalis enim, & istud hoc omnis homo. An sine timore Dei & mandatorum ejus observantiâ homo non homo? an cum hæc & illo homo plusquam unus homo? Ita planè certo utique modo. Quomodo hoc? homo, iterum dico, est homo in mundo, est fidelis in Ecclesiâ, est civis in Patriâ. Timeat Deum, qui præsidet istis tribus statibus, & ab hoc descendat ad observantiam legum omnium istorum statutum, quæ sunt ab ipso, & sic erit verè *omnis homo*: hoc est verus homo, verus fidelis, verus civis: aliàs non erit nisi simulachrum hominis, fidelis, civis: seu potius tinea & pestis mundi, Religionis, patriæ: hoc quoque vidit Diogenes Philosophus gentilis, qui hominem quærabat in confertâ multitudine, in populosissimâ civitate, medio die, cum lampade accensâ, in pleno foro, in planeis, per Compita.

V. Verum enim verò cum Obedientia ex Divo Thomâ secundâ secundæ quæst. 104. sit pars justitiæ quædam, licet hæc virtute subdit omnes & divi nâ & naturali lege suos omnes Præfectos etiam Sæculares & Civiles colere debeant, Dei tamen, atque aliorum istiusmodi Præfectorum habitâ differentia: quemadmodum enim naturalia omnia naturæ, ita quæ liberum habent arbitrium sine ullâ exceptione divinis præceptis, justitiæ necessitate in omnibus parère oportet; at obedientia homini præstanda certis est circumscripta limitibus, neque in omnibus promiscuè vel servus Domino, vel vassallus Principi, vel Filius Patri, vel miles Duci, vel Religiosus Prælato, obtemperare tenetur, sed in iis dumtaxat quæ præipientis potestati subiecta, sublimiori authoritati non repugnant: Et hæc fuit obedientiæ Divi Josephi amussis & norma: Obedivit Deo ut Deo, obedivit Sacerdoti, obedivit Cæsari, obedivit Hærodi, obedivit Magistratui, uti ejus ministris: obedivit Deo

G g g

Deo

Deo in omnibus, Sacerdotibus in divinis, Cæsari, Herodi, Magistratui in Politicis & Civilibus: & obediuit simpliciter absque discussione, celeriter & non ex desidia, hilariter & non ex tristitia aut necessitate. Hæc sunt objecta, partes, & modi veræ ac perfectæ obedientiæ.

SECTIO PRIMA.

Obediuit Divus Josephus ut homo Deo ut Authori naturæ.

- VI. **D**Eus est Author naturæ quia Creator est, etiam & gratiæ quia Redemptor simul & Remunerator: In utroque statu illo ei obediendum, & primò quidem oportet hominem perfecte subijci & acquiescere voluntati ac dispositioni Dei ut est Author naturæ, Rector mundi, in quo ipse est ut homo.
- VII. Hujus status leges nihil aliud sunt quam generales Divinæ Providentiæ & gubernationis effectus, quales sunt ordo & series partium hujus mundi, ortus rerum & occasus, vicissitudines & revolutiones temporum, varietas fortunæ & casuum ejus, qui respectu nostri accidenti dicuntur casusq; fortuiti, sed respectu Dei sunt ex proposito voluntatis suæ. Satis est in hanc lucem venisse, ut legibus istis obnoxii simus, pro ut de facto sumus, volentes nolentes: Illud tamen addendum quod etsi illius obnoxium esse sit necessitas inevitabilis, possumus ea nihilominus in bonum convertere, tolerabilia reddere & efficere, ut Cælum nobis valeant: quomodo? per debitam voluntatis nostræ cum divinâ, rectissimâ, justissimâ, & omnipotentissimâ (quæ omnia ista pro nutu suo agit, volvit & revolvit) conformatiōnem.
- VIII. Feram ergo spontè ut dies & noctes sibi succedant, & conatus ac studia mea ista vicissitudine, vel abrumpan & perdant, vel retardent: ut æstas me suo ardore urat, Hyemsque suo rigore, ut tonitru me terreat & fulgur indiscriminatim omnia feriat:

ut pluvia me in itinere perfundat; ut siccitate ager meus arecat: fortunam patiar sine animi dejectione adversam, sine elatione prosperam, sine alteratione abeuntem & redeuntem, miscentem adversa prosperis tristitia lætis: excipiam tranquillus morbos post sanitatem, & dum advenerit, mortem meorum & meam; quia leges sunt quibus mundi Rector suam regit rempublicam: quibus Christianè accinit gentilis Seneca epist. 104. *Nubilo, inquit, serena succedunt, turbantur maria cum quieverint, stant invicem venti: noctem dies sequitur, pars cæli conjurget, pars mergitur, contrariis rerum aternitas constat: ad hanc legem noster animus aptandus est, hanc sequatur, huic pareat, & quacumque sunt debuisse fieri putet, nec velit objurgare naturam: optimum est pati quod emendare non possis, & Deum, quo Authore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari: & hic est magnus animus qui se Deo tradidit, at contra ille pusillus ac deneger, qui oblectatur, & de oratione mundi malè existimans, emendare mavult Deos quam se. Quid christianius si tamen addideris quæ adhuc idem Seneca epist. 86. *Non ex ebore tarzum Phidias sciebat facere simulachra, faciebat ex are: si marmor illi, si adhuc vilior em materiam obtulisses, fecisset quale ex illâ fieri optimum posset, sic sapiens virtutem si licebit, in divitiis explicabit, si minus in paupertate: si poterit in patria, si minus in exilio: si poterit, Imperator: si minus miles: si poterit, integer, si minus debilis. Quancumq; fortunam acciperit aliquid ex illâ memorabile faciet.**

Quis in hoc ordine Divo Josepho in obedientiâ æquiparandus? securus est ille Deum quâcumque libuit ducentem: sed ducentem quâ? non per arenam, sed per lutosa, non per plana, sed per salebrosa: non per mollia, sed per aspera. Quis talem fortunam qualem ille expertus est, & animo tam pacato & tranquillo? *Ita affecti sumus, inquit Seneca lib. de consol. ad Helviam, ut nihil apud nos æquè magnam admirationem occupet, quam homo fortiter miser, & spectaculum sit dignum ad quod respiciat intentus operi suo Deus, vir fortis cum malâ fortunâ compositus. Ecce tibi Divum Josephum, si nullus unquam, talem,*

talem, cum malâ fortunâ luctantem, & eluctantem, filium Regum, pauperem & contentum.

X. Non fecit ille ut plerique nostrum quibus nihil in ore frequentius quàm istud, *Fiat voluntas tua sicut in celo & in terris* & nihil minus in corde. Quotus quisque enim nostrum est, qui hoc dicens non faciat sicut ille, qui amico suo preciosum monile offerens, precibusque diu instans, ut accipiat, illo manum ad oblatum porrigente suam ipse protinus retrahit: Non ita, inquam, Divus Iosephus, qui, & ore continuo verfabat illa verba *Fiat in me voluntas tua*, referente Sanctâ Brigittâ lib. 6. Revelat. cap. 59. ita & mente ad illam se perfectissimè obtulit, & per omnia ac semper paratus exitit: flexanimis Deo ad eò, ut quocumque volebat duceret statim: voluit ipsum ex Rege pauperem, dixit ille animo prono, volenti & demisso, fiat: Voluit illum laborare, laboravit; sudare, sudavit; algere, alsit; peregrinari, peregrinatus est; exulare, exulavit; contemptibilem esse, gavitus est.

XI. In hoc etiam ordine Mors ipsius ferriò observanda. Sanctus Pater noster & Dei Propheta Elias ante Christum optavit mortem pertæsus vitam: alii Sancti etiam eam optaverunt, sed ideò quia positi procul à Christo optabant vivere cum illo: Sed tu, ò Patriarcharum Sanctissime! qui vivebas hic cum eo, quomodo voluisti mori, & sic separari ab illo? Apostolus Paulus ad Philipp. cap. 1. cupit dissolvi ut esset cum Christo qui erat in celo, sed tu qui es hic cum illo cupis dissolvi & esse ab illo, ejusque suavissimâ quâ fruebaris præsentia privari: quid hoc est? Certè duas in isto Sanctissimo Viro distinguere debemus voluntates adversum se colluctantes, voluntatè scilicet manendi & fruendi Christo, & voluntatem obtemperandi Divinæ Providentiæ & dispositioni, ac sic moriendi, & discedendi ab eo: In primâ, erat delectatio summa, quâ perfundebatur in præsentia Filii sui & Sponsæ suæ: In secundâ, nihil nisi Divinum beneplacitum, non enim tunc adhuc patebat aditus ad Regna Cælorum, sed descensurus erat ad Sanctorum lymbum Patrum,

ibi que mansurus, donec ascenderet cum Filio suo, cælo ipsius morte referato: Et licet ex dispositione Dei deberet tunc mori, poterat tamen à Filio suo, qui etiam vitâ functos excitat, ob sublimissima sua apud ipsum merita dispensationem obtinere & prorogationem, quam tamen nec petere voluit: sed considerato hanc esse Dei voluntatem, ut tunc moreretur, huic divino pleneplacito se conformans fecit ut voluntas prima in se cederet secundæ, & sic sublimissimè conformavit se voluntati divinæ.

SECTIO II.

Obedivit Divus Iosephus ut Fidelis Deo ut Authori Gratia.

Secundò debet unusquisque hominum ut fidelis in Ecclesiâ, obedire Deo ut gratiæ Authori & Consummatori: debet, inquam, Sanctæ Religionis quam proficetur scita ac Leges amplecti: quæ antiquiserant lex scripta, nobis Evangelium & Ecclesiæ mandata. Christianus es, vide ne nomen vacuum & inane portes: ah quale crimen in fundo Christi, hoc est animâ Baptismi obligatâ caractere, stygis imperium erigere. Quale crimen in Ecclesiâ Sacrosanctis Mysteriis participare, Angelicæ Mensæ accumbere, & ad instar dæmonum procarî? lege Christianum dici, & moribus esse Scytham?

Mandatis ab his nunquam Divus Iosephus ne vel latum unguem discessit unquam: nec in his solum religiosa ejus Obedientia explorata est, sed etiam in aliis extraordinariis ac quidem maximè arduis & difficilibus probata.

Docent Medici filios nasci cum inclinatione vehementi ad illa, ad quæ eorum parentes cogitabant & quibus afficiebantur tempore generationis eorum: Atqui dum generabatur Divus Iosephus, parentes ex quibus genitus est, non agebant ex libidine, sed ex studio & voluntate obtemperandi legi Dei: genitus est enim ut diximus in

Ggg 2 supe.

XII

XIII

XIV

superioribus à Jacob in uxore Heli fratris sui sine liberis defuncti ex præcepto legis Deuteronomii c. 25. Ergo natus est cum vehementi propensione & naturali quâdam inclinatione ad observantiam legis, in quam intendebant ejus parentes in illius generatione. Quid mirum ergo si in obedientiâ excelluit ille qui ad eam à naturâ præparatus est.

XV. In actuali legis observantiâ genitus, in eadem quoque deprehensus est quando evehctus ad desponsationem Virginis. Monuimus enim supra Parte 2. Tractatu 1. cap. 13. num. 5. cum dandus esset dignus illibata Virgini Sponsus id factum ex oraculi decreto, ratione cujus Sacerdotes nati sunt occasionem solemnitatis Enceniorum, ad quam celebrandam ex præcepto legis convenire solebant Judæi, maximè verò qui erant ex Tribu Judâ: Cujus concursus ratione facile fuit in nuptos ex præfata Tribu ad conditam diem convocare, ut ei cujus virga florisset, Virginem in Sponsam juxta Oraculi responsum traderent. Quare cum Divus Josephus per omnia Legis observantissimus, in Jerusalem ad festum ascendisset, & ad jussionem Sacerdotum adiuvisset, virgâ ejus solâ inter cæteras Contribulium suorum se in flores explicante, manifestè omnibus apparuit eum a Deo electum, cui Virgo tradenda erat.

XVI. Cum verò in actuali obedientiâ & præcepto Legis jubentis adesse solemnitati, & Sacerdotis præcipientis adesse concursui, factus est Divus Josephus Virginis Sponsus, observarunt Sancti Patres, non tantum virgam ejus se in flores explicuisse, sed etiam Spiritum Sanctum in specie candidissimæ columbæ in eum devolasse, & ejus capiti consedisse, ut quid hoc? nisi ut manifestum fieret ex tunc Spiritum Sanctum ejus possessionem solemnem accepisse, ut deinceps ille non nisi ex ejus motu & ductu seageret.

XVII. Et verò undè ille Mariam duxit in uxorem? unde cum eâ virginitatem servavit illibatam? unde inventam gravidam nesciens adhuc mysterium non traduxit? unde in Bethleem jamjam parituram, non tam ad descriptio-

nem (ad quam non erat necessaria illa) quàm ut ibi juxta Dei promissum Filium suum pareret advexit? unde pro Filio suo, expletis purgationis diebus, par turturum aut duos pullos columbarum potius quàm agnum obtulit? undè in Ægyptum pro salute Matris & Prolis cum utroque aufugit? unde sublato periculo, in terram Israel redire jussus, audito quod Archelaus regnaret in Judæâ pro Herode Patre suo, hæc relicta pro pueri securitate ad partes Galilææ secessit? &c. Nisi ex hoc Spiritus Sancti ductu, nunquam ejus restitit impulsui, quin è contra, omni semper conatu illum secutus est, nec in ullo unquam defuit gratiæ Dei. Quæ ista obedientiâ?

Ex hæc obedientiâ Christum circumcidit, ei quæ nomen JESU imposuit. Cujus obedientiæ gravissimam circumstantiam ex profunda meditatione supra hac Parte 2. Tractatu 2. c. 20. num. 64. & sequentibus habes. Vide ibi ne idem bis repetamus. Ex hac quoque obedientiâ, *Postquam consummati sunt dies Purgationis Maria tulit IESUM in Jerusalem ut sciret eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* Luc. cap. 2. vers. 22. & 23. Ex hac dedit pro eo hostiam secundum quod dictum est in lege Domini par turturum aut duos pullos columbarum, Lucæ cap. 2. vers. 24. Ex hac denique per singulos annos veniebant in solemnitatibus cum Coniuge sua ad dies festos solemnnes in Jerusalem è Nazareth, Lucæ cap. 2. vers. 41.

In quâ obedientiâ illud non est prætereundum quod eò contigit cum factus esset JESUS annorum duodecim: cum enim tunc ad festum de more ascendisset, & dies festos consummasset, perdidit JESUM, quo nihil ei molestius accidere poterat. Quod Saül offerens Sacrificium amittit regnum & Dei gratiam 1. Reg. cap. 23. quod Ozias incensum offerens leprâ cooperiatur, 4. Reg. cap. 15. & 2. Paralip. cap. 26. nihil mirum, quia licet hi bona agerent, non tamen benè. At Divus Josephus, cum Beatâ coniuge religiosissimè hoc præceptum adimpleverant, & omnia cum summâ perfectione consummarant, & tamen Christum amittunt:

tunt: sed hæc est probatio fortissimorum ac perfectorum. Sic contigit Jobo, sic Tobia, sic aliis justis: obtulerat Holocausta Job pro filiis, ne fortè peccassent: optima Patris oratio pro filio ne peccet filius, aut si peccavit ut ei dimittatur, & tamen mediâ die post oblatum sacrificium domus corrui & filii pereunt. Redibat Tobias à mortui in medijs plateis jacentis laboriosâ sepulturâ, pro quâ etiam dimiserat prandium suum, nec eâ die comederat, & reversus dum festum labore corpus recreare putat excecatur: sic Divo contigit Josepho: obsequitur legi per quam religiosissimè, festum celebrat per quam devotissimè, nec ullus eo & conjugè suâ melius, aut tam benè, & tunc puerum perdit quo nihil ei tristius: si ergo videtis te cum benè egeris mala invenire, probatio justis est, ne doleas nec despondeas animum, sed Deo gratias age.

SECTIO III.

Summum hujus obedientiæ Divi Josephi argumentum.

XX. **P**erfecta tunc obedientia censetur, & verè est, ut docent Sancti Patres quando obeditur simpliciter absque discussione, celeriter & non ex desidiâ, hilariter & non ex tristitiâ aut necessitate, constanter non cedendo arduis occurrentibus, & perseveranter non deficiendò. *Verus obediens*, inquit Divus Bernardus de præcept. & dispensat. *Mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit ut mandatum peragat imperantis, non attendit verus obediens quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus quod præcipitur.*

XXI. Præclarissimum vide hujus perfectæ obedientiæ si unquam fuit in Divo Josepho testimoniû apud Matthæum cap. 2. in ipsius fugâ cum Matre & Puero in Ægyptum ad monitionem Angeli: instabat pullulo Jessu, instabat & Virgini parenti sævus Herodes, & prope ferrum eorum cervicibus impendebat, quando Divo Josepho nil

minus cogitanti, *Apparuit Angelus in somnis dicens surge, accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi, futurum est enim ut Herodes querat puerum ad perdendum, & exurgens à somno fecit sicut præceperat illi Angelus.*

Hic verba singula, singulæ expendendæ circumstantiæ hujus facti, habent enim omnia quoddam obedientiæ pondus immensum. Itaque ponderandum. Primò, cui parat? Secundò, in quo? Tertio, quomodo? Quarto, quàm simpliciter? Quintò, quàm promptè? Sextò, quàm constanter?

Primò, Angelus est qui ei apparet, & qui per fugam proliq; matriq; consulere jubet: & ille ipse Angelus qui paulò ante nunciarat eum quem nunc salvare jubet, esse Salvatorem omnium. Divus Hieronymus in Matth. cap. 2. vers. 12. observat quòd adorato à Magis in cunis Domino, dum de reditu cogitant responsum acceperint in somnis, ne redirent ad Herodem, non dicitur autem à quonam acceperint istud Responsum, cum tamen ibidem versu immediatè sequenti explicite dicat Angelum fuisse qui in somnis apparuit Joseph, & monuit de viâ arripendâ: Quid hoc? censent Interpretes cum de Angelo nulla fiat mentio in responso dato Magis in somnis, uti in hoc casu Divi Josephi immediatè sequenti, ab ipso Deo immediatè fuisse responsum datum Magis: Rationem discriminis reddit Divus Hieronymus citatus, cujus verba refero, si fortè in eis aliquid non ita vulgare expendere liceat: *Responsum autem, inquit, Magis non per Angelum fit, sed per ipsum Dominum, ut meritum Josephi privilegium demonstraretur.*

Sed instabis, quare ex hoc quòd responsum datur Divo Josepho per Angelum, Magis verò per Deum ipsum, demonstratur meritum Divi Josephi privilegium? contrarium enim potius primâ fronte videtur. Verùm citò dicâ ex hoc meritum D. Josephi privilegium supra Magos ostenditur, quoniam scilicet Magis ipse Deus ex certa Domini autoritate recitum imperare debuit, Josepho autem non sic, etiam in re longè difficiliore, sed

satis fuit nutum per quemdam de ministris insinuare: consummata ergo Iosephi obedientia ostenditur, dum tam promptè à cubili surgit, ut in re tam arduâ obediatur ad vocem ministri, ac si à Deo ipso excitatus fuisset & iussus.

XXV. Secundò, jubetur exire de terrâ suâ & de cognatione suâ, deserere domum suam & omnia sua, peregrinari in regionem longinquam, & exulare in terrâ ignotâ, barbarâ & incultâ, ubi homines efferrati, ubi nullus timor numinis, nullus amicus, nullus notus, per viam asperam & desertam, in loco horrois & vastæ solitudinis, sine comitatu, sine divitiis, sine duce, sine idiomate: nonne hic tentatur ut fortis?

XXVI. Jubetur Pater fidei nostræ Abraham egredi de terra suâ & de cognatione suâ, & domo Patris sui Genes. cap. 11. & quia fecit sicut præcepit ei Dominus, mirè extollitur à SS. Patribus: sed quid hæc obedientia si conferatur cum istâ Divi Iosephi? Mittitur quippè Abraham in terram quam ei daturus erat & semini ejus possidendam, eâ quam actualiter possidebat longè meliorem: duxit deinde secum Loth filium fratris sui: tulit præterea uterque universam substantiam suam quam possidebant, & animas quas fecerant in Haran: Denique plurima & magnifica ei promissâ proponit Deus, ut cum alliciat ad iussa peragenda, quorum omnium nihil invenimus in hæc Divi Iosephi obedientiâ: nonne ergo tentatur ut fortis?

XXVII. Sed quandoquidem imminabat Pueri periculum, quare cum moniti sunt Magi ne redirent ad Herodem, non est monitus simul D. Iosephus ut eis se adjungeret, & unâ cum illis in Persidem secederet: hoc enim pacto (præterquam quod omnia securissima fuissent) fuisset illi melius & charissimis suis pignoribus: vel si manendum donec dies purgationis Mariæ expleantur, & puer Deo oblatuisset, cur rebus istis peractis non mittuntur in regionem eorundem Magorum ubi ab illis in honore & pretio habiti fuissent? ut impleretur, inquit, *Quod dictum est à Domino ex Ægypto vocari*

filium meum, Matth. cap. 2. vers. 15. Sed ut bene notavit Toftatus in hunc locum Matthæi quæst. 61. non est credendum ita factum quia sic scriptum fuit, sed potius è contra ita scriptum fuit, quia sic Deus fieri volebat: quærimus autem hic cur Deus ita voluerit potius quàm isto modo? Quare respondeo primò, ex Imperfecto nostro in Matth. Homil. 2. ad cum locum: *Post Ægypti olim grave delictum, post multiplices plagas divinitus irrogatas, Deus Pater omnipotens qui non in finem irascitur recordatus misericordie suæ, Filium suum misit in Ægyptum, ut que jam dudum sub Moysè debitas scelerum suorum penas exenderat, veniente ad ipsam Christo magna reconciliationis signum & spem accipiat.*

Respondeo secundò cum Patre nostro Sylveira tomo 1. in Evang. lib. 1. cap. 7. quæst. 7. numer. 37. Sciebat Dominus quod Innocentes ob sui causam ab impio Herode essent perimendi, pro tali ergo tempore ipse etiam ærumnosæ & molestissimæ peregrinationi, & exilio, se subiecit: Dum enim sui erant sub truculenti gladio tyranni, noluit ipse in divitiis Orientalibus, ac regniis voluptuari delictis: sed ut magis ad rem nostram accederem.

Respondeo tertio, Deum in hoc ad Divi Iosephi majus meritum attendisse, quod sine dubio excrevit in immensum per labores, quos sustinuit fortiter eundo in Ægyptum, & ibi manendo, quos minimè pertulisset, sicum Magis, vel ad illos in Orientem profectus fuisset.

Sed pro majori elucidatione laborum à Divo Iosepho in hoc itinere ex obedientiâ atrepto emensorum, tria statuenda. Primùm, quis fuerit locus ad quem se conferre debuit: Secundùm, quis ille à quo fugam coepit: Tertium, quæ distantia ab hoc ad istum? Et quidem quoad primum, locus ad quem perrexit, & in quo demoratus est, vocatur Civitas Solis, & colligitur ex Isaia cap. 19. vers. 18. Heliopolis autem quæ est Civitas maxima totius Ægypti est idem Græcè, quod Civitas Solis apud Isaia Latinè: ita Divus Anselmus,

Anselmus, Divus Paschasius, Hugo Cardinalis, Christianus Grammaticus, & Abulensis citatus.

XXXI. Quantum ad secundum incepisse fugam ab Jerusalem volunt Beda, Cajetanus, Jansenius, & ex nostris Guido Perpinianus & Thom. Beauxamis quorum fundamentum est quod Mattheus c. 2. v. 13. Adorationi Magorum subjungat statim hanc fugam, dicens: *Qui (idest Magi) cum recessissent ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens, Surge accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Aegyptum, &c.* Ita ut ab illa monitione venerint ex Bethleem in Jerusalem ad Purificationem & Praesentationem, & ea peracta perrexerint in Aegyptum. Alii volunt incepisse à Nazareth quò reversus est post Purificationem, ibique monitum fuisse de fugà capessendà, ita Origenes, Divus Chrysostomus homil. 9. in Matth. Theophylactus, Anselmus, Euthymius in Matth. Suarez 3. part. quaest. 23. art. 4. disp. 17. sect. 1. qui citat Tatian. & Ammonium Alexandr. in harmon. Evang. Abulensis in cap. 1. Matthæi quaest. 57. & noster Sylveira tomo 1. in Evang. lib. 2. cap. 6. quaest. 17. probant hi suam sententiam ex Luc. cap. 2. ubi descriptionem Purificationis Mariæ & Praesentationis Christi in Templo, claudit his verbis vers. 39. *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaam in Civitatem suam Nazareth.* Et ad fundamentum prioris sententiæ respondent illud ecce in textu mox citato Matthæi non significare connexionem inter res narratas (cùm constet inter discessum Magorum & fugam in Aegyptum intercessisse illud tempus quod fluxit à reditu Magorum usque ad Purificationem, idest viginti quinque dies) sed esse appositum ad ligandum sermonem: & hæc secunda sententia meo videri verior & amplectenda.

XXXII. Quantum ad distantiam seu interpedinem inter Nazareth à quâ, & Heliopolim ad quam migravit: Abulensis mox citatus quem communiter sequuntur omnes, à Gazâ, quæ est contermina Regni Aegypti, usque ad Heliopolim numerat septuaginta leucas, quæ constat tribus millibus Italicis, in

quâ viâ sunt tantum viginti leucæ arabiles & competentis habitationis, reliquæ autem quinquaginta sunt vastissimum desertum. Brocardus autem à Gazâ usque ad Hebron ponit iter unius diei: ab Hebron usque ad Jerusalem octo leucas horarias: ab Jerusalem usque Nazareth viginti septem leucas: Conficiunt in simul centum quinque leucas, & iter unius diei, quibus addendæ viginti septem leucæ redditus ab Jerusalem post Purificationem in Nazareth, ac sic fecit centum triginta duas leucas, & iter unius diei. Divus Bonaventura de Meditat. Christi cap. 12. dicit quod ad istud conficiendum Cursor impenderet quindécim dies, ad minus duodecim.

Hanc viam confecit Divus Josephus, & licet pateret ei via facilior per mare in Aegyptum, elegit tamen ire pedes per viam terrestrem ex communi omnium sententiâ, tùm ne cum periculo pignorum sibi concreditorum diu expectare cogeretur in portu, usque dum navis aliqua solveret in Aegyptum, tùm quia maris navigatio fuisset non parùm tenero Infanti & Matri delicatæ ac inassuetæ nociva, saltém periculosissima.

Et jubetur excedere vix reversus ex Jerusalem in Nazareth, necdum saltém itineris satis longi qui viginti septem, ut diximus, leucarum seu octoginta & unius millium Italicorum labore recreatus, tantum iter arripere per alpèra, per montosa, per palustria, per locum horroris & vastissimæ solitudinis. Nox erat tunc in tempesta quieti danda & somno, non itineri, maximè verò Infanti & Virgunculæ Matri: Hyems erat & quidem seva, spirabant frigidi Aquilones, è nube gravidâ fortè nix cadebat densa, vel pluvia crebra, quæ & eos perfundebar, & vias reddebat invias: quomodo viam talem inerat Virgo? quomodo Jesus? quomodo Josephus ipse? sed quomodo tam longâ, tam difficilem? Jacebat Infans, jacebat & Mater in lectulo, quomodo ex eo surgere faciet & hanc & illum mediâ nocte, abrupto præproperè somno? facit tamen: Accipit propterea Puerum, & vel ut Matri solatio sit, vel ut tenelluli membra frigore rigentia

foveas

foveat, in ulnas desert: Nec equo portatur aut lecticâ, nec rhedâ vehitur qui cælos digito appendit. Portatur à Josepho stupente naturâ, stupentibus Angelis, dulce quidem pondus & amanti leve: sed tamen pondus, & hoc duce obedientiâ. O quoties in tanto itinere tramitem relinquere, & deflectendo per avia etiam longissimè viam requirere coacti sunt benè madidi, benè fatigati, vix panc satiati, solis fortè radicibus & herbis sylvestribus recreati. O miram obedientiam in re tam difficili! non obmurmuravit, non cunctatus est, non conquestus est de itinere longitudine, de importuno noctis tempore, de hyeme, de inopinatâ & improvisâ profectioe, de inopiâ ad expensas faciendas maximè per iter ignotum, desertum, barbarum, horridum & incultum. Ex quibus facilè est concludere si talem Vir Sanctissimus præstiterit obedientiam in tam arduis, quid fecerit in aliis.

XXXV. Quarto inquirendum, quomodo obedivit? quàm promptè? quàm simpliciter? quàm constanter? dixit ei Angelus: *Surge accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi, futurum est enim ut Herodes querat puerum ad perdendum eum.* Quid ad hæc Divus Josephus? in re mire obscurâ, perplexâ, & difficillimâ, nihil locutus est, nihil interrogavit, nihil replicavit, nihil obmurmuravit. Sed *consurgens*, inquit Evangelista, *accepit Puerum & Matrem ejus nocte & secessit in Ægyptum, & erat ibi usque ab obitum Herodis Regis.* Hoc est non tantum fecit quod præcepit ei Angelus, sed etiam sicut præcepit. *Nisi enim*, inquit Divus Paschasius in hunc locum, *fiat sicut præcipitur, & non aliud quam præcipitur, & tum fiat, quando fieri præcipitur obedientia vera esse non potest.*

XXXVI. Promptitudinem obediendi huic cælesti monito probat illud participium, *Qui consurgens*, quod significat ipsum à strato in quo jacebat, continuo, & sublatâ omni morâ surrexisse, Puerum & Matrem accepisse, & eodem instanti iter arripuisse, quid promptius? Tam promptus fuit ut iret in Ægyptum seu in exilium, quam ut

rediret ex Ægypto in patriam suam, eisdem enim verbis Evangelista utrimque obediendi promptitudinem exprimit, ait enim hic & illic: *Qui consurgens accepit Puerum & Matrem ejus, & pro primo, secessit in Ægyptum, & pro secundo, venit in terram Israël:* imò promptior fuit ut iret in exilium: quia licet consurrexerit ut rediret ex Ægypto in patriam suam, sicut fecerat ut iret in exilium: Evangelista tamen observat quod profecturus in exilium non tantum consurrexerit, sed etiam quod ipsâ nocte acceperit Puerum & Matrem ejus, & secesserit in Ægypto. Esto enim dicatur hic quoque quod consurrexerit, non tamen quod ipsâ nocte acceperit puerum & Matrem ejus ut rediret in terram Israël, non tantum quia res non ita urgebat hic atque illic, sed etiam ut sciremus Sanctissimum Virum promptiorem fuisse obedire in contrariis & duris quàm in placentibus. O miram obedientiam!

Simplicitatem verò & constantiam in obediendo probant cætera. Nisi enim simplex fuisset & coeca ejus obedientia, quam multa poterat causari & objicere contra hæc tam extraordinaria mandata? neque, saltem in speciem, ad eò absurdè. Primò, enim poterat dicere si tu es ille Angelus qui mihi ante apparuisti, aut ab eo missus à quo ille, quomodo coherent hæc quæ tu mihi modo imperas, cum illis quæ ante, vel ab illo mihi ante dicta? si ille, quem jam vis me subducere Herodi, est opus Spiritus sancti, si est filius altissimi, si Salvator populi sui ut dixisti tunc, quid igitur timet Herodem id est hominem? quare ab hoc fugiat ille sub quo tremunt qui portat orbem, & ipsæ cæli columnæ? ille, inquam, cujus majestatem laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates? an non alia via, alius modus minus ignobilis se ab illo expediendi? an non potest efficere ut terra dehiscat, & illum vivum absorbeat? an non ex æthere fulmina in caput infandum evocare? an non è cælo accire Angelorum Legiones, quorum unus solus unâ nocte cætum octoginta quinque millia Assyriorum exercitus Sennacherib

Sennacherib potuit interficere? aut si non placet modò illa vis cœlestibus, cur non subtrahitur Infans captis oculis Herodis & Curialium ejus? id enim ei factu facile; & aliâ Deo viâ, eâque innumerâ perditum impediendi, coercendi, comprimendi, imò opprimendi. Cur ergo eligitur turpis fuga? sed cur in Ægyptum? in exulem terram, in extorre & arens solum? &, quod caput est, ab Idolis infame? denique si fugiendum in Ægyptum, cur non hoc indicatum cùm esset Jerosolymis ut parceretur labori quem suscepit ut rediret Jerosolymâ Nazarethum, ac deinde Nazaretho usque Ierosolymam, ut ex hinc pergeret in Ægyptum? cur ipsâ horâ quâ discedendum & non ante, ut daretur aliud quod tempus disponendi de rebus necessariis, & se ad tantum iter comparandi? hæc omnia sese objiciebant, mentem ejus pulsare poterant, sed vir justus perfectissimè Deo subditus nihil horum audit, tenet Dei verbum firmissimum, & sequitur præcipientem, ô qualis triumphus Dei de toto homine! de ejus judicio, cujus lumen ita retunditur, de voluntate cujus libertas ita subicitur: de omnibus potentiis & facultatibus ejus quarum actus ita ei consecrantur?

XXXVIII Sed quid tandem de constantiâ hujus obedientiæ? Audi, jubetur esse in Ægypto in exilio, quamdiu verò? *Esto tibi usque dum dicam tibi*, inquit ei Angelus. Ergo quamdiu? hoc ei manebit incertum & occultum; pendendum & semper erit ex Dei nutu, & boni Angeli ore, & dictis: & verò pendebimus, inquit, & in hoc casu & in omni vitæ cursu, stat enim in obedientiâ & vivere & mori: sollicitus minimè fuit ut quæreret quot mensibus quot annis hoc exilium, hæc mala, hæc afflictio durabunt, nec id ei Angelus aperuit, sed dixit solum, *Esto tibi usque dum dicam tibi*. Nec ipse inquisivit. Non voluit Deus ipsum cognoscere quanto tempore ista afflictio duratura esset, ut esset paratus (pro ut de facto fuit, cum nihil de futura ejus duratione inquisierit) ad eas per totam vitam si ita ei placuerit tolerandas, ut sic licet uno tantum die durasset afflictio, meritum

tamen ipsius non esset unius diei, sed totius vitæ.

De justo in brevi consummato dicitur Sapientiæ cap. 4. *Quod consummatus in brevi expleverit tempora multa*, quia nimirum jam seipsum Deo ad labores multorum temporum obtulerat, eosque jam mente & animo acceptarat & pro Deo exantlare præsto erat, si sic ei placitum fuisset: unde nec eorum meritis privari debuit, per accidens enim fuit quod abbreviatâ ejus vitâ eos non tolerarit: Jam enim animo paratus erat ad eos, multis temporibus sustinendos. Ita etiam Divus Josephus, licet exilium illud, illiusque incommoda non nisi per septem annos pertulerit, habuit tamen meritum immensi temporis, quia fuit præsto illud pro Deo tolerare sine mensurâ, quamdiu voluisset Deus.

Patet ergo ex his quàm verum sit quod Beatissima Virgo D. Brigittæ lib. 6. Revelat. cap. 39 revelavit, Conjugem suum Josephum hæc verba ferè continuo in mente & ore habuisse, *Vitam vivam & adimpleam voluntatem Dei mei*.

Sed quid miramur ipsum Deo obedientem, miremur potius Deum ipsi obtemperantem. *Erat enim subditus illi*, Luc. c. 2. vers. penult. & quod voluerit Deus Pater & filium suum sibi per omnia æqualem & consubstantialem & filii sui Matrem, ab hujus Sanctissimi Viri nutu & ore pendere, in cujus rei argumentum ipsi, non Mariæ Angelus Domini apparuit, dum eis fugientem & dum à fugâ redeundum.

SECTIO IV.

Obediuit Divus Josephus hominibus in omnibus.

Divus Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 1. quærit utrum homo teneatur alteri homini obedire, & responderet eodem art. in corp. his verbis, dicendum quod sicut actiones rerum naturalium procedunt ex potentiis naturalibus; ita etiam operationes humanæ procedunt ex humanâ voluntate: Oportuit autem in rebus natura-

H h h libus

XXXIX.

XL.

XLI.

XLII.

libus, ut superiora moverent inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatae divinitus: unde etiam oportet in rebus humanis quod superiores moveant inferiores per suam voluntatem ex vi autoritatis divinitus ordinatae. Movere autem per rationem est praecipere, & ideo sicut ex ipso ordine naturali divinitus instituto in rebus naturalibus inferiora superiorum motioni subjiuntur, ita etiam in humanis ex ordine naturalis ac divini juris tenentur inferiores suis superioribus obedire. Hæc Divus Thomas.

XLIII. Et noster Divus Damascenus lib. 2. de Fide Orthod. cap. 7. dicit potuisse à Deo dari proprium lumen homini quomodo & Soli, sed non datum, ut ordo inter creaturas quæ subsunt & præsumt ostendatur; & doceamur communicare invicem, & lubenter subesse, si Deus ita disposuit: & Divus Gregorius Nazianz. orat. 9. *Obedientiam, inquit, tam terrena quam caelestia tuentur & conservant: summopere itaque cavendum ne exclusa obedientia invehatur anarchia: regereque sese ipsi velint qui regi debent cum aperta totius multitudinis pernicie.*

XLIV. Ergo in tertio hujus mundi statu, idest in Civitate, in Oppido, in Patria, in qua civis sumus, debemus Magistratui & Principibus obedire ut Dei Ministris in legibus politicis & civilibus, in quibus nihil contra Deum, quandoquidem per Deum Reges regnent, & legum conditores iusta decernant, & hoc ut ait Apostolus ad Rom. cap. 13. vers. 5. *Non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam: ita ut illi peccent qui illorum leges temere transgrediuntur.*

XLV. Ex quibus tria colligenda: Primum, quod Leges & Sanctiones Politicæ & Civiles (à fortiori Ecclesiasticæ) non tantum Principum fidelium, sed & infidelium, etiam sublato scandalo, in conscientiam obligant Christianos omnes ut alios ipsis subditos, in iis quæ non sunt contra Deum & Religionem: quia *omnis potestas à Deo est, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, inquit Apostolus loco proxime citato: Secundum, quod Heterodoxi qui vo-

lunt excutere jugum suorum Principum legitimorum prætextu Evangelicæ libertatis miserimè decepti, ut Judæi Evangelium evertant: quia Evangelium præcipit obedire Præpositis etiam discolis: & potens est illos deturbare vel mutare si non vellet illos regnare: Tertium, tantum abest ut Evangelium & Religio Christi destruat potestatem publicam, sive illa Monarchica sit, sive Aristocratica, sive Democratica, quin potius illam adstruit, stabilis, & corroborat; quandoquidem doceat illam esse à Deo, nosque omnino adstringat ejus legibus & placitis etiam in conscientia.

Quare in hoc tertio statu ut civis in Patria me spontè subijciam omnibus legibus & ordinationibus civilibus ac politicis, moribus quoque sive consuetudinibus receptis, nec Religionis contradicentibus, Patriæ seu Civitatis in qua natus sum, vel quam voluntate meâ elegi, nec gravabor reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo.

Hæc iterum obedientia mirè eluxit in hoc Sanctissimo Viro de qua ex tribus vel quatuor ejus actionibus, de quibus solum nobis constat, iudicium ferendum.

Primo, namque obedivit Sacerdotibus dum ad eorum iussionem comparuit cum aliis contribulibus suis, quando quaestio fuit de collocandâ Beatâ Virgine Deiparâ in matrimonio, ut diximus supra. Comparuit, inquam, quamvis ipse inter omnes nullo modo de nuptiis cogitaret. Poterat enim ipse secum apud se ita ratiocinari: Quid ad me ista iussio, qui de nuptiis non curo? compareant illi quibus nuptiæ sunt in votis, ego apud me maneo, celebs enim esse volo: Sed non fecit quia verus obediens ita affectus est, ut potius cogitet esse mandatum & obligationem ubi non est, quam non esse ubi est. *Perfecta obedientia*, inquit Divus Bernardus tract. de Præcepto & Dispens. cap. 9. *legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod injungitur spontanea, vigore liberalis, alacrisque animi modum non considerans*

in infinitam libertatem extenditur.

XLIX. Secundò, in exercitio artis suæ in summâ humilitate, & cum summâ resignatione, summam exercuit obedientiam, subiectus omni humanæ creaturæ propter Deum, qui subiecerat cum in spe: prostratus quippe à fortunâ, vel melius à Deo ejusque iustissimâ Providentiâ à summis natalibus ad infimam sortem, à sceptro, inquam, ad malleum, illis quibus operas suas locabat, ut humillimus servus, modestissimè in serviebat flexanimis ad omnem eorum nutum.

L. Tertiò obedivit Cæsari, nam cum exiisset ab illo Edictum ut describeretur univèrsus Orbis: *Ascendit Ioseph à Galilea de Civitate Nazareth in Iudæam in Civitatem David, quæ vocabatur Bethleem, eo quod esset de domo & familia David ut profiteretur cum Maria desponsata uxore sibi pregnante.* Inquit Lucas cap. 2. vers. 4. *Ascendit*, inquam, quod significat iter arduum, *in illis diebus*, idest hycemali tempore ad finem scilicet Decembris; *de Nazareth in Bethleem*, idest ad viginti quinque leucas horarias, ut minimùm, *cum Maria*, idest brevi pariturâ, unde non levis ei timor: sed quod caput est *desponsatâ sibi uxore*, quam sciebat verbo divino filio Altissimi foetam, idest illo sub quo tremunt etiam illi qui portant orbem, & ipsæ cæli columnæ; illo, inquam, ante cuius conspectum mors fugit, ad cuius vocem mortui resurgunt, videntes autem eum portæ mortis confectæ sunt; illo denique ante quem Augustus cum supercilio suo, nec etiam culex est, & nihilominus hæc sciens, ac se tanti Domini Patrem à Deo electum & effectum paret edicto ut alii de trivio homunculi.

LI. Hanc profundam reflexionem mihi ingessit phrasî seu modus loquendi Sancti Evangelistæ Lucæ hoc factum referentis. Nam postquam dixit cap. 2. vers. 3. *Ibant omnes ut profiterentur singuli in Civitatem suam.* Subjungit statim versum immediatè sequenti: *Ascendit autem & Ioseph à Galilea de Civitate Nazareth*, quasi diceret non tantùm alii Edicto Cæsaris Augusti Majestatis obedientes iverunt singuli

in Civitatem suam, ut profiterentur, sed etiam (quod admirere) Ioseph cum Mariâ sibi desponsatâ uxore pregnante.

Ultimò, denique obedivit quoque LII. impiissimo Herodi, suo (etiam seclusâ suâ in Patrem Dei electione & elevatione) inferiori, rebelli suo, sceptri sui violento & injusto occupatori, verbo uno notissimo Tyranno, obedivitque sciens, volens, lubens, immò cum summâ modestiâ, & cui nulla unquam similis, cessit illius furori: tanti faciebat obedientiam ut illam sedibus & regnis anteponebat quam nullis ullus verbis unquam ita extulit ut D. Remigius apud D. Thomam in Catenâ ubi sic ille: *Hoc aditu recessit vita, quo ingressa est mors: per inobedientiam. Adæ omnes perditum sumus, per obedientiam Ioseph omnes ad pristinum statum incipimus revocari.*

Tu itaque Christiane qui hæc legis, LIII. vel audis, noli sub obedientiâ gemere ut sub jugo jumentum, sed ad exemplum Sanctissimi Patriarchæ Iosephi, Patris JESU, & Mariæ Sponsi, exhortante etiam Sancto Ambrosio serm. 3. in psalm. 118. *Erige cervicem tuam*, quia cum fers legem & obedientiam, dum caput tuum Deo ut auctori nature subdis in quantum homo in mundo, vel ut gratiæ auctori & consummatori in in quantum fidelis in Ecclesiâ, ei denique in Principibus ac magistratu tanquam ministris ab commissis in quantum civis in Patriâ. *Redimicula non vincula geris.*

CAPUT III.

De Paupertate Divi Iosephi rerumque terrenarum contemptu.

DUPLEX est paupertas, una L. necessitatis, altera virtutis: Prima, est onerosa & gravis: Secunda, generosa & levis: Prima, est egena & tenuis: Secunda, dives & opulenta: Prima, vilis & sordida: Secunda, nobilis & suspicienda: divitiarum verò, licet ex se non sint malæ, nec vituperandæ, quia tamen pericu-

losæ, & ut plurimum fomenta malorum, ideò illarum contemptus consulitur, & ei temper præferenda paupertas, quidquid in contrarium sentiant homines mundani, & nil nisi terrena sapiètes, idq; ex multis rationibus.

II. Prima, quia dives juxta vulgarissimam parcemiam aut iniquus aut iniqui hæres. Primò, iniquus vel quia iniquè acquiruntur vel quia solent iniquitati servire, vel quia homo ex quo per peccatum à rectitudine cecidit, nimis inordinatus est ut eis benè utatur ut debet: unica siquidem virtus, scilicet misericordia illas distribuit per eleëmofynam, quam adhuc sapissimè vanitas inficit. Sed è contra avaritia eas congregat cum injustitiâ & irreligione & mille aliis vitiis. Prodigalitas expendit cum gulâ & profusione, superbia ad ambitionem, vanitas ad luxum, pompam, & ostentationem, aliorumque contemptum, ira ad vindictam, luxuria ad corruptelam; ut meritò Salvator eas vocet, *Mammoneam iniquitatis*, quæ superbiæ, quæ libidini, quæ iræ, quæ vindictæ, quæ ludis, quæ luxui, quæ commessationibus, quæ histrionibus, quæ parasytis, quæ justitiæ labefectandæ, quæ pudicitia corrumpendæ servit: quare pauperes, qui non habent illas, non invident divitibus qui eas habent, quia periculum quod ex illis imminet divitibus, majus est malum incomparabiliter inopiâ, quam ipsi ex paupertate suâ patiuntur: divites verò quibus tanta ex illis incumbunt pericula, videant an illas tanti facere debeant, quanti solent.

III. Vel secundò, iniqui hæres est dives, ut enim profundè Divus Chryso-stomus in 1. ad Timoth. *Necesse est divitiarum initium ac radicem ex aliquâ iniquitate emanasse: unde id constat? ex eo quod Deus ab initio non fecit alium quidem divitem, alium verò pauperem, sed eandem omnibus aperuit humum: quo patet igitur cum illa communis sit, tu illius per multa jugera possides, proximus verò nec unam glebam: Pater, inquit, mihi ista reliquit: ille autem à quo ea suscepit? à majoribus scilicet: sed hi à quibus? necesse est profectò per successionis lineam ascendendo invenire principium: id autem injustitiâ vacare non potest. Hæc*

Chryso-stomus Sanctus.

Secundò, præferendam dicimus divitiis paupertatem virtutis, quia ditior est divitiis: licet enim paupertas aliquibus fortè indigeat, avaritiæ tamen, quæ ferè inseparabilis est à divitiis, omnia defunt: ut enim præclare latina Princeps eloquentiæ Cicero: *Tam deest avaro quod habet, quàm quod non habet.* Nam adeptis non gaudet dum novis semper inhiat, & miratur quod inimicus quem fugit eum nunquam deserat, ut Tantalus in aquis, inops & sitiens in medio abundantia, auro, quod sitit, ipsius captas non ipsum implere valente.

Hinc pulchrè Seneca etiam ex naturali lumine in hæc materiâ christianizans, *Parem Deo, inquit, idest scelicem, pecunia non faciet, Deus nihil habet, utpote qui omnibus omnia tribuens, se solo dives est & Beatus. Prætexta non faciet, Deus nudus est:* Nullum enim habet operimentum, præter lucem propriam, amictus lumine sicut vestimento. *Fama non faciet, Deum nemo novit, & multi malè de illo æstimant & loquuntur.* Imò etiam ab Athæis exhibatur, & ab impiis laceratur. *Non turba servorum, Deus solus est, & ante mundi creationem nullus erat qui eum coleret. Non pompa, læticiam ejus portantium, ipse vehit omnia, cuncta portans verbo virtutis suæ. Quid ergo parem faciet Deo, idest scelicem? audiendum Senecam epist. 25. Quisquis desiderium suum clausit, cum ipso love de felicitate contendit. Et verissimum est illud quod sub nomine Philonis Judæi circumfertur, Virtutis studiosus paucis indiget in confinio mortalis & immortalis naturæ situs.*

Tertiò, paupertatem virtutis divitiis præferendam dicimus, quia cum illa sit voluntatis, non est gravis, dumque paucis caret commodis, multis levatur curis quæ comitantur divitiis: Et sicut nihil est tam leve quod ei grave non sit, qui invitatus aliquid facit, sic à contrario nihil est tam grave, quod non ei qui volens exequitur, leve esse videatur. *Nisi fortè, inquit Doctissimus Salvianus lib. de Provid. Antiquis illis præcæ virtutis viris, Fabiis, Fabriciis, Concinnatis, grave fuisse existimamus quod*

quod Pauperes erant qui divites esse volebant, cum omnia scilicet studia sua omnes conatus suos, ad omnium emolumenta conferrent, & crescentes Reipublice vires privatam paupertate ditarent: nunquid parcam illam tunc agrestemq; vitam cum gemitu & dolore tolerabant, cum viles ac rusticos cibos ante ipsos exercebantur focos sumerent, eosq; ipsos capere ante vesperam non liceret? Nunquid egrederebantur quod avara illos a divite conscientia auri talenta non premerent? aut etiam argentum usum legibus coercerent? Nunquid illecebra & cupiditatis panam putabant, quod distenta aureis nummis marsupia non haberent? Cum patricium hominem, quod ad decem usque argenti libras dives esse voluisset, indignum curia iudicarent? non despiciebant tunc puto pauperes cuitus, cum vestem hirtam ac brevem sumerent, cum ab aratro accerferentur ad fasces, & illustrandi habitu Consulari, illis forte ipsis, quas assumpturi erant imperialibus togis, modicum sulcore pulverem detergerent. Itaque tunc illi pauperes Magistratus opulentam Reipublicam habebant. Et que rogo insania est, & que caecitas, ut egestuosam ac mendicantem Republicam divitias posse credant stare privatam? Tales ergo tunc veteres Romani erant, & sic illi tunc contemnebant divitias nescientes Deum, sicut nunc non spernant sequentes Deum.

VII. Sed nulla major, inquit gravissimus Tertullianus lib. de Patientia, ad pecuniam contemptum exhortatio est, quam quod ipse Dominus in nullis divitiis invenitur. Addit Apostolus Iacobus c. 2. Audite fratres dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide & heredes, regni, quod repromisit Deus diligentibus se? ubi sic Glossa: Diligentius attendite, quia non qui ditiores in saeculo, hi sunt meliores in examine divino, & ideo non sunt preferendi. Ubi & Divus Thomas Aquinas, paupertatem multum Christo placere advertit. Primum, quia eam sibi assumpsit: Etenim cum esset dives propter nos factus est egenus, 2. Corinth. cap. 8. Secundo, quia statim ut mundi incola esse cepit, paupertatis signa crexit: natus est enim in stabulo, & ut loquitur Ecclesia.

Fano jacere pertulit
Præsepe non abhorruit,

Parvoque lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.

Tertio, quia paupertatem inter homines converfians tenuit; *Vulpes forneas habent, & volucres caeli nidus filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*, Matth. cap. 8. Quarto, quia pauperes elegit in Apostolos, erant enim Piscatores. Quinto, quia Regnum Caelorum promittit pauperibus Spiritu Matth. cap. 11. Sexto, quia paupertatis consilium tradidit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia que habes & da pauperibus*, ibid. Ultimo, quia nudus mori voluit: ergo tam studiosus, tam amator paupertatis, non alios voluit in terris habere parentes quam pauperes, & divitiarum contemptores: licet enim propter edomitas in illis passiones, fomitem extinctum, & mentem ex toto in Deum erectam, nihil a divitiis, aliis periculosus, in illis timendum esset, quin è contrariis in bonum, ita usi fuissent qualiter nulli alii, quia tamen illarum abdicatio, etiam bono usu longè melior est, & tutior; ideo illam in eis non divitias exquirit.

VIII. Hæc conjectura adeo fortis est ad probandam in illis Christi parentibus paupertatem istam virtutis, & divitiarum contemptum, ut sola sufficiat: sed tamen non desunt aliæ: cum enim præterea probant in Divo Iosepho. Primum, quod fabrilium exercuerit, ut patet ex Evangelio pluribus in locis: nec valet si dicas cum aliquibus, etsi Faber dicatur non tamen significari tenuem, sed architectum aut Magistrum qui plures ac diversi generis artifices sub se haberet, hoc enim supra refutavimus, part. 1. tract. 2. cap. 13. sect. 1. Vide Responsionem ibi. Secundò, patet ex paupertate hospitii ad quod ratione illius divertere coactus est in Bethleem, eò peractus ad pendendum Cæsari censum cum Maria uxore sua, cum enim non esset eis locus in diversorio in eo Oppido, quia nimirum ditiores loco præoccupaverant, & eis alii ab hospitalariis & cautionariis mercedem & luctum quærentibus præferrentur, debuerunt ad stabulum bestiarum desistere, ubi *enixa est puerpera Regem qui celum terramq;*
regis

H h 3

regit per secula. Tertiò, ex oblatione pro Christo factà in Templo quando postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt IESUM in Ierusalem, ut sisterent eum Domino. Tenebantur enim Judæi strictè ex præcepto divinæ legis die à partu quadragesimo venire cum natis suis ad templum, & ibi pro illis offerre agnum anniculum: Quod si forte non potuisset manus illorum invenire ut agnum emerent offerendum, ob paupertatem, tunc & non aliter, par turturum offerebant, aut duos pullos columbarum: atqui Divus Iosephus & Maria non agnum obtulerunt, sed par turturum aut duos pullos columbarum, Evangelio attestante Lucæ c. 2. Non ergo potuit illorum manus invenire ut Agnum offerrent: ergo pauperes erant. Hinc Venerabilis nostra Margareta à Sanctissimo Sacramento in verbis à nobis supra relatis part. 1. tract. 3. cap. 3. de illis ait: *Nihil eis præter Nazarethanam domunculam.*

IX.

Sed hæc eorum paupertas non fuit necessitatis, sed virtutis & electionis, probatur primò, de D. Iosepho: nam ipse fuit filius legalis Heli ut diximus. & propterea secessit in ejus bona ex lege: Atqui Tritavus Heli in Genealogiâ Divi Lucæ cap. 3. dicitur etiam Ioseph, qui fuit filius Mathatæ, suo tempore utramque gubernavit Galilaam, ut notavimus supra part. 1. tract. 2. cap. 14. sect. 1. num. 11. ex Iosepho Judæo lib. 2. de bello Judaico cap. 25. & Philone item Judæo in Breviario temporum: Tanta ergo gloria, ut adhuc intulimus ubi supra, non potuit adeò fuisse detrita in Heli, ut nihil profus habuerit quod transmitteret in filium suum legalem & hæredem Divum Iosephum.

X.

Ex quo præterea conficitur Divum Iosephum paupertatem illam virtutis ex mentis opulentiâ elegisse, & amplexatum fuisse etiam antequam ad nuptias cum Virgine pervenisset, eaque bona patrimonialia in quæ successerat, exceptâ domo suâ Nazarethanâ ad habitationem necessariâ in pauperes distribuisse, quandoquidem ex tunc fabilem didicerat, eamque exercuerat ad victum comparandum.

Quoad Beatam Virginem verò, certum est ipsum fuisse Sanctorum Joachim & Annæ unicam prolem, ergo consequens quod ipsa fuerit bonorum ad illos spectantium hæres: unde Eusebius Emisenus: *Manifestum est, inquit, Beatissimam Virginem Mariam nobilissimam heredem, parentibus suis in hereditatem successisse, siquidem nec fratres habuit, nec habuisse legitur.* Bona verò habuisse nec exigua nimis manifestum est ex SS. Patribus, & patet ex sequentibus.

In his bonis occurrunt primò res immobiles, idest quæ soli sunt aut solo adherent, agri, prædia, domus, l. 23. ff. de usu. At constans est Patrum doctrina Divæ Virginis Parentes plura prædia & domos possedisse, & Beatam Virginem illa ab ipsis hereditasse. Nam primò Sancta Anna sterilis pro obtinendâ prole à Deo in horto suo orabat, ut asserunt Sanctus Germanus in Encomio de Virgine. Præsentat. Antiochus homil. 107. Epiphanius serm. de laudibus Virginis. Secundò, Sanctus Joachim, ut habet Sanctus Hieronymus, vel quisquis est Author lib. de Ortu Deip. inter opera Divi Hieronymi. *Ad Pastores qui cum pecudibus suis erant in pascuis suis secessit* Tertiò, plura habuerunt hinc & inde domicilia, quæ ex institutione de usufr. l. 15. ff. qui satisd. inter res immobiles numerantur: unum in Sepphoro seu Dio-Casareâ, quæ Urbs est in ipso Galileæ meditullio, quam Brocardus itiner. 5. Bredenbach. ibid. Fretellius pag. 49. noster Joannes Pascha Itinerarii d. 174. Salmeron Proleg. 41. & alii communiter, Patriam seu natale solum Divi Iosephi existimant: Aliam domum tribuit Divo Joachimò Sanctus Damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 15. scilicet ad Piscinam probaticam prope templum: idemque asserunt alii inter quos Joan. Zeverinus Vera in Itiner. Hierosol. cap. 9. Bredenbach. 26. Julii, Salign. tomo 8. cap. 6. Vitriacus cap. 58. Will. l. 11. Belli Sacri cap. 15. & 16. noster Joannes Pascha citar. d. 107. qui dicunt utrumque Mariæ Parentem diem ibi obiisse, ibique Templum in honorem Beatæ Annæ extructum. Vide nostrum Lezanam in Annualibus.

nalibus. Et hæc quidem certa videntur, quæ verò de aliis ædibus, quas in Nazareth, Bethleem, & alibi habuisse dicuntur, non ita.

XIII. De mobilibus etiam bonis constat: nam divisio illa substantiæ quas in tres partes secabant Parentes Beatæ Virginis, quarum unam Templo, pauperibus alteram, tertiam sibi & familiæ suæ sustentationi addicebant, ut Sancti Patres observarunt, & communis est Traditio, testatur non modicam fuisse bonorum mobilium copiam quæ spectarunt ad illos. Cùm ergo Beata Virgo eorum unica proles, fuerit eorum hæres, & Divus Josephus per Beatam Virginem propter suum cum eâ matrimonium; undè illi tam pauperes ut supra, nisi ex electione voluntatis?

XIV. Addendum ad hæc quod Divus Josephus & Beata Deipara nato in Bethleem Christo, oblata à Magis preciosa munera vel acceptarunt, vel non; si non, quæ ratio poterit assignari nisi hæc, quod scilicet sanctam paupertatem professi, illa munera contra istud suum propositum admittere noluerint: Si verò acceptarunt (ut acceptasse censeant ferè omnes, & meo videri probabilius) quod ergò paucis ab inde diebus pro Christo, quem in Templo præsentarunt, non obtulerint nisi par turturum aut duos pullos columbarum, cùm tenerentur agnum offerre, si invenisset manus ipsorum unde illum habere potissent, oportet ut inde provenerit quod nihil amplius ex illis muneribus eis superesset: nam cùm essent divinæ legis observantissimi, & illius semper quod perfectius erat sectatores fidelissimi, absolutè autem tenerentur agnum offerre si habuissent undè illum emerent, sine dubio cùm illum non obtulerint, sed tantùm illud quod illi quorum manus agnum invenire non poterant, scilicet par turturum, aut duos pullos columbarum, ut ait Lucas, oportet certissimè credere quod illorum manus tunc non in venerit ut agnum illum offerre possent: At impium esset, vel etiam cogitare quod ea munera, vel illorum pretium tunc decoxerant. Ergo omnino necessarium est, quod cùm illi san-

ctam paupertatem ex mentis opulentiâ elegissent, consequenter omnia à se abdicarint, & nihil sibi præter Providentiam & proprium laborem referentes, omnia egenis erogarint.

Et hoc ut firmissimè statuimus, ita certissimè credendum, ita tamen ut hoc non tantùm Sanctæ Virginis virtuti concedatur, sed etiam Divi Josephi, habet enim hæc in re Sanctus Patriarcha noster optimam partem, ut potè in cujus jus & potestatem ista omnia transierant, & de quibus Beata Virgo ipsi ut capiti subiecta disponere non poterat nisi de ejus nutu.

Sed, inquires, potuerint Maria & Joseph bona sua mobilia non violata lege Moysis alienare, & in pauperes erogare eorum pretium: at immobilia qualia sunt prædia, pascua, pomaria, domicilia: neque poterant vendi aut in alios transmitti in perpetuum, cùm lex Levitici cap. 25. nimis manifesta sit, quæ decernit hæreditatem venditam in anno Jubilæi redire ad vendentem: unde Eusebius Emisenus homil. de Virgin. Nativit. Lege in Levitico & invenies quod nemo hæreditatem suam ex toto vendere potuisset, veniente namque Jubilæo omnis hæreditas ad proprium Dominum revertebatur. Quod si Josephus & Deipara fecerunt aliter, nec retinuerint in suâ potestate hæreditatem paternam, legem temerant, læserunt præterea Justitiam, quia ea bona sibi de jure asciscere poterant propinqui eorum, ipsi verò non fecerunt, ergo non fuère adeo pauperes.

Ad hanc objectionem duplex est responsio. Prima est, ipsos renunciaffe hæreditati ad favorem illius qui eis in illâ successisset, quod justè potuisse fieri in lege veteri videtur: Cujus rei ratio ex eo petenda est quia ex tali renunciatione in proximiorum, nulla cuiquam fiebat injuria, secus esset si in distantes hæreditas transmissa fuisset, sed quia hæc via vix potuit esse in usu apud Judæos, obstabant enim filii, etsi moriebatur quis improlis, asciscerantur filii legales, relictis istis consanguineis proximioribus, non est credibile D. Josephum & Mariam tam recenter conjugatos viam tam inusitaram accepisse

accepisse cum notâ insolitâ singularitatis. Quare ad secundam responsionem propero: Pro quâ

XVIII. Notandum primò ex Ulpiano in l. si quid vi, ff. de acquirenda vel amittenda possessione, ita dominium distinguui à possessione, quod illud nobis etiam invitis remanere possit, cum possessio statim recedat ubi id constituerimus: Quare dominium quod in hæredia, hortos, prædia, pascua, domos, habuere Divus Josephus & Maria, etiam in illis invitis perseverabat, etsi ea alienassent, cum ex lege Levitici citatâ fas non esset Hebræis ita se abdicare hæreditate paternâ; ut simul cum possessione abjicerent dominium.

XIX. Notandum secundò, alienari tamen potuisse in perpetuum à Divo Josepho & Deiparâ ædes & domicilia quæ in Urbibus habuerunt, patet hoc ex eadem Levitici lege cap. 25. citato, ubi sic habetur: *Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi donec unus impleatur annus, si non redemerit & anni circulus fuerit devolutus, emptor possidebit eam & posterius ejus in perpetuum, & redimi non poterit etiam in jubileo.* Aliter res se habebat de domiciliis ruralibus quæ alienari non poterant nisi ad tempus: Subditur enim ibidem. *Si autem in villâ fuerit domus, que muros non habet, agrorum jure vendetur, si ante redempta non fuerit in jubileo revertetur ad Dominum.* His prænotatis.

XX. Respondeo secundò, cum Beata Virgo & Divus Josephus tam pauperes fuisse probentur, argumentum est luce meridianâ clarius ab illis vendita quæ vendi poterant, scilicet armenta, greges & mobilia cætera, domos, etiam quas habebant in Sephoro seu Diocæsariâ, & in Jerusalem. Alia verò hoc est fundos, pascua, hortos, pomaria, juxta legem usque ad annum Jubilæi, & congestam exinde pecuniam simul cum eâ quæ ex Magorum donariis provenerat dispersisse, & tantâ liberalitate in pauperes effudisse, ut nihil sibi ex iis, etiam nec unde agnum pro Filio offerrent, reservarint.

XXI. Igitur quia Lex Divina Moyfi tradita permittebat abdicacionem posses-

sionis & ususfructus, dominii verò non item. Ita se gesserunt Beata Virgo Deiparæ & Sanctissimus ejus Sponsus, ut retento, licet invitè dominio, quo se libenter abdicassent, si potuissent, corûm ususfructum vendiderint, quem largissimè sparserunt in egentes: quâ in re utriusque humilitas & charitas refulget, charitas in erogatione, humilitas in abdicacione & paupertate, quia ut docet Divus Thomas Aquinas 2. 2. quæst. 19. artic. 12. & 3. part. quæst. 40. artic. 3. ad 3. *Paupertas voluntaria est indicium maxima humilitatis.*

Dices paupertas quæ cum abdicacione rerum temporalium excludit etiam earum Dominium est perfectior illâ quæ stat solum in abdicacione usus fructus: Cum ergo paupertas D. Josephi (idem dic de B. Virgine) non excluderet dominium istud, ut jam responsum est, sequitur quod paupertas ejus non fuerit perfectissima. Respondeo quando retinetur dominium invitè, tantum abest ut hoc minuat perfectionem paupertatis, quin potius è contra illam augeat: at D. Josephus & D. Deipara invitè illud dominium retinuerunt, ô quam libenter, enim eo se abdicassent si potuissent, sed prohibebat lex divina: fuit ergo D. Josephus in omnibus virtutibus Evangelicis ante Evangelium eminentissimus, nam cum jure ad Regnum etiam subditis obedivit, virginitatem in conjugio servavit, & paupertatem cum dominio tunc inabdicabili conjungere potuit.

Sed ad majorem hujus sanctæ Paupertatis in Divo Josepho elucidacionem. Notandum ex Sanctis Patribus & Doctoribus, esse quatuor illius gradus, quorum primus est omnium bonorum temporalium abdicacio realis & in effectu, ita ut homo omnibus quæ possidet, & iis quæ possidere possit, dimissis, reddat se absolute incapacem & impotentem quidquam possidendi ut proprium. Magna est hæc actio: cum enim divitiæ media sint ad procuranda omnia hujus vitæ bona & corporis commoda, & è contra illius vitanda incommoda aut lenienda, propter quod tam Græci quàm Latini eas vocaverunt facultates, quod nomen signat illorum posse, respectu prædictorum: sine dubio

dubio magna res est iis se sponte & animo volenti privare. Quam ob rem Scriptura Ecclesiast. cap. 31. vers. 3. dixit. *Beatus vir qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris.* Et denotans talem raritatem, subdit. *Quis est hic & laudabimus eum? &c.*

XXIV. Secundus gradus est illa non tantum abdicare, sed etiam affectum ad illa, ut nec habeat, nec habere velit, nec æstimet, nec curet: Hic gradus est præcedente perfectior. *Plus enim* (inquit Divus Bernardus tomo 1. serm. de Bon. deferend. *concupiscentia mundi quam substantia nocet. Et hæc est fugiendarum causa divitiarum, quod vix, aut nunquam valent sine amore possideri.*

XXV. Tertius gradus est, ut quis sit necessariis contentus, & caveat sibi à superfluis. Pro cuius intelligentia observandum est diligenter res posse esse homini necessarias aut superfluas duobus modis; Primò absolute & in summo rigore, ut v. c. ad vitam, panis & aqua sunt in rigore necessaria. Cætera sunt etiam in rigore superflua. Secundò, moraliter & modo ad infirmitatem humanam accommodato, non tamen sensualitati indulgenti. His positis.

XXVI. Per res necessarias quibus debet esse contentus pauper voluntarius in hoc tertio gradu constituendus, & superfluas à quibus debet abstinere, non intelligo extremas illas, & quæ sunt tantum in rigore tales, quibus etiam Sancti non semper se adstrinxerunt, imò nec Christus Sanctus Sanctorum, & norma paupertatis, sed illas quæ sunt moraliter tales, quibus communiter Sancti fuerunt contenti, aut saltem Religiosi bene timorati, & cum quibus, ab aliis tanquam à prohibitis abstinerunt.

XXVII. Quartus gradus & ultimus est, ut non tantum toleremus sine perturbatione, si quando necessaria illa secundo modo desint, sed etiam gaudeamus, & etiam aliquando voluntariè ultimæ paupertatis effectus experiri velimus. Etcertè qui omnia quibus indiget, habet, & cui nihil deest unquam, nec in victu, nec in vestitu, nec in aliis necessariis, esto voluptuosus & superfluis careat: Pauper est gratus seu iucundus, austerum nomen portat, sed

non magnis impentis. *Non laudabile,* inquit Divus Vinc. Ferrerius tract. de vitâ spirit. cap. 1. *esse in paupertate, sed in paupertate paupertatem amare.* Quæ omnia facile erit unicuique in iis quæ diximus de Divi Iosephi paupertate reperire.

Verùm hæc generosa rerum terrenarum abdicatio, aded ex se meritoria & utilis ad cæterarum comparationem virtutum, hoc speciale adhuc habuit in Divo Iosepho, quod multum contulerit ad augmentum dulcissimi amoris in filium sibi divinitus datum & commendatum, simul & meriti incrementum, in eo scilicet alendo: Quippe non suorum hæreditas parentum, aut uxoris suæ lectissimæ cibavit IESUM, non famulatus Avorum aliquid ministravit, sed solus Iosephus, qui ideò voluntariè rerum omnium egestatem elegit & amplexatus est: Lac ipsum sacrorum Mariæ uberum, quod fuxit Iesus Infantulus, ex alimento crescebat quod Iosephi manus lucrata erant, & dederant, non alienæ, & ne ipsæ quidem hæreditates paternæ. Atque ita Christum ex suis sudoribus, pauperes Christi ex suis aluit bonis.

Considera ergò, Lector Amice, & tecum ipse perpende, si tam flagrans esset Regis alicuius in quempiam amor, ut nec cibari, nec vestiri, nec incedere, nec urbes ubibus commutare vellet, nisi ex istius unius, verbi causâ Petri famulato, quid de hoc homine sentiret? Nonne illum primum in amore Regis diceret? nonne ille in tuâ opinione secundus à Rege esset? Flagrans amor Verbi Dei in Divum Iosephum talis fuit, à nullo voluit quam ab ipso nutrirî, educari, vestiri, protegi, defendi, protectionem de loco ad locum instituire.

Tandem usum est adhuc valde considerandum in hæc Divi Iosephi paupertate, & rerum temporalium abdicatione, quod animi ejus fortitudinem & constantiam mirè commendat, & extollit, quod nimirum Hebræorum gens cum benedictionem Dei maximam, in abundantia rerum terrenarum poneret, eamque magni faceret, pauperes ut invisos Deo habebat, & sine

miseriordiã adiciebat; itaut ad eorum duritiem molliendam in ipsa etiam bruta animantia misericordiam impensam commendaret: vide ergo ubi, & quando Divus Ioseph paupertatem eatenus inusitatam aggreditur? & quomodo in illa eius spes in Deum, contemptus non tantum rerum temporalium, sed etiam iudiciorum humanorum, cœlestium amor, & omnium virtutum cohors effulgeat?

XXXI. Sed quia non omnium est ista paupertas, sed eorum tantum quibus datum est, pro generali omnium instructione dico, imitandam nobis in Sanctissimo Patriarchâ paupertatem spiritus: quamvis enim non omnes teneantur ad rerum omnium realem abdicationem & in effectu, tenentur tamen omnes habere paupertatem Spiritus, ut scilicet divitiarum si affluant cor eis non apponant, & sicut perfecti ex consilio Salvatoris reipsam cum affectu omnia relinquunt, ita ceteri omnes ea relinquunt in preparatione animi, si, & quando Deus voluerit.

XXXII. Videant autem omnes ne sibi falsò de hac preparatione animi ablandiantur: certè non est facilè nec obvium possidere divitias & non ab illis possideri: etenim si non adhærescunt divites affectu ad ea quibus potiuntur, cur adeò egrè se se exuunt? cur tam ardentè quarunt? cur tam dolent cum perdunt? quàm pauci possunt dicere cum Senecâ lib. de vitâ Beatâ: *Ego divitias & presentes & absentes aequè contempnam, nec si alicubi jacebunt tristior, nec si circa me fulgebunt animosior: ego fortunam nec venientem sentiam, nec recedentem. Ergo terras omnes tanquam meas videbo, meas tanquam omnium.* Ac deinde. *Mihi divitiarum si effluerint nihil auferent nisi semetipsas. Tu stupebis, & videberis tibi sine te relictus, si illa à te recesserint: apud me divitiarum aliquem locum habent, apud te summum. Ad postremum divitiarum mea sunt, tu divitiarum.*

XXXIII. Affectus nostri nos decipiunt: illos liberos putamus, quod secus esse experimento discimus, avibus persimiles, qui tum primùm se sentiunt laqueo iretitas cum inde se expedire nituntur: vel ut corpus & anima, quæ

mutui amoris vim & vinculum non prius agnoscent, quàm illud jam instante per mortem dissolutione properum animadvertunt: exemplum hujuscè rei luculentum est adolescens ille, de quo Matthæi cap. 19. hic quantum divitiarum esset implicatus amori ante non pensavit, quam consilium Salvatoris de reali & actuali rerum omnium quas possidebat abdicatione audivit, quamvis diu ante in preparatione animi omnia reliquisse putaretur, utpote qui mandata servaverat: dicente enim Christo, *Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni & sequere me, discessit tristis; potiusque elegit manere dives. Et quot sunt isti similes?*

Causa rei hujus, cujus tam frequenter experimentum fecimus, est quod amor proprius & commodorum nostrorum nobiscum natus, in nobis altè latet, nec se citò prodit, sed abscondit, & latenter, quia naturaliter, in nobis sua agit: unde non facilè discernitur, nisi per effectus, cum scilicet bonis possessis, & in affectu nostro positus, excidendum esse timemus, vel de facto excidisse videmus: non ergo fidamus cuicumque affectionum nostrarum præsumptæ indifferentiæ, nisi eam benè exploraverimus: Certa erit rerum abdicatione in preparatione animi, si reipsam eas abdicaverimus, ut fecit D. Iosephus.

Res est certè multis deploranda lachrymis, quod cum agitur de rebus temporalibus, quàm maximè possumus diligentiam & curam ad res adeò viles, quæ nos relinquunt, aut quas fortè citius quàm cogitamus relinquemus, comparandas incumbimus, nihilque omittimus eorum quibus nos eas securissimè assequuturos arbitramur: at ubi de negotio agitur omnium negotiorum, eò scilicet, in quo vertitur laus animæ æterna, speculativas nescio quas quærimus sententias & distinctiones, & quæcumque vel tenuem habent verisimilitudinis speciem rimamus, ac totis amplectimur ulnis, quibus tanquam oraculis adhæremus, revera id agentes, ut sub speciosis & apparentibus prætextibus amorem proprium nutriamus, appetitiones nostras

nostras altè rebus caducis immerfas, & ab eis divelli refugientes, in perniciem nostram foveamus; cum tamen non ignoremus, non ita facile esse opibus & commoditatibus frui, quin suâ, id est ipsarummet opum & commoditatum causâ, appetantur. Non ignoremus etiam nos non esse securos, dum illis perfruimur, à periculo illas immoderate amandi: cor enim humanum facile omnibus quæ frequentat adhærescit.

XXXVI. At, inquit Abraham dives erat, divites erant Patriarchæ, & nihilominus ille Sanctus, & hi quoque Sancti: Tu bene quidem. Sed quando tibi erit proles unica ut illi, & jubente Deo adhuc ei sacrificandam præter nudam animi præparationem, ensem exertum, & extentam te habere dexteram videro ut ille; tunc te cum illo sanctum esse non difficile credidero, & ex illâ animi præparatione, de hac Spiritus paupertate judicare potero, nisi quod adhuc animadvertam conditionem & tempora illorum Sanctorum Patrum longè à nostris discrepare.

XXXVII. Si enim unquam fuit difficile divitè salvari, nunc maximè id verum est, cum mundi vanitatem ad summum excrevisse videmus: Nam sicut cum tranquillum est mare, potest quidem onusta mercibus navis securè viam agere, & ad portum tandem pertingere: sed si mare intumuerit, & tempestas navem concusserit, non ita, oportet illam exonerare & merces in mare projicere, aliàs naufragium faciet. Ita fuit aliquando mundus serenus ac tranquillus, cum scilicet isti Patriarchæ vivebant: tunc ciborum nulla preciositas, vestium cultus nullus, fastus & arrogantia nulla, & idè licet divites, viam in coelum agebant, sed nunc, nunc, tempestas est, quantus enim ciborum apparatus? quantus in vestibus luxus? quantus in moribus fastus? quanta in omnibus vanitas? Vides ergò, ô homo! in istorum medio cor tuum tanquam mare fervens, quod quiescere non potest, vides affectus nimios exurgentes quibus divitiè vim tribuunt, ac fomenta ministrant, agitur ergò jam de summa rerum omnium, de animâ, de salute tuâ, quare vide quid pro securitate tuâ

agendum habeas.

Porro paupertatem Christi Evangelistæ persecuti, Regalem Divi Iosephi Patris Generationem & originem non prætermiserunt, sed præmiserunt, ne illa despiceretur in Christo, & ejus parentibus: quamvis enim pauperes essent, erant tamen maximè nobiles: nec ad tantam paupertatem deciderant, sed spontè descenderant: Voluit verò Christus Parentes suos nobiles simul esse & pauperes, sicut & ipse fuit: Nobiles, quia nobilitas ad virtutem incitat: Pauperes, quia divitiæ sunt irrimenta & fomenta malorum.

CAPUT IV.

De Castitate Divi Iosephi.

DIVUS Hieronymus lib. I. contra Iovinianum ait: *Omnes virtutes Spiritus quasi solidissimum fundamentum continentia sustentat.* Nimirum ut longè ante Divus Iacobus Apostolus in epist. suâ Canonic. c. 13. ait. *Quæ de sursum est sapientia, primum quidem pudica est.* Græcè pro pudica, est *agni*, & Syriacè *dachia*, hoc est pura, casta, impolluta à rebus veneris: inde *agnos* frutex in arborem assurgens, & vocatur Latine *virex*, quo conciliari castitatem dicunt Naturalistæ: quasi sit nō tantum *agnos*, verum etiam *agenos*, id est impediens generationem.

Ergo Sapientia quæ de sursum est, primum pudica est, hoc est casta, ut enim optimè Cicero lib. de Senectute. *Omne animi lumen extinguitur à voluptate, & quo major est, eò magis mentem à suâ sede & statu dimovet.* Quid deinde Iacobus? *Pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ, & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione,* vides ergo ut omnes virtutes spiritus quasi solidissimum fundamentum continentia sustentat.

Et meritò quidem, quomodo enim animus meliores exciperet divinæ lucis radios, nisi esset instar nitidissimi chrystalli, qui quanto tersior est, eò copiosius illis perfunditur? Quare cum hic tractatus sit de Divi Iosephi virtuti-

virtutibus; continentia verò illarum sit sustentaculum & basis, cujus summa species est virginitas; licet de eâ multa toto ferè Tractatu primo hujus Partis secundæ differuerimus, hujus tamen loci ratio postulat, ut nonnulla hic addamus, quæ ad hanc ejus eximiam inter cæteras virtutem ejusque notionem faciunt, & magnitudinem.

IV. Porro duplex est virginitas apud Patres & Doctores: Physica una, altera Theologica. Prima consistit in integritate corporis præcisè. Secunda, cum integritate corporis conjungit integritatem mentis. Pater Christophorus Vega Jesuita, secundâ part. Theolog. Marianæ Palestrâ 19. certam, 10. num. 1437. ait ad primam virginitatem (quam vocat latam & communem) opus esse, & sufficere nunquam nupsisse, neque in aliquam culpam externam sponte incidisse. Sed minus rectè primum requirit: certum est enim Beatam Virginem & Divum Josephum, illosque omnes de quibus supra hæc part. tract. 1. cap. 8. & alios innumeros nobis ignotos, qui nupsērunt, virgines tamen hoc modo permanisse, quandoquidem nunquam integritatem corporis violarint.

V. Itaque ad virginitatem Physicam istam opus est & sufficit præcisè in corruptionem carnis externam sponte nunquam incidisse. Ad Theologicam verò omninò opus est nec in hanc sponte incidisse, ac præterea nec illam, etiam ut licita est per matrimonium unquam voluisse.

VI. Prima, licet imperfecta, adhuc tamen vera est & laudabilis: quod vel ex inde patet, quod Ecclesia eam in pluribus suspicit & veneratur: nam exempli gratiâ 21. Octobris solemnè cultu festum peragit Sanctarum Ursulæ & sciarum undecim millium virginum, quas tanquam virgines colit, licet animo nubendi proficiscerentur, ut patet ex annotationibus Baronii ad Martyrologium istius Diei, & Annalibus Ecclesiasticis. Er res clarior est quam ut longiori probatione indigeat.

VII. Fuit virginitas Divi Josefhi plena, quia Virgo non corpore tantum, sed

& mente; quod ex pluribus capitibus. Pater primò, ex eo quod ante Deiparam nullam aliam duxerat uxorem, ut ostendimus suprâ hac Parte 2. Tract. 1. cap. 3. Secundò, quod dum virgo ducenda fuit, de nuptiis tunc nihil cogitabat, sed à Deo ab æterno electus ut tantæ virgini conjungeretur, ea puritate quam talis poscebat conjunctio ornatus, vocatus est ad eas nuptias, eique Virgini conjunctus, non arbitrio, vel electione suâ, sed divinâ prorsus dispositione per oraculum & miraculum manifestatâ. Tertiò, quod nunquam de copulâ cogitavit nubendo, quin è contra ei expressè renunciavit etiam voto nuncupato: vide suprâ hæc Part. 2. Tract. 1. cap. 5. unde ergo suspicio esse illum aliquando virginem mente esse desuisse.

Quod si ita argumentamur de D. Josefhi virginitate etiam ante ipsius cum Virgine Deiparâ nuptias, quid dicemus? quomodo argumentabimur de eadem Angelicâ virtute post illas? Pulchritudo ipsa, res mira! quam virgineo Corpori natura aspererat, licet in aliis puellis sit voluptatis illecebra, in Deiparâ erat potens ad pudicitiam incitamentum ex Sanctis Patribus: Erat Maria inter Virgines ut lilium inter spinas ex Ecclesiæ sensu. Aliæ Virgines spinæ sunt, quia sibi ipsi mundæ, aliis tamen noxiæ sunt, aliis spinæ sunt, à quibus etiam solo oculorum conjectu punguntur, lacerantur, cruentantur: Virginem enim aspicere etiam incautè, est lædi; tangere est pungi, quia spina est, & suos habet aculeos. Unde Cardinalis Vitriacus in vitâ S. Mariæ d'Oignies ex Patriâ nostrâ Leodiensi, refert quod ipsa ita corpus maceravit & siccarit jejuniis & poenitentis, ut ne primos quidem libidinis motus amplius sentiret: Cujus tamen manum, cum Vir alias gravis & spiritualis apprehendisset, inde carnis motum sensit: propter quod hanc vocem de cælo obaudiit: *Nolî me tangere*, & deinceps tali contactu abstinuit. De omnibus ergo exceptâ Deiparâ mulieribus verè Poëta.

*Regulus ut visu, Siroi Acheloia cantu,
Et necat affrictu Thessala saga levi.*

Sic

Sic oculis, manibus, sic uir femina cantu:

Sic trifidum fulmen ve Iouis effe queat.

X. At Maria lilium est miri candoris, à quâ nec oculus læditur, nec animus, quia in eâ nihil culpæ, ut in aliis, nihil fomitis, nihil unde concupiscentiâ aliorum exardesceret, omnia unde exstingueretur: Quantum ergo Divus Josephus ex tam diuturno cum illâ convictu retulit modestiæ & pudoris?

X. Quod si ita ad favorem Divi Josephi argumentari licet ex convictu ejus cum Mariâ purissimâ Coniuge suâ, quid ergo ex convictu & colloquiis cum prædilecto & dulcissimo Filio suo JESU Domino nostro per totos triginta annos? sed quid ex ipsius dono & collatione? quid ex recognitione pro amore, curâ, laboribus, & obsequiis ab eo sibi præstitis?

XI. Sed ad alia Castitatis Divi Josephi argumenta pergamus: cum Deuteronomii cap. 24. Lex dicat: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam in oculis ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudiî, & dabit in manibus, & dimittet eam de domo suâ: Quare ergo Divus Josephus visâ Uxore suâ gravidâ, quam sciebat se non tetigisse, non est usus istâ legis permissione? Certè cum per hoc genus remedii, quod debebat fieri coram iudice & in formâ judicariâ, fieret uterque liber; eoq; sine fieret coram iudice, ut & repudians posset alteram ducere legitimè, & repudiata alteri si invenisset, nubere. Quid dicere possumus de Divo Josepho hoc remedio non utente? nisi quod homo castissimus non cogitabat de secundis nuptiis, qui non cogitaverat de primis, quare non curavit per talem libellum istam sibi comparare libertatem.*

XII. Quanta verò fuerit ejus virginitas colligere licet ex proposito ipsius Virginis Sponsæ ejus: quod tale fuit secundum SS. Patres, ut etiam Maternitatem Dei quodammodo recusaret, si cum illius dispendio ea comparanda fuisset in quo quidem proposito ita firma fuit Virgo purissima ut non aliter consensum suum Angelo dederit,

quam ut ejus virginitas salva esset. Vide à nobis mox dicenda hoc cap. num. 20. Quomodo ergo illa quæ ita cautum esse voluit suæ virginitati, se viro sponsam tradere consensisset, nisi hujus castitas sibi tanta esse cõstitisset, ut cum ipso nullum periculum subitura esset? quod cum ei plenissimè cõstitisset, hinc in ejus matrimonium libenter consensit, & non aliter, cum nec sine expressâ cautione de conservatione suæ integritatis in maternitatem Dei consenserit.

Ex eodem quoque capite, idest **XIII.** Mariæ virginitate, Divi Josephi puritatem ejusque sublimitatem colligendam vult Divus Hilarius in Marthæum canon. 1. ad hæc verba, *Joseph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam. Ubi sic ille Sanctus Pater. Ergo, inquit, & Conjugis nomen Sponsa suscepit, & post partum in Conjugem recepta, tunc IESU Mater ostenditur: ut quemadmodum Iusto Joseph deputatur ejusdem Mariæ in virginitate Conjugium, ita venerabilis ejus ostendetur in IESU Matre Virginitas. Quasi diceret: In aliis conjugium carnis commercio peragitur, Mariæ verò & Josephi conjugium est in Virginitate. Sed attende Hilarii comparisonem. Quemadmodum, inquit, Iusto Josepho deputatur Mariæ in Virginitate conjugium, ita venerabilis Josephi ostenditur in IESU Matre Virginitas. Hoc est à Deo Divi Josephi Virginitas Mariæ Virginitati in conjugio deputata est & copulata, ergo Divi Josephi Virginitas in Mariæ Virginitate ostenditur: O qualis est Sanctissimi Josephi Virginitas, quæ in suæ Conjugis Virginitate ostenditur! quid nisi puriorem Virginitatem, & velut carnis exlegem Deiparæ Virginitas demonstrare potest? Vis ergo nosce in hoc Conjugio Divi Josephi puritatem? Deiparæ Virginitatem respice, considera attentè, in illâ enim elucet purissima & incorruptissima Divi Josephi puritas. Sed hæc quamvis magna in commendationem Castitatis & Puritatis Divi Josephi, leviora sunt: quare ad majora progrediamur.*

Dico ergo Divus Josephus primus **XIV.** est absolute inter puros homines, ut ejus sacratissima conjux inter scæminas, in hæc Angelicâ virtute, non tantùm
I i 3 quia

quia primus fuit cum illâ, prioritate intentionis, & causâ exemplaris, ut docuimus supra hâc part. 2. tract. 1. c. 10. per totum, sed, quod magis ad rem facit præsentem, quia primus primitate dignitatis, excellentiæ & perfectionis in illâ virtute, ut etiam docuimus ibidem.

XV. Itaque Divus Josephus inter puros homines primus est in virginitate primitate dignitatis, excellentiæ, & perfectionis: neque id uno modo, sed omnibus. Primò, ex parte objecti, quia nimirum in materiâ maximè difficili & arduâ, scilicet in matrimonio, ubi virginitas maximè lubrica est, & nunquam non eo usque labefactata: Secundò, quia illa etiam ad maiorem voluntatis immobilitatem, & firmitatem, virtutisque perfectionem, voto firmata: Tertio, id totum sine ullâ scripturâ, sine præcepto, sine consilio, sine exemplo, omnium primus: et si enim ante ipsum virgines extiterint, puta Elias, Eliseus, & filii Prophetarum, id quæ ex voto, non tamen in matrimonio: proinde omnium similiter in matrimonio continentium Dux factus & antesignanus.

XVI. Cujus quidem virginitatis ex hâc parte magnitudo & prærogativa quo melius à nobis concipi possit: Ponderandum primò, quo in pretio erat apud Judæos matrimonii fecunditas, quantique fiebat in veteri lege: Propterea enim primò, non reliqua tantum multitudo, sed & omnes Sacerdotes & Levitæ, ipse etiam summus Sacerdos uxores habebant. Secundò, eâ etiam de causâ viri boni, & Dei cultores Summi, Prophetæ quoque ac Patriarchæ Sanctissimi, non modò nubebant, sed etiam eorum aliqui plures habuerunt uxores, ut sic esse possent Patres filiorum plurimorum. Tertio, quin etiam tunc frater fratris sui absque liberis defuncti uxorem accipere, eique semen suscitare per legem tenebatur.

XVII. Ponderandum secundò, quam probrosa erat è contra & ignominiosa eo tempore sterilitatis. Primò, quia præter opprobrium naturale & affixum illi, quod etiam nunc viger, tunc ab omnibus steriles censebantur à Deo male dicti. Secundò, quia eam alicujus & gravissimi quidem peccati pœnam esse

arbitrabantur, eo quod reipsâ experti erant, Deum eam ob causam sæpè mulieres reddidisse steriles: sic sterilis fecit domum Abimelech, propter raptam Saram Abraham uxorem, Genes. cap. 20. v. 18. Sic per Oseam Israeli lascivienti sterilitatem minatur. *Da eis Domine, inquit, quid dabis eis? vulvam sine liberis & ubera arenia.* Tertio, quia cum eo tempore Christus ex illo populo nasciturus esset, alieni ab eo esse astimabantur, qui posteritatem non haberent, quasi nihil ad futuri Messiae generationem contulissent.

Hinc Severus in Catenâ Græcâ: XVII. *Tanto, inquit, studio tunc temporis homines sobolem curabant, ut qui sine spe propagationis decederet haberetur quasi execratus à Deo.* Immodò Rabbi Salomon (apud Bellarmin. lib. 2. de Monachis cap. 6.) in cap. 9. Genes. vult fuisse reum homicidii eum qui liberis non daret operam: & Rabbi David Kimki in cap. 36. Isaia, ait sententiam esse antiquorum Judæorum, eum qui non relinquit filium, esse tanquam excommunicatum à Deo.

Et licet à parte rei res non ita haberet, non enim Sara, non Anna, non Elizabeth erant excommunicari, alieni à Deo, gravissimi alicujus peccati rei, quos justos fuisse ex scripturâ constat: attamen verum fuit homines illius temporis in illâ fuisse opinionem (si tamen de nuptis, & conjugatis sit sermo) non de inuuptis, qui virginitatem profitebantur & vitam cœlibem, quia certissimum est Eliam, Eliseum, & filios Prophetarum, qui virginitatem coluerunt in pretio habitos, quibus adde S. Joannem Baptistam & Essenos, qui et si virginitatem servarent, in magno tamen honore ad Judæis habebantur. Vide Evangelistas pro primo, pro aliis Josephum Judæum l. 2. Antiq. & l. 2. de bello Judaico, Philonē lib. de vitâ contemplat. & lib. quod omnis probus sit liber, & Plinium gentilem lib. 5. c. 17.

Cum autem essent tales in opinione hominum steriles, hoc sufficiebat ad opprobrium & ignominiam: ex hoc enim sequebatur ludibrium, contemptus, & confusio, quorum tantus horror apud homines: quod opprobrium et si esset utriusque conjugis, in viram tamen

tamen præcipuè redundabat, cuius proinde major confusio & dolor: cum ergo Divus Iosephus præviderit si virginitatem voveret, eamque servaret in matrimonio cum conjuge suâ, futurum ut istam ignominiam & confusionem incurreret, eam nihilominus voverit & servavit, qualis amabo, quantaque ista ejus virginitas? & quæ alia tam difficilis? tam ardua? tam cara?

XXI. O quàm fortis, quàm generosa hæc tua ô Sanctissime Patriarcha resolutio! arguis nimirum ut conjux tua apud mellifluum Doctorem D. Bernardum Homil. 2. in Missus est & dicit: *Mihi melius est maledictum incurrere, quàm castitatem violare, nam licet video maledictum, sed non peccatum, hæc enim maledictio quid est nisi hominum exprobratio? Mihi autem pro minimo est quod hominibus displiceo, dum me possim virginem castam exhibere Christo.* Christo ergo devotes te exhibere Virginem, & necis quod ipsi exhiberi te oporteat etiam Patrem: eligis in Israël maledictum incurrere sterilitatis, & ecce maledictio benedictione commutatur, virginitas prole compensatur: eligis in Israël esse contemptibilis, ut illi placeas cui te probasti, & ecce beatum te dicent omnes generationes. Et hinc discite Christiane in iis quæ sunt Dei & virtutis, judicia hominum non attendere, ab eorum æstimatione non pendere, vel curare quid sit dicturus mundus.

XXII. Ut porro ex hoc primatatem ejus in virginitate ex parte objecti consideratâ efficaciter colligimus, sic etiam ex parte formæ. Quid enim est forma Virginitatis, nisi amor, affectus, ad hæsitio virginitati? Quis autem firmiter? quis immobiliter illi adhæsit post Divam Virginem quàm Divus Iosephus, qui illam omnium primus in ipso matrimonio, ubi nunquam amplius non labefactata, servare potuit & servavit usque ad mortem inviolatam? qui ab eâ amplectendâ nec confusione omnium summâ deterreret potuit?

XXIII. Quàm firmiter Diva Deipara immobiliter virginitati adhæserit colligunt Sancti Patres & Doctores: Primò, ex hoc ejus ad Angelum responso: *Quomodo fiet istud quoniam virum non*

cognosco? id est non cognoscam: Ex hoc enim colligunt illi, eam ad eò puritatis suæ amantem, ut etiam Matris Dei dignitatem, licet ex mente Doctoris Angelici Divi Thomæ aliquo modo infinitam, sibi oblatam, acceptare quasi recusarit, si Virginitas amittenda fuisset. Secundò, ex aliis ejus verbis jam præallata sequentibus, cum per Angelum assecurata & certificata quod non ex viro sed de Spiritu S. conceptura esset se submittere per hæc verba, *Ecce Ancilla Domini fiat mihi*, addidit non quod dixisti, sed secundum verbum tuum, id est secundum quod dixisti: quibus non præbuit suum consensum absolute, sed tantum sub conditione, id est ut conciperet sine viro, juxta id quod Angelus dixerat: ubi iterum elucet ejus castitas: Amor enim quo illam virtutem prosequeretur, apud illam effecit ut licet non amplius dubitaret quomodo conceptura erat, nimirum sine viro, prout ei ab Angelo dictum fuerat, verbis tamen adhuc voluerit conditionem istam exprimere: quo quid majus dici possit non video.

Sixtus (sive is sit Pontifex Sanctus, XXIV. sive alius Philosophus Christianus) tractat. de malis Doctoribus & de Castitate dicit. *Castitatem esse rem præ ceteris Deo charam, in quo præcipuè ejus similitudinem gerimus, si incorrupti & integri manserimus. Est enim, inquit, infinita virtus corporis vincere voluptatem.* Sicubi castitas, virtus infinita apparuit, ubi prius aut potius quàm in D. Deiparâ, sed vide mihi quomodo D. Iosephi mores, moribus respondeant Sacratissimæ Conjugis; ut enim illa pro servandâ integritate virginali summum recusabat oblatum honorem, sic Divus Iosephus pro eâ summum non abhorruit opprobrium, summam & præsentissimam nihil curavit confusionem. Quid ergo ille, qui talem nihili duxit confusionem, potius non elegerit, quàm puritatem suam fœdere?

Singulariter commendatur in Historia Ecclesiasticâ, & utique verè commendabilis est Sanctæ Euphrasie Nicomediensis Virginis & Martyris pro Castitate dimicatio. Deprehensa Euphrasia diuque altercata cum impuro Gladi-

Gladiatore, dum se eò loci vidit, ut neque vi, neque lachrymis, (defendunt enim se virgines lachrymis) ab armato atque impotente Iuvene tueri pudicitiam posset, sistere illum iubet, ostenditque velle se pretio redimere quod prece non poterat: Notum sibi esse medicamenti genus fingit, quo qui semel corpus illinat, nullo deinceps ferro telove nocumentum incurrat. Tantùm arcani, quod hodie dum, inquit, clam omnibus habui, tibi monstrabo, eâ tamen cõditione, ut mihi persanctè iures, nullam in posterum pudori meo allaturum injuriam: Quod cum miles incensus armorum gloriâ audisset, facturum se quod illa petebat jure jurando promisit: Tum illa ab eo tantisper averfa, & liquefactâ, quam fortè penes se habebat, cerâ, collum ac cervices oblinuit sibi: Deindè conversa ad juvenem, ut scias, inquit, data à me tibi verba non esse, periculo meo artis quam exposui probationem facito. Age tu ipse stringe jam ferrum, istoque gladio collum, quod ipsa mihi liquamine communivi, impete validis quantum potes lacertis, mox intelliges quàm tutam me adversum te reddere potuerim artificio meo. Ille, cui ardorem libidinis cupido experiendi medicamenti penè restrinxerat, ferrum educit, ac tenetrâ collum puellæ extento brachio validè impetit, præciditque eodem ictu sibi spem potiundæ virginis, ac virgini metum amittendæ integritatis. O plenum generosæ animæ pectus! ò susceptum in arenâ, sed è cælo suggestum consilium opportunum! At ò corruptos nunc sæculi mores! ò perversos nunc puellarum, juvenumque amores! habent & ii præstigas suas, & phyltra, & ad inventiones quibus pudicitiam non ad sanguinem propugnent, sed quâvis arte vel Marte expugnent.

X XVI. Fuit illa sine dubio hujus pudicissimæ Virginis pro virginitate & integritate dimicatio admirabilis. Quid tamen illa brevis vita quam uno ictu celeriter finivit ad confusionem illam & opprobrium perpetuum, quod in præparatione animi subivit in Deum crectus Divus Iosephus, profitens & amplexatus virginitatè in ipso matrimo-

nio illo antiquo tempore? Quid dolor ille cum amaritudine quâ ab animæ dimidio suâ, Virgine dico charissima sibi, divelli voluit, ne fortè in illius consortio quæ lapsa apparebat castitas ejus periclitaretur? quid cum exilio illo perpetuo cui se consequenter condemnavit? Quare ex ordinario Divinæ Iustitiæ processu, uti Beatâ Virgo recusans ob amorem virginitatis Dei Maternitatem ob hoc ipsum effecta est Dei Mater, non futura, ut ait Divus Chrysoctomus, si non tam sublimiter Virgo fuisset? Ita D. Iosephus ob simile Virginitatis propositum, opprobrium & maledictum amplexatus, non est passus illud opprobrium, sed ob hoc ipsum factus est Pater Filii Dei.

Fuit etiam Divus Iosephus primus ^{XXVII} in virginitate primitate dignitatis ex parte causæ efficientis, quia nimirum ejus virginitatis processit ex majori charitate, affectu, & ampliori gratia, quod nemo negaverit, qui ea quæ de eo hæctenus diximus de ejus incomparabilibus meritis ad justæ rationis & æquitatis bilancem adducere voluerit.

Fuit tandem Divus Iosephus primus ^{XXVIII} in Virginitate primitate dignitatis excellentiæ & perfectionis ex parte quoque causæ finalis, idque dupliciter: Primò ex parte Divi Iosephi, quia scilicet ille eam servavit ex perfectissimo puritatis amore, & ut inseparabilius ac purius Deo adhereret. Secundo, ex parte Dei, quia à Deo qui illud donum excellentissimæ Virginitatis ei contulit ad altissimum finem ordinata. Nulla enim virginitas tantum finem habuit, aut habere potuit, quantum virginitas ipsius & prædilectæ Conjugis ejus: In his enim fuit unus & idem virginitatis finis, scilicet cooperatio œconomix Incarnationis Verbi Dei: Quare ut Beatæ Virginis tanta fuit puritas, ut per illam meruerit Verbum concipere & parere: ita Divi Iosephi tanta debuit esse, & porrò fuit, ut per illam meruerit ipsius Pater esse. Ad hæc quid quæso addi poterit? his igitur rem hanc finientes ad alia transeamus.

CAPUT V.

Divi Josephi summa mansuetudo, animi moderatio, justitia, ac iterum castitas; in Resolutione ab eo captâ dimitteendi potius quam traducendi uxorem inventam gravidam.

I. **C**UM non è parentum carnalium arbitrio, sed divino moderante numine, Sanctissima puella Maria Mater Jesu futura, viro suæ Tribus electo, probato, cui nomen Joseph, desponsata, cum eo ex lege conjugii domesticam ageret consuetudinem, ab Angelo affata est: & ejus utero in dies magis magisque intumescente, deprehensa est esse gravida: at is fœtus, haud è complexu viri, sed à Spiritu sancto erat.

II. Porro Joseph cum indubitata cernebat in conjuge suâ argumenta, sibi que conscius esset se minimè illius auctorem, & tamen aliunde eos comperisset Sponsæ suæ mores, ut in eam non caderet certa & indubitata adulterii suspicio, atque aliàs vera probitas, neque sit prona ad malè judicandum, neque præceps ad vindictam: verbo uno, cum esset justus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam, Matth. c. 1. vers. 19.

III. At Josepho recessum sic apud se meditantem, en Gabriel Angelus qui Virgini conceptum annunciaverat admirabilem, se in somnis exhibet, eumque sic affatur: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natû est, de Spiritu sancto est. Quasi diceret quæ torquet animum tuum anxietas? quid fluctus? quid agitaris? aut quod divortium meditaris? noli timere, noli ab eâ distrahi quæ tibi tanta charitate juncta est: fœtus iste quo vides alvum quotidianis auctibus intumescere, ut non ex te, ita nec ab aliquo quoquam mortali: sed Pater præparavit uterum, Spiritus san-*

ctus obumbravit & fecundavit, Dei Filius implevit.

Prosequitur cœlestis genius dicens, *Pater filium*, non tibi solitariè, sed orbitori, hujus tû interim Pater crïs & dicèris, & nato puero, seu Pater, nomen impones, non quod tibi tuus fugesserit animus, sed quod ex re Deus illi ante mundum conditum destinavit: vocabis, inquam, *JESUM*, qui saluum faciet populum suum à peccatis eorum, non pecudum victimis, sed sanguine suo precioso. Ecce rei gestæ seriem. Quaritur in hæc historiâ, cur seu quo ex motivo D. Josephus Virginem deprehensam gravidam dimittere voluerit?

Dux fuerunt olim hæc super re celebres opiniones: Prima Origenis, Divi Hieronymi, Theophylacti, & Dionysii Carthusiani in cap. 1. Matth. Divi Basilii Magni Orat. de human. Christi gener. D. Bernardi homil. 2. super missus est, Divi Thomæ in Supplem. quæst. 62. art. 3. ad 2. Gersonis tom. 4. Epist. de instir. festi Sancti Josephi, quam defendit Viguerius instir. Theologic. cap. 20. §. 9. dicentium, Divum Josephum voluisse dimittere Beatam Virginem, non quod esset illi suspecta de fornicatione, sed è contra, quia sciens illam divinitus concepisse filium Altissimi, reputavit se indignum ejus consortio & cohabitatione; memor fortè illius quod Deus dixerat Moysi de figurâ illius, hoc est Rubo, qui ardebat nec comburebatur, Exodi cap. 3. *Noli accedere, sed solve calcamenta de pedibus tuis, locum enim in quo stas terra sancta est*; vel etiam Patris tui Davidis, qui 2. Reg. cap. 6. timuit introducere Arcam Dei in domum suam: Idè, inquit Origenes citatus, Virginem dimittere volebat, quoniam virtutem mysterii, & Sacramentum quoddam magnificentem in eadem agnoscebat, cui approximare se indignum existimabat: ergo humilians se ante tantam & tam singularem Virginem cogitavit se ab eâ elongare.

Si petas unde hoc mysterium in uxore suâ operatum scire potuit, Respondet inter hos Gerson, Mariam antequam ad invisendam Elizabetham cognatam suam pergeret, Mysteriam

K k k

Incarnâ-

Incarnationis sibi annunciatum Josepho suo aperuisse, obstupuisse verò, ut par erat, Josephum, & de conjugis suâ dimittendâ, quod illius convictu non esset dignus cogitasse. Sed præterquam quod nimis gratis dicit B. Virginem id ei apperuisse, & D. Josephum verbis ejus fidem adhibuisse, quia ex nullo probatur, quin potius contrarium verosimilius est, vide infra dicenda num. 18. & 19. Ruit etiam ex hoc in particulari hæc explicatio Gersonis quod si ei tunc Beata Virgo hoc secretum aperuisset, ac propterea ab illâ discedere voluisset, id illicò exequi cogitasset, quod non fecit, sed notat expressissimè Evāgelium, tum primùm id cogitasse, cum ex ventre intumescens apparuit ei evidenter gravida.

VII. Propterea dicunt alii hoc à Deo ipsi fuisse revelatum, sed contra hoc est, primò, quod hoc nimis gratis dicitur, & non probatur: Ecce enim Evangelista, qui alias revelationes ipsi factas non tacuit, hanc tanti momenti subtrixisset? Secundò, quia, si hoc ei Deus revelasset, tunc simul & semel timore illo ei cohabitandi correptus fuisset, tunc etiam Angelus eum confirmasset, & non de post in aliâ distinctâ apparitione. Tertio, quia hæc revelatio non potest coherere cum verbis quæ Angelus habuit ad ipsum: dum enim dicit illi *Joseph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam*, addit pro ratione: *Quod enim in eâ natum est de Spiritu Sancto est.* Quod idem est ac si dixisset, *Noli timere Joseph, non est illicito violata complexu Conjugis quam vis dimittere, sed ex Spiritu Sancto supra naturam fecundata: Atqui si propterea Joseph dimittere uxorem voluisset eo quod divinitus concepisset sciret, nonne dicenti Angelo, noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, quia divinitus concepit, optimè respondisset, hoc scio, & propter hoc ipsum est quod ego eam dimittere cogito, non enim cum eâ quæ tantæ sanctitatis & dignitatis est habitare mereor.* Tertio, dicitur in Textu quod cum esset justus noluit eam traducere, id est ut manifestè patet ex verbo Græco infamare, & ut adulteram acculare, sed voluit eam

dimittere: non ergo sciebat ex revelatione Conceptionem in uxore esse laude dignam, aut propterea eam dimittere voluit. Quarto, hæc opinio dum humilitatem Divo Josepho tribuit, adimit prudentiam: si enim ex Spiritu Sancto uxorem concepisset cœlitus cognoverat, quantæ imprudentiæ immò & crudelitatis fuisset ab eâ clam se proripere? quo enim velo, hoc divortioposito, tantum obtegeretur mysterium? Ex quibus evidenter patet hanc sententiam nullam habere probabilitatem.

Secunda sententia est illorum qui dicunt Divum Josephum mysteriū hujus eâtenus ignarum, visâ evidenti ex utroque gestabat uxor conceptione, ab eâ occultè recedere voluisse, quia absolute aliquid mali de eâ cogitabat: pro hac citantur Divus Augustinus serm. 16. de Verbis Domini, Divus Chrysostomus hom. 4. in Matthæum. Divus Justinus dialogo contra Triplicem fati post medium. Divus Ambrosius de instit. Virg. cap. 5. Divus Hilarius & Euthymius in cap. 1. Matth. Nicephorus lib. 1. cap. 8. & alii: Nec propterea peccavit malè cogitando, quia cum tunc nondum esset ei revelatum Incarnationis mysterium, ipsius opinio non potuit esse temeraria, quia nunquam fuit aut erit mulier, nisi hæc quæ gravida fuerit aut erit & non de viro suo, nisi violato conjugii thoro: quinimò justum omninò videbatur ut timeret nè Deum offenderet, si contra legem adulteram retinisset, quare illam etiam dimittere cogitavit, & dum hoc cogitavit, Justus ab Evangelistâ reputatur & declaratur.

IX. Inter Authores hujus sententiæ displicet Pater Carthagensis Scriptor aliàs celebris, & etiam erga Sanctissimum Patriarcham bene affectus (taceo Damasium Canonicum Tornacensem in Binoctio suo erga eundem Sanctum nimis illiberalem, imò contra ejus gloriam parum modestè dimicantem) qui tomo 4. lib. 4. homil. 3. asserit Divum Josephum in hac occasione fuisse Martyrem, & Martyrii ipsius seu pœnæ genus fuisse zelotypiam. Sed quis credat Virum adeò Sanctum, qui nihil

nihil de carnali commixtione cogitabat, à tam vili passione tam impotenter fuisse abreptum?

X. Nec, etiam remoto hoc Carthagenæ opinamento, arridet hæc secunda sententia: Primò, quia si Divus Josephus Beatam Virginem iudicasset absolvere eam, debuisset pro isto crimine tam manifesto juxta suam conscientiam cum illâ agere: atqui ex lege Dei adultera debebat acculari & lapidari, cum ergo hæc ex fide sua talis fuisset ex hypothesi, debuisset illam accusare, & non ipsius peccato connivere illi parcendo, & eam occultè dimittendo: sed contrarium patet ex Evangelio, quod eum ex hoc Justum pronunciat, quod noluerit eam traducere, hoc est diffamare, seu ipsius crimen in iudicium producere. Secundò, quia non est probabile Divum Josephum nihil profus dedisse Conjugis suæ quam ipsi Deus per oraculum & miraculum manifestum non ita pridem conjunxerat, virtuti, quæ in ea ad miraculum & stuporem emicabat, maximè verò, ex quo Deo facta erat, qui in ea ut Sol trans nubem icintillabat.

XI. Quare tertiam sententiam amplector quæ est nostri Joannis Sylvani Patriarchæ Jerosolymitani XLIV. vulgò Imperfecti in Matthæum cap. I. quem videntur sequi Haymo homil. in Vigil. Nativit. & Glossa ordinaria quæ docet Divum Josephum de uxore suâ nec absolutè malè ob virtutem, nec absolutè benè ob ejus uterum iudicasse, atque adeò quod eam inventam gravidam dimittere voluerit, non processisse hoc ex reverentia, nec ex indignatione, sed ex justitia, quæ eum tenuit suspensum inter utramque partem, & propter quam timuit illam diffamare, ne fortè innocens esset, vel retinere ne fornicaria.

XII. At quod Divus Josephus de uxore tunc non iudicavit absolutè malè clara est nostri Imperfecti sententia, qui ex hoc pronunciat eum verè Justum, quod non secundum visionem oculorum iudicavit, sed egregis potius Mariæ virtutibus adversus ipsammet oculorum aciem detulit. Undè sic exclamat. *O inestimabilis laus Mariæ: magis credebat castitati ejus, quam utero ejus,*

& plus gratia quam natura. Conceptionem manifestè videbat. & fornicationem suspicari non poterat. Possibilis esse credens, mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare. Ad eum planè modum quo de Catone Seneca lib. de tranquill. animi, cap. 15. Catoni ebrietas objecta est: at facilius efficeret quisquis objecerit hoc crimen honestum, quam turpem Catonem.

Sententiam hanc nostram habet in terminis citatus noster Imperfectus ubi sic ille. *Quoniam auditio verborum Mariæ, & consideratio vitæ ejus mala existimare de eâ non sinebat Joseph: Consideratio autem conceptionis ejus non permittebat eum ad plenum bona estimare de eâ, & sic animus ejus inter utraq; partes fluctuabat, & tenere eam timebat, & tradere eam non audebat.*

Videbat ergo ex una parte uxorem suam gravidam quam non tetigerat, nec ei adhuc revelatum erat cœleste Sacramentum Dominicæ Incarnationis, & sic absolutè de Virgine benè iudicare non poterat: Aliud verò eam cœlo volente, idque per oraculum simul & miraculum testificante, non ita pridem duxerat, videbatque tam sanctam, tam pudicam, tam honestam divinâque gratiâ ita perfusam, ut omnes in sui admirationem raperet, sibi ipsi quoque ad castitatem omnigenasque virtutes illicium esse sentiret potentissimum, prout decebat eam quæ jam Deo facta erat, quæ omnia etiam ipsum impediabant iudicare absolutè de illâ in malam partem, maximè cum esset Sanctissimus & plenus charitate, quæ non cogitat malum.

Itaque inter duas leges positus, unam de non infamandâ & periculo mortis crudelissimâ & ignominiosissimâ exponenda imprudenter honestissimâ ac sanctissimâ conjugem, alteram si fortè mali quid subesset de non convivendo & connivendo cum adulterâ, modum utramque servandi adinvenit eam dimittendo occultè, sicque justè egit: & ideò ab Evangelistâ justus vocatus est, maximè verò ex eo quod noluit eam traducere, quia nimirum tanta signa honestatis & probitatis in illâ elucebant; non obstante utero suo, ut vix justus haberi debuisset, saltem in eo gradu

gradu quo justus erat, si eam contra talia signa propter uterum traduxisset.

XVI. Itaque probatio hujus nostræ opinionis post alias refutatas sumitur ex illis Matthæi verbis: *Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam, clarissimè per præcedentia illustratis. Accedit quod cum omnes tunc censerent tempus advenisse vel instare adventus Messia, cui Mater Virgo esse debebat, potuit cogitare apud se fortè illa est uxor mea tam sancta, tam casta, quâ momente, quâ suadente, quâ præeunte virginitatis votum emisi quod si illa esset quid facerem si eam accusarem? Quid si fortè in itinere ad cognatam suam Elizabetham ab aliquo virguncula sine culpâ vim passa? an etiam diffamabo? absit hoc à me. Sed si fortè culpa subesset (quod nescio) adulteræ commiseri nolo: & sic tutiorem ac justiorem viam elegit, neutrum faciendū, sed ab eâ clam se subtrahendo: quasi diceret, uterus clamat iniquam mores sanctissimam, quid faciam? cohabitabone iniquæ? quid si iniqua non est? tradam ne sanctissimam? quid si talis non est? meam dubitationem dirimat recessus ab illa? quid justius? quid moderatius?*

XVII. Confirmatur primò ex illis verbis, *Joseph Fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Timor enimurbationem (quæ oritur quando animus circa duo utrimque agentia concluditur) comitari solet, non suspicionem: suspicionem enim ira potius comitatur quàm timor. Confirmatur secundò, quia hæc sententia magis favet virtuti Divæ Virginis & Sancti Josephi, suaviq̃ue Dei dispositioni.

XVIII. Sed petes cur non prius quàm Virgo appareret gravida Angelus apparuerit Josepho ut eum edoceret unde illa gravida esset, tum ne Virgo sanctissima in suspicionem veniret, tum ne ipse turbaretur, æstuarer, angeretur: auget dubium quod illud mysterium jam resecretum erat parentibus Sancti Joannis Baptistæ, nam Zacharias Pater, prophetando pronuntiavit: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visita-*

*vit & fecit redemptionem plebis suæ, Luc. cap. 1. Elizabetha mater, Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me; ibidem: immò & ipsi Baptistæ necdum nato, Vt enim facta est vox salutationis Mariæ in auribus Elizabeth exultavit in gaudio infans in utero ejus, ibidem. Nonne Joseph dignior illis? nonne cum esset electus à Deo ut huic mysterio inserviret & puero, conveniebat illum prius & potius hoc mysterium agnoscere quàm illos? cur ergo hoc illis revelatur, ipsi absconditur? sed etsi Angelus non dixit quâ tamen ratione id Virgo Viro celavit? inquit Divus Chryostomus homil. 4. in Matthæum, quæ enim & ab Angelo didicerat, & virum turbatum videbat, quomodò tantum moerorem sermone non absterfit? Responderet ibidem Divus Chryostomus his verbis: *Cur hoc, inquam, Angelus ante non dixit? ne scilicet Joseph de rei novitate dubitaret, & tale quid forsitan patiretur, quale legimus Zachariam pertulisse. Facile quippe est credere verum esse quod dicitur, quando jam res ipsa oculis offertur: antequam verò incipiat fieri quod promissum est, laboriosè prorsus dicta, & præsertim inusitata creduntur: propterea istud nec Angelus indicavit, & Virgo id quod & audiverat, & sentiebat, abscondit; neque enim sibi ullo modo à Sponso credendum putavit, si ad eum rem nimis novam suspectamq̃, deserret: quin immò magis eum in iram credidit concitandum, si quasi crimen admissum, hoc videretur obumbrare figmento: si enim etiam ipsa Virgo, cui tanta erat gratia conferenda, aliquid tamen patitur humanum, & dicit quomodo istud erit quoniam virum non cognosco? quâto magis ille dubitasset maxime cum id audiret ab uxore suspecta? Idcirco ei de hac re Virgo quidem ipsa nihil loquitur: Angelus verò advenit tempore congruente.* Hæc D. Chryostomus.*

Nec tantum ex prudentiâ virtute Beata Virgo hoc secretum non aperuit Divo Josepho, sed etiam ex modestiâ rarâ valdeq̃ue suspiciendâ, ne sua dona jactare videretur: atque etiam ex magnâ excelsâq̃ue in Deum fiducia, cujus providentiæ hoc totum opus, quod ipsius erat per excellentiam, commisit, certissimè

certissimè confidens Deum suam innocentiam & famam curaturum, ac vel rem totam opportunè patefacturum, ut paulò ante Zachariæ, Elizabethæ, & Baptistæ fecisse experta erat, vel omnia directurum ad majorem suam gloriam, cui suam famam, & omnia sacrificari æquum erat. Quàm magnanima ista Virginis in Deum confidentia! quâ omne hoc sinistra opinionis & infamiae periculum subiit, ejusque metum excussit. Discant ab illâ uxores aliæ, quæ viros habent morosos & suspiciosos, constantiam, & sperare in Deum quod ipse earum innocentiam proteget.

XX. Respondeo secundò, ex Divo Gregorio Magno homil. 26. in Evangelia. Divum Josephum permissum fuisse incidere in istam anxietatem & dubitationem propter eandem rationem, propterquam Divus Thomas permissus est dubitare de Resurrectione: *Nunquid casu gestum creditis*, inquit D. Gregorius, *ut electus ille discipulus tunc deesset, post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet: non hoc casu sed divinâ dispensatione gestum est: egit namque miro modo Divina Clementia, ut discipulus dubitans dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis sanaret vulnera infidelitatis..... quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postpositâ in fide solidatur.* Sic etiam Divus Josephus permissus est ante nativitatem Domini dubitare de integritate Matris ejus, ut dum ipse per Angelum ab ista dubitatione liberaretur, nos per ipsius testimonium omni exceptione majus, in fide confirmaremur Dominicæ Incarnationis. *Et certè quis locupletior testis Mariani pudoris, quàm Maritus, inquit Divus Ambrosius lib. 2. in Lucam, qui poterat dolere injuriam & vindicare opprobrium, si non agnosceret Sacramentum.*

XXI. Ad stipulatur Divus Chrysostomus homil. 4. in Matth. ubi sic loquitur. *Postquam dixit Evangelista quia Christus esset ex Spiritu Sancto, & absque ulla mixtione sexuum, sermonem suum etiam aliunde confirmavit: ne enim aliquis diceret, & undè hoc potest esse manifestum? quis vidit? quis audivit aliquando tale*

contigisse? Neque putares discipulum quasi gratificantem Magistro suo ista confingere, introducit Ioseph, ex his quæ passus est fidem dictis per cuncta facientem, ut planè hinc dicere Evangelista videatur, si non credis mihi, & testimonium tibi forte meum suspectum est, crede igitur vel merito. Ioseph autem vir ejus cum esset justus, &c. Cum igitur esset justus, hoc frangi, bonusq; vir voluit dimittere occultè eam. Propterea verò Evangelista dixit quid iusto illi acciderit ante notitiam, ut nequaquam de his quæ post notitiam rei sunt facta dubitares. Et certè si Maria talis fuisset qualem illam suspicio fingeat, non modo publicari meruerat, verum etiam ex legis autoritate puniri. Sed Ioseph non solum manus, verum id quoque quod erat minus pariter indulsit. Non facturus utique, minus verò cum illa deinceps convicturus, nisi Sacramentum agnovisset. Tertia responsio ad hoc quaesitum erui poterit ex iis quæ dicemus infra num. 39.

Porro hoc Divi Josephi factum Sanctus Evangelista ejus tribuit justitiæ, dicens: *Ioseph autem Vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere.* Sed cum illud, & nollet eam traducere, significet & nollet eam publico exemplo ignominiosè puniendam curare: jure à Patribus vertitur in dubium quomodo justitia adducatur in argumentum pietatis & benignitatis? Nam ex hoc potius videbatur Divus Josephus dicendus pius, benignus, lenis & misericors, quàm justus. Sed respondeo nomen *justus*, quo eum appellat Evangelista in hac occasione, non significare justitiam, ut particularis est virtus, & una ex quatuor Cardinalibus, sed justitiam communem & generalem, quæ omnes complectitur virtutes, & importat habitum & affectum implendi omnem legem. Et certè, ut hic tatus vir tot in se motus sedare posset, & tunc exurgentes in tam urgenti occasione passiones sistere, ac contineret, eguit plusquam unâ virtute justitiæ particularis, nec illa sufficisset ad tantam sui victoriam, imò è contra illa zelum potius ejus accendisset, ut manifestè grava puniretur.

Confirmatur: duo in hac occasione Evangelista proponit consideranda: Primum, quod videns uxorem suam, quam

quam non tetigerat, gravidam & nefciens undè, eam tamen traducere noluerit. Secundùm, quod eam voluerit occultè dimittere, non enim putabat se posse tutà conscientia illi cohabitare cum periculo peccari, si quid fortè mali subesset. Vide jam in utroque incomparabilem Sanctitatem.

XXIV. In primo, sic eam effert Divus Petrus Chryologus. *Hoc pio, inquit, magis videtur convenire quam iusto; sed humano iudicio non Divino. Penes Deum neque pietas sine iustitia est, neque sine pietate iustitia: Celesti sensu sine bonitate aequitas, sine aequitate bonitas non habetur, virtutes si separata fuerint, dilabuntur: Aequitas sine bonitate servitia est, iustitia sine pietate crudelitas. Ioseph ergo merito iustus, quia pius; & pius quia iustus: Denique dum pietatem cogitat crudelitate caruit, dum causam temperat, iudicium custodivit, dum vindictam differt crimen evasit, dum refugit accusationem fugit sententiam. Et optimè, nam Scriptura dicens: Noli esse iustus nimium. Ostendit evidenter iustitiæ opus esse, iustitiam moderatione temperare: in quem sensum elegantissimè Divus Gregorius Nazianzenus epist. 181. Nihil grave, inquit, carnifices agunt, legibus enim inserviunt: nec iniustus est gladius, quo de improbis supplicium sumimus: nec tamen laudatur carnifex, nec cruentus gladius lubenti animo tractatur: humanus enim animus, si tamen humanus, in humanitatem & benignitatem potius inclinat.*

XXV. In secundo: Divus Augustinus tom. 10. serm. 63. de diversis: *Attendite, inquit, sinceram iustitiam: non enim propterea parcere volebat quod habere cupiebat: multi enim amore carnali adulteris uxoribus parcunt volentes eas quamvis adulteras habere, ut eis per carnalem concupiscentiam persfruantur: hic autem vir virtuosus habere eam non vult: ergo non carnaliter diligit: & tamen non vult punire; ergo misericorditer parcat. Qualis hic iustus est, nec tenet adulteram, nec propterea parcere videtur, quia libidinose diligeret: & tamen nec punit, nec prodit: merito planè testis electus est virginitatis uxoris.*

XXVI. Addo, nec ut arbitror improbabiliter, Divum Iosephum non idè sojùm

eam suspectam dimittere voluisse, ne fortè si non esset innocens, cum eà manendo ejus crimini participaret, ut hætenùs placuit Sanctis Patribus, sed etiam ne suam ipse castitatem, & illius vorum quod fecerat in discrimen adduceret: ita enim cogitare potuit apud se, & meo videri, sine dubio cogitavit, si illa fortè cecidit, quod nefcio, cum eà manere, mihi qui castitatem voti licet eà consulente, quomodo tutum? si enim ita cecidit cum alio, posset me quoque, qui me illam tenerè diligere sentio, in eandem prævaricationem pertrahere: cum igitur castitas non sit tuta nisi cauta, pro meà securitate ab illa me proripio. Quanta castitas illa? imò qualis iustitia?

In utroque autem Divus Chryostomus homil. 4. in Matth. celsitudinem virtutis merito stupet ac miratur: verba ejus merentur lectionem & profundam reflexionem, habent enim ferè singula suum pondus. *Si Maria, inquit, talis fuisset qualem illam suspicio fingebat, non modo publicari meruerat, verum etiam ex legis autoritate puniri: sed Ioseph non solum majus, verum id quoque quod erat minus pariter indulsit: non enim tantum eam damnare noluit, sed nec publicare. Vidisti nempe virum sublimiter philosophantem, & tyrannicæ illius effectiois immunem. Nostis enim profectò, quàm impotens res sit zelotypia. Propter quod ille bene, hujus rei non ignarus, aiebat, Proverb. cap. 6. Plenus est zelo furor viri ejus, non parcat in die vindictæ. Et rursus inexorabilis est, inquit, sicut infernus zelus. Et nos quidem plerosque novimus velle animam potius amittere, quàm in tormentum zeli atque huiusmodi suspicionis incidere. Quamquam hic qua tandem diceretur esse suspicio, ubi ipse uteri tumor videbatur arguere suspectam? Sed tamen ita erat ille Vir ab huiusmodi passione mundus ac liber, ut ne in minimis quidem Virgini vellet inferre molestiam. Quia ergo & apud se illam retinere iniquum putabat, publicare atque in iudicium trahere nihil esse aliud quàm eam in mortem trahere videbat. Neutrum horum facit, sed adhuc sub lege vivens supra legem philosophatur: signum dem adventante iam grati, multa sublimioris disciplina documenta fulgere oportebat.*

rebat : ut enim sol nondum radiis ostensis, eminentis tamen splendore suo maximam partem orbis illuminat; ita & Christus ex utero Virginis tam iamq; progrediens universo orbi etiam priusquam oriretur illuxit. Denique ante illum quoque Virginis Beata partum & Propheta in spiritu tri-pndiabant, & Mulieres in spiritu praedicabant futura & Ioannes nondum claustra egressus uteri gaudia sua pendebat & Matri. Propterea igitur & Ioseph tantam philosophiam mentis ostendit, neque enim aut in iudicium tradidit Sponsam, aut ipse saltem ei manifestum exproravit uteri tumorem, sed tantum ab illa se separare conatus est. Quum in his ergo omne negotium verteretur, atque in summâ res difficultate consisteret, advenit repente Angelus, qui omnia simul mœsta & adversa dissolveret.

XXVIII Ex quo Divus Paschasius lib. 2. in Matth. sic eximie ad mores concludit. Hoc velim audiant temerarii, & discant inter caesarum incerta diu secum ex reverentia timoris Dei delibere negotia, ne discrimine levitatis pressi in deterius cadant. Et nos Fratres quoties turbat nos dubitatis caligo, fallit rerum species, facit superficies causarum interdum interiora veritatis nescire, declinemus ad praesens iudicium, subtrahamus sententiam, fugiamus discrimen, dicamus totum Deo, ne dum temerè gestimus definire sententiam, nobis paremus ex discrimine alieno ruinam.

XXIX. Discant etiam hinc severiores Superiores & Iudices, quorum carnifex est animus, & ad poenas irrogandas semper anhelans, non modò non humanitati, sed nec iustitiæ consonum esse miseroreos ferocia primùm vultus & judicialis strepitus turbatos captiosis interrogationibus implicare, & malè innodatos pejus pro verè confelsis condemnare.

XXX. Verùm hoc profundius perscrutari lubet, nam in paucis Evangelistæ verbis, quibus iustitiæ Divi Iosephi specimen exhibet, venam invenio divitem, quâ effusa, nihil amplius desiderari possit ad plenissimam istius Viri incomparabilis commendationem. Ecur amabo, ut hoc admirabile factum Divi Iosephi referat Evangelista pro-

ludit isto modo dicens : Ioseph autem vir ejus cum esset iustus? Cur potius hic iustus quam alibi? nunquid non iustitia fuit, quod tam promptè, tam simpliciter, tam perfectè obedierit Angelo fugam in Ægyptum precipienti? nunquid non iustitia fuit quod tam Religiosè quot annis ascenderet ex Nazareth Jerosolymam ad solemnitates? nonne iustitia fuit, quod ipse, cujus ex Davide & Salomone deicentium duxerat S. Evangelista, & consequenter jus directum ad Regnum Davidicum indicarat, conjunctam cum tantis naralibus ultimam conditionem, nempe Fabri, tanquam ex inscrutabili Dei providentiâ sibi electam & provisam, resignatione summâ, & cum gaudio in Spiritu Sancto excepit, amplexatus est? Nonne iustitia fuit quod summam illam puritatem & castitatem in ipso conjugio mortalium primus servaverit? & tunc quidem cum sterilitas probro & maledicto vertebatur? Cur ergo non in his, sed ibi expressè dicitur Divus Ioseph iustus? Certè existimo idèo hic expressè dicitur Iustum, (quod de iustitiâ communi & generali, quæ omnes complectitur virtutes intelligendum) quia censuit Evangelista iustitiam quæ decebat Virum Mariæ habentis, in utero filium Altissimi, cujus ipse erat Pater, nullo argumento hoc validiori, efficaciori & clariori probari posse, & idèo bene pendendum ac ponderandum.

Duo ergo hinc consideranda, primum, quòd videns uxorem suam, quam non tetigerat, gravidam, eam tamen traducere noluerit: Secundum, quod eam dimittere voluerit, & utrobique ut magna erux, ita magna Iustitia. Videamus.

Quoad primum, quis explicet quàm graviter commotum fuerit & agitatum cor Sanctissimi Viri? Ex unâ parte non ignorat Sponsæ suæ Sanctimoniam, testis est oculus honestissimæ conversationis ejus, quæ etiam certentibus afflabat castimoniam: ex alterâ parte gravidam videt ipsam unde autem? ignarus est quid molestus? Cùm ergo sensim intumesceret Beatissimæ Virginis uteros, Sanctus Ioseph sponsus ejus pudicissimus animadvertit quod

quod vix credere potest, videri indubitate, quod tamen dubitat esse eam que se ad servandam & vovendam virginitatem induxerat, aliunde quam ex se gravidam. Rem vider, nescit modum: imò scit Virginem tam puram, & tam alienam ab eo quod videt, ut non credat oculis suis: Sed tamen illa fert uterum: disputat ipse cum animo suo quomodo gravida potest esse Virgo? & quomodo tam sancta, tam modesta fidem violasse Viro? Hæc inter se nimis pugnancia sunt.

XXXIII. Positum ergo erat cor ejus quasi inter duos lapides molares: hinc uterus premebat plenus: illinc probata honestissimæ Conjugis virtus. Uterus ciet odium, & quæ ex eo sequitur iram: virtus & rarissimæ uxoris dotes accendunt amorem, & quæ ex eo sequitur teneritudinem, utrumque quomodo cor ejus lancinabat? quomodo hinc & hinc distrahebat? quomodo se expediet? Recordatur uxorem se ad continentiam, immò pro continentia servandâ ad vovendum adduxisse, sub prætextu quod actio conjugalis, licet licita & honorabilis, non tamen erat pura, & interim illam vider non diu post gravidam; auxisset procul dubio anxietatem, obruisset animum, nisi ejus amor spiritualis fuisset, & virtus probata, quod hoc insitio conjugii, quando amor conjugum est vehementior: nec brevis fuit aut unius diei hæc in Divo Iosepho angustia, sed diu illam sustinuit, & quo pede alvus intumescerebat Virginis eodem ejus anxietas & mœror augebatur. Habenas Deus laxavit ejus dubitationi, ut eò usque cresceret quò poterat, ut in illâ omnes orituras in Ecclesiâ contra Virginis integritatem dissiparet & sanaret: unde passus est in hoc agone quantum potuit, atque ita toto illo tempore Deus in Divo Iosepho maximam quam potuit Mysterii Incarnationis confirmationem excudit, ut nobis liquidò constaret non fuisse opus viri, sed Spiritus Sancti.

XXXIV. Vide interim quomodo ille in hac occasione adeò lubricus (& cui nescio an ulla unquam fuerit, aut erit similis) se gessit? non ille, ut etiam justissimus & mansuetissimus fecisset, indignati

non exandescere, non præcipiti ira impetu, quem hic casus, si ullus accendit, gravius aliquid moliri cœpit, sed motus omnes sedat, rationem servat, æquitatem tuetur, Deo confidit, & justitiam amplectitur: ut dum occultè dimittit uxorem, nec innocentem prodatur, nec alieno crimini, si crimen adesset, participet.

Non ergo præcepit in iram, non exardescit in furorem, non turbat aut subvertit domum, non eam malè tractat, non expellit domo, nec aut palam facit ei confusionem, aut coram parentibus & amicis; non eam in particulari objurgat, quod facerent etiam Sancti, sed nec interrogat eam, unde illi hoc? immò nec torvè respicit, aut durius illi loquitur: verbo uno non illi, quamvis rea appareat, sed sibi ipsi omnem pro hoc factò poenam irrogat, seipsum exilio damnans; ne vel Deum offendat, vel uxori injuriam faciat: Qualis hæc justitia! An hoc potuisset si fomes adhuc in illo vixisset? si non in summo sanctitatis culmine constitutus fuisset? & hæc ex observatione Joannis Hentenii Hieronymiani in Evangelia ad hæc verba: *Hæc autem eo cogitante, Matth. cap. 1. vers. 20. ubi sic ille: Vide mansuetudinis excellentiam: non solum hæc de re, nihil alteri manifestabat, sed nec ipsi de quâ suspicionem habebat: tantum apud se cogitavit clam dimittere eam. Hæc verò Hentenius ex Divo Chryostomo in eadem verba Matthæi, ubi ait: Notatur etiam mansuetudo Ioseph, quia nulli enarravit suam suspicionem, neque ei quæ suspecta erat, sed in se cogitabat.*

Denique ut hinc indeficientem illibatamque proterus Divi Iosephi justitiam agnosceremus, nec ejus de Virgine uxore cogitationem in sinistram ullo modo partem interpretari possemus, justificavit eum in hac ipsâ enarratione sacer Evangelista dicens: *Ioseph autem vir ejus cum esset justus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Ex quo nimirum quam constans, quantumque in perplexissimo negotio justitiam ejus tenor fuerit apparet, quæ & ipsum Spiritum sanctum per os Evangelistæ loquentem, Interceptam vademque habere meruerit. Quem

Quem autem Evangelista vel Spiritus sanctus ipse iustum vindicat, quis iniustitiam condemnare audebit? & si in hoc summa arduitas negotio, ne in cogitatu quidem eius labecula ulla inventa est, quâ demum in cogitatione; quove in opere contra iustitiam vel Dei legem deliquisse videri poterit?

XXXVII. Quantum ad secundum: occultè ergo dimittere cogitabar seseque ab eâ clam proripere indemnam: sed quantum res hæc illi statuta erat? quis edicat? quo sensu animæ dimidium suæ, & si ita dicere liceat semet a seipso divellet? tormentum ingens atque omni cruciatu acerbis, quo viri castissimi integerrimique animus diu noctuque supra id quod dici potest torquebatur, quo tamen liberare se poterat nullo negotio, poterat enim tacere, & cum eâ manere, si non fuisset iustissimus, aut si castitas ei defuisset.

XXXVIII. Deus illa duo corda perfectissimè conjunxerat, & ita perfectè, ut nulla unquam aequè. Quam sensibilis ergo, quam amara debuit esse ista separatio futura suâ opinione perpetua! & quam triste vel de eâ solum cogitare! Deus meus (ita secum ipse) quomodo versa est in luctum cithara mea? quomodo subito exhaustum est gaudium meum? Heu me miserum! quomodo video Solem felicitatis meæ obtenebratum? O me infelicem cui ab illâ abscedendum, quæ tam gratiosè lucebat in oculis meis! ô Maria! ô Sponsa mea olim mihi tam chara! ergone tu mihi deserenda? ô duram fortem! ô casum acerbum! quid? mihi vivendum & sine illâ vivendum? & quæ deinceps erit ista vita victuro sine illâ, quæ erat totum meæ bonum & solatium vitæ? O munde! ô sine requie munde! ô Maria! quanta est angustia mea, & ut te deseram, & ut tecum maneam? ille qui suavi tuæ assuetus est præsentia quomodo poterit à te discedere? quæ manus tui repudium scribere? non utique mea, non, non erit illa ah! tui infelicis dextera Sponsi: nam licet te deseram, te tamen amo. Ergo per orbem pererrans eo, ut homo palabundus, ut pauper, ut vagus, ut confusione plenus, malo gustui meo, propriaque detractum satisfactioni, malo in me

ipsum sævire, quam vel in Deum delinquere, vel in te: hæc vel his similia Divus Iosephus in hoc merore. Ex quibus discant conjuges non turbari, aut desperare; si in matrimonio tuo inveniant cruces, quas minimè cogitaverant, si ab invicem aliquando patiantur: quandoquidem hoc matrimonium Divi Iosephi & Virginis, tam sanctum, tam evidenter à Deo, & tam sublimiter in Deum, suis non caruerit molestiis & amaritudinibus.

In hæc autem perplexitate, non ante, adfuit Deus quam dum prope esset Ioseph ut Mariam dimitteret: hoc significant verba illa: *Hæc autè eo cogitante*, idest jam jam quod cogitabat tacturo: *Ecce Angelus Domini apparuit ei, &c.* Permisit Deus, imò voluit ipsum quantum fieri potuit angere, ut quantum fieri poterat mereretur, nobisque pateceret magnitudo virtutis ejus ac sanctitatis: in hoc enim intendit Deus, ut Sancti sui, quantum fieri potest, crescant in merito. Ita probavit fidem & obedientiam Abraham Patriarchæ in filii sui Isaac immolatione, Genes. cap. 22. Vide quomodo præcepit ei Deus ut immolaret filium suum unigenitum quem diligebat Isaac. Hic ad cœleste mandatum nil cunctatus, exivit ut abiret ad locum quem præceperat ei Deus; sed non fuit satis: post tres dies itineris tandem pervenit ad radices Montis à Deo ad immolationem designati: non fuit satis: Relicto ibi comitatu ascendit ad verticem Montis, ubi immolatio fieri debebat; non fuit satis: Altare ædificavit; non fuit satis: in eo ligna ad sacrificium composuit; non fuit satis: filium suum Isaac ligavit, non fuit satis: eum posuit super struem lignorum, non fuit satis: extendit manum ut atriperet gladium quo præcinctus erat; non fuit satis: educit gladium; non fuit satis: brachium armatum elevat jam jam icturus. Tunc non ante, ecce Angelus Domini de cœlo clamat, *Abraham, Abraham non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam: nunc cognovi quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Tentavit Deus Abraham: iustinuit utque ad ultimum punctum Abraham, ut

Synopsis

ut nota fieret omnibus sæculis futuris ejus fides, Obedientia, & Constantia ac in Deum amor: Ita quoque probatus est D. Josephus.

XL. Quamvis autem Deus moram trahere videatur, non tamen tardat, quia venit tempore congruo: Viro enim Sanctissimo plenè probato *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis dicens, Joseph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, quod enim in eâ natum est de Spiritu Sancto est, &c.* Ac si diceret, Joseph ubi es? & quales sunt istæ cogitationes tuæ? Redi ad te & recordare quid promissum sit Davidi cujus Filius es, videque hoc in te nunc completum: quod enim in uxore tuâ natum est, de Spiritu Sancto est: Ita ferè Strabus in hunc locum. Quid poterat illi accidere jucundius quàm hoc in tam tristi confusione cogitatum suorum nuncium? quod scilicet illa quam cœlo dante acceperat in uxorem, & quam tam tenerè diligebat, quam tanti faciebat, paritura erat ex Spiritu Sancto Messiam toties promissum, adeò desideratum, tamdiu expectatum; cujus ipse Pater futurus erat. Quid, inquam, potuit illi accidere jucundius quàm quod illam, à quâ tam ægrè se separabat, retinere jubeatur? Nunquid poterat sibi hinc usurpare illud ejusdem Patris sui Davidis Psal. 93. vers. 19. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ letificaverunt animam meam.* Ac deinde illud Jacob Patriarchæ unius ex Progenitoribus suis *Tunc latus moriar cum videro faciem filii mei.*

XLI. An non hic miranda Dei nostri providentia, & stupendus ejus procedendi modus ut Sanctum nostrum reddat inclitum? Dum hæc agebantur, hæcque patiebatur Divus Josephus, actu hoc agebat Deus, ut eum omnium hominum faceret maximum, Patrem dico filii sui, & Prædestinatorum post Matrem primum, & ipse nesciebat: propterea duram istam dedit illi tentationem, eamque ob rem cum Zachariæ & Elizabeth ejus uxori revelasset Mariam Filium suum de Spiritu Sancto concepisse, id tamen illi absconditum voluit: Si enim ei revelasset non fuisset tentatus & probatus, si non

fuisset tentatus & probatus, non meruisset, ejusque virtus fuisset nobis incognita.

Audiendus ad hoc propositum Rupertus Abbas sydrus nostræ gentis, lib. de Glor. & honor. Filii Hominis in Matth. ad illa verba, *Joseph Fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, &c.* ubi postquam proposuit quæstionem cur Angelus non missus ad Josephum antequam Beata Virgo appareret gravida, ipseque dubitaret ac angeretur? Respondet his verbis. *Ut tentaretur & manifestum fieret tam sanctis Angelis, quàm nobis hominibus de ipso quod esset justus, & talis qui digni sic deberet appellari Joseph fili David: sic enim Pater ejus David maluit exulare, quàm uti permissio legis dicentis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Sed surgens, ad Achis Regem Geth fugit, quomodo iste iustus Joseph occultè dimittere Mariam voluit proficiscens in Regionem alteram: amplius autem ex eo filius David tam insigniter tali in re, tali in tempore. Pondera hæc postrema verba, tali in re, tali in tempore, id est pepercit non in tali quali injuriâ, sed in omnium gravissima: pepercit, non Evangelii tempore, sed Legis antiquæ: pepercit in principio desponsationis, quando amor nascens, quando zelus major, & ira potentior: & pepercit, non quocumque modo, sed eo quo explicuimus, ac ne ipsam, aut Deum offenderet, in seipsum sæviendo, & ea propter seipsum exitio perpetuo condemnando.*

Cum ergo in eo passiones omnes, **XLII.** & affectiones appetitus tam concupiscibilis partis, quàm irascibilis, adeò edomitas videamus, ut in conjugio vivens, nihil de carne cogitaverit, ut videns uxorem suam gravidam nesciens unde, ne vel nutu quidem, vel verbulo eam contristarit, ut eam plus amans quàm seipsum, ab eâ tamen se voluntate & in animi præparatione avulserit ne Deum offenderet, & ne illi noceret, per orbem exul & vagus proficisci elegerit, ut denique in tantâ iræ, imò furoris occasione, quâ nullâ unquam major, eam tamen moderationem, æqualitatem, & justitiam servavit, quam hinc vidimus, nonne omnino concludendum quomodo fecimus

mus supra Part. 1. tract. 3. quod si ipse ut ceteri in Adam peccavit, ab eo tamen morbo ita sanatus sit (quod non ceteri) ut nihil imbecillitatis ei ex illo remanserit.

CAPUT VI.

*Divi Josephi ex hoc iterum
aliisq., Patientia, Animi
Fortitudo, et Aequa-
nimitas.*

- I. **P**ERFECTIO Dei summa est quod omnium plenitudinem & cumulum perfectionum in unicâ purissimâ ac simplicissimâ entitate, quam Theologi simplicitatem vocant, sine ullâ compositione & commissurâ colligat, ita ut omnes omnium entium perfectiones non solum contineat eminenter & cum infinitâ supergressione, sed etiam simpliciter & seclusâ omni pluralitate: Non ergo in illo alia res Intellectus, & alia Voluntas, alia Scientia, & alia Potestas, alia Misericordia, & alia Iustitia, & sic de ceteris: sed omnes sunt actus actualissimus, unicissimus, purissimus & simplicissimus: hic est enim conceptus essentia essentialiter infinita in omni genere: secus est de creaturis, quatuor esse cum è diverso sit essentialiter finitum & limitatum, eò excellentiores erunt quo plures in se coacervabunt perfectiones, quibus per multipliciter propius accedant ad aliqualem representationem perfectionum, quæ reperiuntur in Deo per unitatem seu identitatem.
- II. Neque tantum propter limitationem sui esse omnibus creaturis essentialem, indiget homo pluribus perfectionibus ad sui ornamentum, & facultatum suarum complementum, sed etiam propter certorum excellentiam Actuum, quæ excellentia in aliquibus tanta est, ut nunquam illos producere possit sine adminiculis illis sive à Deo additis, sive proprio labore comparatis.
- III. In hoc genere fuerunt plures virtutum actus, quas in Divo Josepho

divinum commendavit Evangelium, de quorum aliquibus propterea in hoc opere sæpè recurrit sermo: inter quos maximè eminet hic, quò uxorem suam sustinuit gravidam, quam sciebat se non tetigisse: Tam magna enim res fuit in hoc casu eo modo se gessisse quo explicuimus capite precedenti, ut non tantum ad hoc pluribus egerit virtutibus, sed totâ iustitiâ, nec iustitiâ communi tantum & ordinariâ, sed totâ plenitudine Sanctitatis: quod satis innuit Sacer Evangelista dum hoc factum referens, Divum Josephum non tam asserit Iustum, quam præsupponit, dicens: *Joseph autem Vir eius, cum esset iustus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Hocce enim modo huic tacto præludens, nonne idem est ac si diceret: non mirandum cum esset iustus quod ita se gesserit: cum verò nullus communiter tantum iustus, aut etiam tantum communiter Sanctus ita se gerere potuisset in tantâ occasione, ut constat: relinquatur omnino ut Evangelista voluerit iudicâ fuisse præditum sanctitate, quia omnino talis ad talem actum fuit necessaria.

Quare hic alii mirati sunt & laudaverunt summam ejus prudentiam, alii fidem, alii & nos cum his castitatem, mansuetudinem, pietatem, benignitatem, moderationem, sanctum Dei timorem. Restat ut ex hoc quoque ac deinde aliis, animi ejus fortitudinem, sufferentiam & æquanimitatem perpendamus.

Ceteri homines dum fiunt Patres ex inde percipiunt delectationem, & quarunt: & nisi illam se inventuros scirent, renunciarent libenter isti qualitati, quam sequuntur tot curæ, sollicitudines, & molestiæ tantæ. At Divus Josephus dum fit Pater, majores in animâ, quam in corporibus suis Matres dum actu pariunt, patitur angustias. Cum enim alia sint mentis cruces, & alia Corporis; quis est qui nesciat illas ceteris paribus his longè esse acerbiores & intolerabiliores.

Hinc Theologi intolerabiliorem docent in animabus damnatis & se purgantibus dolorem quem ex penâ damni percipiunt seu privatione Dei.

eo quem ex pœnâ sensus, seu actione ignis. Hinc sæpè vidimus homines in carcere, in suppliciis, & cruciatibus corporis fortes esse, constantes, acres etiam: in animâ verò anxietatibus timidos, tristes, dejectos. Hinc denique Salvator ipse, qui in totâ dolorosissima Passione suæ historiâ nunquam de ullo tormentorum suorum, quamvis atrocissimorum, auditus est conqueri, conquestus est in horto de animâ tristitiâ: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et in Cruce de Paternâ derelictione: *Deus Deus meus ut qui dereliquisti me?* Ergo cruceis mentis cæteris paribus corporalibus sunt acerbiores. At inter has animâ cruceis quam acerbior illâ, quam pertulit Divus Josephus dum fieret Pater? quale tormentum homini videre uxorem suam quam scit se non tetigisse gestantem uterum? Qualis crux propter hoc cogi eam dimittere, quæ in ejus oculis adeo graciosè lucebat? quam acerbum ob alienum factum exilium debere subire perpetuum, quod licet in re non pertulerit, ad illud tamen mente paratus fuit?

VII. Tolerabile fuit Abrahamæ Patriarchæ quamvis durissimum, filium suum unigenitum quem diligebat tollere, gladioque caput ejus demerere, quoniam in eo facinore ceterâ præcepti divini luce dirigebatur: at in hac æstuosissimâ fornace, nulla eo usque divinæ lux revelationis, nullum alicundè consilium, nulli enim vulnus suum aperire audebat, & vel Conjux supercharissima dimittenda, vel cum Dei supercharioris offensione retinenda? Quonamque in hujus medio perplexitatis sese verteret quidvè faceret Joseph? diligebat ipse haud dubiè conjugem sapientissimam, pudicissimâ, modestissimam, piissimâ, ut animam vitamque suam, quoniam & amore ejus purissimo omnium maximo mentem ejus impleverat Spiritus Sanctus. Et ecce de divellendâ, dividendâque animâ suâ cum eo agitur, conflictantibus inter se honore legis, & amore Conjugis: & quo interim pro communi utriusque satisfactione se convertat prospicere non datur nec nancisci hostem à quo pro Deo ignem potius perferat vel ferrum. Sed si ferrum cor-

pus ejus non pertransit, pertransivit saltem ut antiquum Josephum Patriarcham ejus figuram psalm. 104. vers. 18. animam ejus donec veniret verbum ejus, idest supernæ instructionis per Angelum nunciantem *Ne timeat accipere Mariam Conjugem suam.* Et ita eo usque voluit Deus, qui antequam hæc pertulisset, Mysterium istud ei revelare noluit: Nimirum quia suspecta est virtus quam labor non induravit. Hinc Seneca lib. de Provid. aiebat. *Magnus es vir, sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibende virtutis? Descendisti ad Olympia, sed nemo præter te Olympiam coronam habes, victoriam non habes: non gratulor tanquam viro forti, sed tanquam Consulatum Præaturamve adeptio: marces namque sine adversario virtus, tunc apparet quanta sit, quantum valeat polleatque, cum quid possit patientia ostendit.*

VIII. Virtus profectò nullâ re sic exalaret ac tribulatione. Ante tribulationem sciri non potest omninò an quis verè sit Sanctus: hinc necessaria est probatio, ut æstimari possit: Propterea Angelus ad Tobiam c. 12. v. 13. ait. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Expende verbum illud necesse: unde illa necessitas? sancti an sint verè tales ante tribulationem, à solo Deo cognoscuntur; at post tribulationem id omnibus constat hinc, ut clariore fiant, necessaria tribulatio. Immo ab ipsâ apparet quam magna sit virtus. Hinc est quod cum fidelis sit Deus, qui non patitur nos tribulari supra id quod possumus, ut asserit Paulus 1. Corinth. cap. 10. vers. 13. ad hoc ut faciat cum tentatione proventum, juxta virium mensuram ponderat tribulationem, & ad magnas vires magnam, ad debiles debilem adaptat tribulationem. Immo cum Spiritus promptus sit, caro autem infirma, sic ipse tentat, ut ad nostram conservandam virtutem, simul & humilitatem, velit quidem experimentum facere, non ex viribus, quas cognoscit debiles, sed ex voluntate, quam videt esse bonam, sufficiens illi quod vincere velimus: quo experimento contentus tentationem tollit, ne homo succumbat: quod totum non solum nostrum respiciens proventum operatur, sed nostræ

nostra etiam prospiciens humilitati, ne scilicet viribus nostris nos tentationem vicisse credamus: ideo sæpè non tentat vires, sed perspectâ voluntate contentus est: Quod acutissimè observavit noster Imperfectus in Matthæum homil. 14. explicans illa verba Orationis Dominicæ, *Et ne nos inducas in tentationem*. Ubi sic ait: *Duo ergo petimus, primum ut non inducat nos in tentationem. Secundò, ut si induxerit, liberet de periculo tentationis: nam verè si secundum veritatem justitiæ suæ examinaret homines Deus, nullus posset fieri salvus: ideo autè difficilè tentat sciens infirmitatè nostram: aut si tentat, non tam diu tentat, quam diu nos vincamus tentationem, sed quam diu nos vincere velle ostendimus: id est non virtutem nostram tentat, sed voluntatem Apostolo nos confortante & dicente, 1. Cor. 10. Tentatio vos non apprehendat nisi humana, fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis sustinere, sed &c. Volens enim glorificare hominem, tentat eum, non ut cum magno judicio glorificet, sed ut ne sine causâ glorificet. Quid pulchrius? sic ergo nos tentat Deus: illas immittit tribulationes quæ ex suâ parvitate cum viribus nostris comparatæ, non magnum possint fundare judicium, sed tantùm ut non videamur sine causâ glorificati: ideo non suprâ id quod possumus, sed infrâ tentari nos permittit ut faciat cum tentatione proventum.*

IX. Ex quibus duo constant indubitata & certissima, inquit Laurentius Deaponte tom. 2. in Sapient. Salomon. cap. 10. num. 13. homil. 22. Primùm, tribulatione virtutem exclarefcere: Secundùm, ex illarum pondere pondus esse lumendum virtutis, ut major sit in virtute qui major est in tribulatione. Quod cum ita sit, quæ major tribulatio quàm illa Sancti Joseph? Anxia nempe illa de uxore (quam non tetigerat) cogitatio, quæ cum diu noctuque angebat, torquebat, terrebatur: hæc tribulatio est sic magna; sic grandis, ut nulla ei comparari possit, non rerum, non status, non denique ipsius vitæ jactura: cogitatio enim tristis, amara, dissona, & ut talis apprehensa, est ille ignis, est fornax illa, in qua

Deus justum probat: hinc ubi nos legimus Ecclesiastici cap. 27. *Vasa figuli probat fornax & homines justos tentatio tribulationis*. Complutensis versio ita habet, *& tentatio hominis in cogitatione illius*. Et optimè quidem, nullum enim tale Deus ab homine justo potest sumere experimentum, nullam similem illius tentativam facere, nullo cum sic igne purgare, ac unâ in mente tristi cogitatione, sinens eam intus non offensa, sed medullam, sed animam rodere, exsiccare: unde idem Ecclesiasticus, ibid. vers. 5. *Aporia hominis in cogitatione illius*, & Job cap. 11. vers. 11. *Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum*, pro quo Complutensis legit *articuli cordis mei rupti sunt*. Quod explicans citatus Deaponte dicit ex Anatomistis duos in corde reperiiri sinus, unum sanguine plenum purissimo, alterum omninò vacuum: ex quo conjeçant in hoc secundo mansisse vitales Spiritus ob mortem exhalatos: sed melius in illo sinu formari cogitationes, quas ex illo exire affirmat Christus Matth. cap. 15. vers. 19. Ergo ibi illæ, quæ Divum torquebant Josephum.

X. Itaque hæc erat Sanctissimi Viri tribulatio, hoc experimentum, quo nullum majus, cogitatio aspera: *Antequam convenirent*, inquit Matthæus cap. 1. vers. 18. *Inventa est in utero habens. Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*. Expende singula, & duo simul grandia reperies, tribulationem, & virtutem: *Antequam convenirent inventa est in utero habens*: Ex tribulationem: quàm magna illa? & quæ amabo major? Adulterium enim non ex illis est quæ veram in se non continent infamiam vel injuriam, sed tantùm ex hominum opinione: Quin immò tantam in se infamiam & injuriam continet, ut nullo modo ab eo separari possit: Cum enim per matrimonium vir & mulier fiant unum, cumque hujus, id est *mulieris caput sit vir*, ad Ephes. cap. 5. quid aliud facit adultera, quando alium superinducit, nisi caput sibi rescindere, virumque scædè abjicere, atque alium sibi virum caput cõstitueri: quo quid viro scædius? hinc meritò nulla similis injuria, nullus

similis dolor: *Fortis enim est ut mors dilectio dura sicut infernus amulatio*, Cantic. c. 8. vers. 15. En Divi Josephi tribulationem; aspice nunc virtutem.

XI. Inexplicabilis fuit ejus tribulatio: talis etiam eius virtus, ut propterea justè justum eum appellet Evangelista, dicens: *Ioseph autem vir ejus cum esset justus, &c.* Quasi diceret, qui taliter à Deo probatus est, ac ita fortis & constans inventus, nunquid non homo virtutis? qui mare illud ac ignitarum oceanum cogitationum sic in seipso oppressit, ut foras nullatenus erumpere sint visæ, sed in seipso comprimens earum sic elisit fluctus; qualem cordis possedit latitudinem & fortitudinem? *Cum esset iustus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* O Vir supra omnes viros! ô patientiam supra omnem patientiam! fugam arripere cogitabat, ne traducere deberet in specie fontè ipse omninò insons, malens injuriã ferre quam facere: non ergo ira illi, sed ipse iræ & animo dominabatur. Erat suimet potis, irã superari non poterat, ira ejus in manu ejus, non vocata nunquam veniebat, exiens non crumpens, nutu non impetu ferebatur, non urebatur illã, sed utebatur.

XII. Porrò ex hoc suspicor, quod sicut Beatissima Virgò, quos in partu dolores non senserat, sensit cum usurã in morte filii sui, ut loquuntur Sancti Patres. Sic è contra Divo Josepho datum est Christo non supervivisse, ne in ejus morte sentiret dolorem, quem, ut ita loquar, redemerat in ejus generatione. & idè Simeon ille senex non prædicat ei illos obventuros dolores, quos Mariæ, Luc. cap. 2. non quia non esset filius ejus; cum ei æquè benedixerit ut Matri de tanto filio, sed quod tunc ille non esset eos perpeffurus, quia illis à Deo subtrahendus, ob id quod eos per antecessum in ejus generatione penderat.

XIII. Ad eundem ferè modum Christus Dominus Joan. cap. 21. cum post Resurrectionem suam Petro significasset quã morte clarificaturus esset Deum, ab eodem Petro interrogatus quid eventurum esset Joanni per hæc verba: *Domine hic autem quid?* Respondit ei,

sic eum volo manere donec veniam, quid ad te: tu me sequere? Quasi diceret ex plurimorum Interpretum sententiã: nolo ille Martyrium patiatur ut tu, sed maneat, ut naturali morte vitam suam finiat. Cujus differentię ratio licet sic voluntas divina, dicitur enim ibi, *Sic enim volo manere*; hujus tamen divinę voluntatis ratio hæc est, hicque subintelligitur: Tu Petre, qui fugisti tempore passionis meæ cum reliquis, nec cruci adfuisisti, nec usque ad illam me secuti estis, oportet ut post me, pro me in Cruce & tormentis moriamini: sed quoad Joannem, de quo tu Petre, inquiris, non ita: non est æquum illum iterum pro me mori, jam enim juxta crucem mihi est commortuus. Videndus Paulus de Palacio in cap. 27. Matthæi.

Ut ex parte Sponsæ suæ, sic ex parte quoque filii sui habuit Divus Josephus materiam explicandi fortitudinem animi sui, dum fugiendum fuit in Ægyptum jubente Deo cum charissimis pignoribus sibi creditis: & ut mente pro Sponsa sua, sic reapse pro filio suo exul fuit in terrã barbarã procul à notis, procul ab amicis. Sed quis facilè explicet aut capiat ea quæ in tanto itinere, mediã hyeme, per loca deserta & in via, omni humanã destitutus ope pertulit? & quã fortiter? Quis non miretur, & obstupescat hunc Dei procedendi modum cum Divo Josepho, Deiparã & Filio suo? An non illi alia via suaviores ut servaret Filium? Nonne in manu ejus cor Regum, ut aliorum, ut fleat? nonne vita ut plectat? nonne esse ut annihilat & destruat? Quid denique non poterat omnipotens ut sine ullo Divi Josephi labore & prole liberaret ab Herode & Matrem? Et ecce quasi nihil posset procul amandat familiam suam. O judicia Dei verè abyssus multa! quis crederet hos tres fugã salutem quærentes esse familiam Dei? vel quis crederet Deum si eregere familiam suam? sed erigere Christiane, erigere supra humana omnia cernenti quidem illos oculis carneis, ut sunt omni humanã ope destituti, nihil videri possit miserius, sed attentã mente consideranti cordis tranquillitatem, & quiescente in Dei voluntate

tate animum, nihil videri potest sublimius.

XV. *Avida est*, inquit elegantissime ad propositum nostrum moralissimus Philosophorum Seneca lib. de Provident. *periculis virtus. & quo tendat, non quis passura sit cogitat, quoniam & quod passura est gloria pars est. Militares viri gloriantur vulneribus, leti fluentem meliore casu sanguinem ostentant. Idem licet fecerint qui integre vertuntur ex acie, magis spectatur qui saucius venit: ipsi, inquam, Deus consulit quos esse quam honestissimos cupit, quoties illis materiam prabet aliquid animose fortiterq; faciendi.*

XVI. Ut fugientem sic à fugâ revertentem attentè consideremus: dixerat ei Angelus Matthæi cap. 2. dum ei fugam in Ægyptum Dei nomine præciperet. *Esto ibi usque dum dicam tibi.* Subjungit, *Et erat ibi usque ad obitum Herodis.* Tum verò paulò post. *Defuncto*, inquit, *Herode ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens, surge & accipe Puerum & Matrem eius, & vade in terram Israel.* Rationem subiungit, dicens. *Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.* Cur toties sit mentio de Herodis obitu? nempe ut advertas & scias, sic divinam Patris æterni providentiam suaviter & ordinatè omnia disponentem, ut non prius filium ab Ægypto revocaret, quam defunctus ille fuerit, ejus causâ filius in Ægyptum secesserat: neque prius illum defungi voluerit, quam cursum vitæ naturalem explevisset. O rem planè miram! ecce nec pro filio suo supercharissimo, nec pro Virgine Sanctissima, nec pro Iosepho justissimo personis licet de se tam benè meritis cultum, aut ordinem rerum mutat Deus, ut tu si velles tui causâ fieri miracula, omnia inverti, & quia non fit, dubitas an Deus sit vel habeat providentiam, eum deseris, ad illicita te convertis: Confundere ad hoc exemplum ob perversitatem animi tui.

XVII. Legimus sæpè Jobi historiam, sæpius (quod ipsius digito Dei scripta sit) legi dignam: si penitus historia illius verba perpendantur, nonne videtur in illâ Deus glorjari, & quasi applausum & gratulationem querere, quod eum

habeat servum tam fidelem, tamque constantem, ut in quibusvis calamitatibus imperterritus & immobilis, non aliud usurpet quam hoc, *Sit nomen Domini benedictum.* Attende Dei verba. *Considerasti*, inquit cap. 2. vers. 3. *servum meum Iob, quàm sit simplex & reclusus, & post tanta mala adhuc retinens innocentiam.* Quod expendens Tertullianus lib. de patientiâ magnificè more suo sic extollit. *Quale in illo viro firetram Deus de Diabolo extraxit? Quale vexillum à inimico suo extulit? Cum ille homo ad omnem acerbum nuncium, nihil ex ore exprimeret quam Deo gratias..... Quid? ridebat Deus, Quid? dissecabatur malus. Cum Iob immundam ulceris redundantiam magnâ equanimitate distringeret, cum erumpentes bestias inde, in eosdem specus & pastus foraminosa carnis laudendo revocaret.*

Illum verò cujus tota vita in deliciis X VIII. & voluptatibus distluit, deflet Seneca, licet infidelis, sed tamen Philosophus lib. de Provid. ex solo naturæ lumine his verbis. *Miserum te judico*, inquit, *quod non fuisti miser: transisti sine adversario vitam, nemo sciret quod potneris, nec tu quicquam ipse: opus est enim ad notitiam sui experimento: quid quidem quisque posset, nisi tentando non didicisset.* Et certè dice sine infoeliciorem ferro & igne curatum, illud qui cruditatibus, vino, & cæteris deliciis extenuatus est? ferrum illi salutem atulit, huic voluptas leoncinis uti ferro præcidit.

Sed ab hoc excursu ad mores formatandos non inepto ad Divum Iosephum redeuntis, uno verbo dicamus totam ipsius vitam, satis tamen protractam, à cunis usque ad funus, tradidisse in continuis ærumnis & laboribus: Sufficiat, inquam, dixisse eum ex Regibus ortum, immò ex Regibus Regem jurè ad eam conditionem fuisse dejectum, in quâ usque ad senectam & senium ei ex labore manuum suarum diurno, & vultus sui sudore victitandum fuit. Quam fortunam quomodo exceperit, vide à nobis dicta superius hoc Tractatu cap. 5. num. 12. 13. 14. & cap. 2. num. 4.

Cæterum, tu mi Lector, fortunam time, ut ille Vir Sanctissimus, quia in

hominis armatur modestiam, dum factum nutrit. Audi hac super re Senecā magnificē tuo more sentientem epist. 36. *Res est inquieta felicitas, inquit, ipsa se exagitat, movet cerebrum non uno genere: alios in aliud irritat, hos in potentiam, illos in luxuriam. hos inflat, illos molle & totos resolvit.* Quare animum tuum dispone ad excipiendum fortiter adversa: Dic tibi, inquit idem Seneca epist. 98. *Ex iis qua terribilia videntur nihil est invictum, singula vicere tam multi signem Mutius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilus, mortem ferro adactam Cato. Et nos vincamus aliquid. Rursus ista qua ut speciosa & facilia trahunt vulgum à multis, & se de contempta sunt. Fabritius divitias Imperatoris rejecit, Tubero paupertatem, & se dignam. & Capitolio indicavit, &c. Nos quoque aliquid ex his faciamus animose, sumus inter exempla, quare desicimus? quare desperamus? quidquid fieri potuit, potest.*

XXI.

Ergo finge tibi mundum instar ingentis domus hospitalis, in quā multitudo omnis generis languentium & gementium, qui solatio indigent: Omnes obeamus, singulos interrogemus. O tu bone! quid tibi dolet? bona amisti: sed hoc quid est ut ita sentias? hoc ante te Divo Iosepho, hoc Jobo contigit, hoc alii innumeris, & æquanimiter tulerunt: Tu verò mi amice, quid plangis? profligatus patriā pulsus sum: pulsus fuit Divus Iosephus, pulsi fuere infiniti alii & nihil moti sunt. Tibi verò quid habet? Amicis careo, etiam Divus Iosephus caruit in Ægypto, & alii sine numero à suis deserti: Et tu quid tibi acerbum? Honoris jactura: & illum contempsit Divus Iosephus, cum dimisit Manasses ut præsentiam ageret, & plurimi alii ut Eremam, & Claustra Deo vacaturi tubirent. Te autem quod malum coquit? Erepta libertas: eā caruit Divus Iosephus ex Rege servus, imò fugere in exilium coactus; eā quoque carebat Daniel in foveā Leonum & Ioseph in carcere. Tibi autem quid molestiæ est? à morbo & infirmitatibus plurimum: Macte animo Tobia: sanitas cœcitate vexata est, nec pauperi Lazaro ulcera quibus erat plenus nocue-

runt. Tu denique quid horres? mortem. Hanc Divus Iosephus, licet separantem à Jesu & Maria mundi deliciis, lubens excepit à Dei manu, hanc septem fratres lib. 2. Machab. cap. 7. per exquisita obiēre supplicia, in hanc omnes ierunt, imus & nos, ituri sunt omnes. Tandem tu quid dices? malevolos habeo, sed cessabunt odia si non reputetur injuria, & necesse est ut ira cadat si unus à contentione desistat, eritque duplici ratione victor qui desistet quod & proprios animi motus devicerit & alienos mores emendaverit: verbo uno quod magis urit in istis omnibus est impatientia, eam si sustuleris, vespæ aculeum admisti, te non amplius stimulat, nihil erit intolerabile, maxime si in Deum, à quo illa, oculos conjeceris ut D. Iosephus.

His addo, quod à quo Deus homo factus, illa in corpore suo suscepit, ipse stimulum eripuit: hoc innuit Scriptura 2. Reg. cap. 22. ubi enumeratis ducum præclaris facinoribus in commendationem Davidis subdit: *David sapientissimus omnium sedet in cathedra, & quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Hæc verba prima facie parva apparent, nec novimus quomodo impleta sint in Davide, quem nec in cathedra, sedentem legimus, nec quomodo in eā fuerit ligni vermiculus novimus. Cum verò scripturam omnem impleri necesse sit, impleta est in Christo, quem David adumbravit, qui in Cathedra præsepii, & crucis, unde omnes homines patientiam docet & mortificationem, est ut tenerrimus vermis in ligno.

Est aliquod lignum grave nimis, quod homo tollere non valet, neque portare: vermis tamen in eo formatus, quamvis tenerrimus, lignum corrodit & terebrat, & adeò leve illud reddit & efficit, ut quod vir tollere nequibat præponderare, puer facile tollat ac portet: hoc ergo mirabile in Christi commendationem dictum est, qui se vermem dicit, *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Hic vermis in cruce sic illam corrosit, ut deinceps facta sit Sanctis jugum suave, & onus leve: unde nam enim

enim putatis pueros & puellas coram tyrannis & trucissimis carnificibus exultasse? in mediis ignibus, ferris, rotis, tormentis gavisos esse? Corrosum est lignum per Christum, & hodieum nonne juvenes videmus utriusque sexus mundo valedicere & libertati? delicias calcare? crucem, mortificationem, cilicia, cingula ferrea aculeis armata hilarissimè amplecti? quid hoc? vermis hæc corrofit, Christus hæc levigavit; scriptum est enim Isaia cap. 10. computrescet jugum à facie olei.

CAPUT VII.

De fide & fiducia Divi Josephi.

I. **N**OMEN Fides in Scripturis sacris plures habet significaciones: duæ sunt inter illas præcipuæ: Primò, & propriè significat actum illum intellectus, quo quis assentitur alicui aliquid dicenti, quod hic non aliter novit nisi quia illi dixit: Secundò sumitur pro fiducia, quæ, ut docet Divus Thomas secunda secunda quæst. 129. art. 6. in corp. ex fide nomen sumptum & reducitur ad spem: quia tunc est fiducia, quando quis spem concipit ex hoc quod credit verbis alicujus auxilium vel beneficium aut servitium promittentis: ex quo consequitur quod talis sit spes promissionis, qualis est fides veracitatis, bonitatis, & potestatis promittentis: quod cum ita sit explicata Divi Josephi grandi fide in Deum primo modo sumptâ, clara erit magnitudo ejusdem secundo modo, si ve spei ac fiducia ejus. Igitur ad rem.

II. Fidei primo modo sumptæ inter cæteras virtutes præstantia, ex tribus maximè capitibus elucet: Primò, ex eo quod non tantum ut cæteræ virtutes tendat in Deum ut in finem, sed etiam ut in objectum primatum & immediatum: Fides quippe non modo credit in Deum, verum etiâ credit Deum, & credit Deo: & ideo cæterarum præ-

tergrediens classes virtutum, sublimis residet in ordine earum quæ Theologica dicuntur; quamvis etiam ex eo adhuc Theologica dici possit & divina, quod nulla arte aut industria humana acquiri aut comparari possit, sed omninò necessarium sit illam à Deo mentibus nostris infundi ut proinde Deus sit illi principium, objectum, motivum, & finis: Principium, quia fides à Deo mentibus nostris infunditur: Objectum, quia Deus est præcipuum quod per fidem creditur: Motivum, quia tota ratio credendi, est autoritas Dei revelantis id quod à nobis creditur: Finis, quia credendo, in Deum tendimus.

III. Secundò, elucet hujus virtutis præstantia in eo, quod inter virtutes Theologicas sit prima omnium, earumque fundamentum: Est enim fides, inquit Apostolus ad Hebr. cap. 11. *Sperandarum substantiarum*: quod mirè illustrat Sol Scholæ Sanctus Thomas 2.2. quæst. 4. art. 7. in corpore: Cum enim, inquit Sanctus Doctor, in agilibus finis sit principium, necesse est virtutes Theologicas (quarum obiectum est ultimus finis) esse priores cæteris virtutibus: ipse autem ultimus finis debet prius esse in intellectu, quam in voluntate: quia voluntas non fertur in aliquid, nisi prout est in intellectu apprehensum: unde cum ultimus finis sit quidem in voluntate per spem & charitatem, in intellectu autem per fidem; necesse est quod fides sit prima inter omnes virtutes, cum certum sit naturalem cognitionem non esse sufficientem attingere Deum secundum quod est obiectum beatitudinis, sub quâ tamen ratione Spes & Charitas debent in eum tendere.

IV. Porro primitas illa fidei non consistit in eo, quod fides sit major, dignior, aut perfectior, omnibus aliis virtutibus in universum: major enim est Charitas, sine quâ & ipsa fides mortua est: sed in eo quod necessario præsupponatur ad illas, ut earum fundamentum & basis, ita ut aliæ sine illa esse nequeant, cum hæc possit esse sine illis: ac deinde etiam, quia aliæ virtutes nil conferunt ad illam, illa autem con-

M m m fert

fert ad omnes: estque regula & mensura cæterarum.

V. Quare ut charitas, quia est ipsa justificatio nostra formaliter, seu ratio formalis per quam efficiamur iusti, Deo grati, & chari, est prior cæteris virtutibus prioritate meriti & dignitatis: ita fides tanquam principium, fundamentum & radix nostræ justificationis, ut loquitur Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 8. prior est illis, etiam charitate, prioritate ordinis & causalitatis.

VI. Tertio, præstantia fidei ex eo elucet, quod intellectum in quo est, & voluntatem quam regit, perfectè Deo submittat, cumque per hoc summo honore afficiat: pro cuius rei claritate majori.

VII. Notandum duplicem esse in credente credulitatem, prout est in dicente seu eo cui creditur, credibilitas. Prima credulitas, est quæ creditur rem aliquam absolūtè propter solam dicentis auctoritatem, seu veracitatis illius apud nos opinionem: Secunda, quæ aliqualem præterea requirimus asserti ejus probationem: quod tunc contingit quando timemus ne ille qui nobis loquitur in re obscurâ, ipse decipiatur. Primus modus adhibendi fidem, uti majestate plenus, Deo competit & debetur, illumque sibi jure vendicat: vult enim fidem suis adhiberi dictis propter supremum suum, quod habet in hominem totum & omnia quæ sunt in homine, dominum; & infallibilem suam, de qua non est dubitandi locus, scientiam & veracitatem, & hoc absque ullâ discussione vel hesitatione.

VIII. Quare in mysteriis fidei etsi fatendum sit aliqua esse quæ propter celsitudinem suam, vel propter apparentem cum ratione, vel sensu nostro contrarietatem, videntur incredibilia: sed Deus est qui loquitur, & divina sunt quæ loquitur, quam in partem ibimus? an Deo spero, cæcipienti etiam in minimis & obviis ratiuncula nostræ credamus? an Deo non commitemus nos qui lucem habitat inaccessibilem? cujus majestatis incomprehensibilitas omnem intellectum superare nullus

dubitat? cujus cogitationes, consilia, mysteria, si comprehendi possent, divina non essent? hinc hinc ergo, hinc captivandus intellectus in obsequium fidei sub immensâ Dei auctoritate, hinc gloria danda Deo: hinc contra spem in spem, contra rationem in rationem, Deo credendum sine ullâ vacillatione. *Magnarum hic est vigor mentium*, inquit S. Leo Papa serm. 2. de Ascens. *& valdè fidelium lumen est animarum, incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu, & ibi figere desiderium, ubi nequeas inferre conspectum.*

Talis sub sæculi proximè præcedentis finem Francisci Bungenis in Japoniâ Regis fides: Hic diu cum conversione luctatus, tandem mortuo Sancto Francisco Xaverio illarum partium Apostolo, ei tam firmiter adhæsit, ut rebellantibus adversum se Fidei causâ subditis, amisso quadraginta millium militum exercitu, & filio suo, nihil tantâ jacturâ de Religionis, cui illa imputabatur, gradu demotus, Templum adierit, abjectusque in genua dixerit. Scis Domine passum me hæc fidei tuæ causâ, neque ideo unquam fidem mihi fore viliozem; ipsâ licet me regni universi & dignitatis jacturâ experiaris. Imò si & illi ipsi viri Apostolici, quorum laboribus Religionem debeo, si Pontifex ipse, à fide deficiant, te propitio tamen & juvante, perstabo immobilis, semperque te Deum Trinum, te Filium Dei Incarnatum unicamque tuam Ecclesiam profitebor. Ita P. Fullonius lib. 1. Machab. sect. 4. n. 9. *Quantus magnæ hujus mentis vigor! qualis Dei de homine per fidem triumphus?*

In hæc adeo præcellenti virtute, quam excelluerit Divus Josephus ut facilius assequi possimus, eam oportet ex duobus capitibus diligenter metiri: ex objectis scilicet, & ex eo modo ea credendi: ex objectis, inquam, circa quæ ille fidem suam exercuit cum circumstantiâ temporis in quâ illa objecta proposita sunt. Secundò, ex modo quo illa credidit, hoc est notabili differentiâ quæ reperitur in actibus fidei Divi Josephi, & aliorum Sanctorum, etiam

- etiam maximorum utriusque foederis, novi dico & veteris Testamenti.
- XI. Quantum ad primum, objecta ac mysteria omnium nostrae Religionis altissima sunt Mysterium Sanctissimae Trinitatis, & Mysterium Dominicae Incarnationis, quae in lege naturae fuerunt valde abscondita, & in lege scripturae per paucis admodum cognita: at haec Divo Josepho, ut & eius Sponsa Deiparae fuerunt in particulari ei enucleate tradita per eundem Angelum, ut docet Divus Thomas in Catenâ ad cap. 1. Matth. nam Divum Josephum à perturbatione, & Sponsam ab infamia liberans, revelat Mysterium Incarnationis in utero Sponsae suae peractae, ac dicens illam concepisse Filium Patris Altissimi, idque de Spiritu sancto, aperte ei simul Mysterium Sanctissimae Trinitatis, Patris, inquam, & eius Filii, ac Spiritus sancti referat: ita ex nostris P. Corona tom. 6. de Sanctitate Ecclesiae Tract. 1. cap. 2. §. 12. num. 1. & 2. In quibus tamen magna illi ac forti fide opus fuit. Nam quomodo tot & tanta, quae in his duobus mysteriis reperiuntur adeo sensibus & rationi nostrae opposita, omnemque humanum captum excedentia credere potuisset, nisi fides in eo thronum suum constituisset?
- XII. Ex hac quippe sublimissimâ fide processit, quod videns uxorem suam gravidam, quam sciebat se non terigisse, suspenderit iudicium suum, nec absolute eam iudicavit de adulterio, sed cogitavit posse bene fieri quod illa quae tam honesta, tam pudica, tam sancta erat, esset illa, quae Virgo & concipere & parere debebat. Vide à nobis dicta superius de hoc actu fidei hâc Part. 2. Tract. 2. cap. 17. notando primo per totum.
- XIII. Fuit etiam res creditu difficillima, duo simul in speciem contraria de puero ab eodem lucis Angelo audire, & non unum, vel alterum, vel utrumque discredere. Primo dixerat ei Angelus aliquot mensibus antequam puer nasceretur quod ille de quo uxor sua gravis erat esset Filius Altissimi, & futurus populi sui Salvator: Interim vix natus est, cum ecce apparens ei iterum Angelus jubet eundem fugâ salva-

re: Nonne hæc in speciem contraria? Nunquid poterat cogitare se illatum fuisse? nunquid poterat dicere, si Deus esset nonne posset Herodem perdere mille modis? vel voluntatem ejus mutare? vel solo nutu cohibere? Quod si ipsum tolerare, ipsi quæ barbaricem permittere volebat, sive ob bonum interficiendorum, sive ob alias causas, nonne posset se inter medios hostes invisibilem reddere, vel etiam incidendo in majus ejus, tunc claro divinitus ostento vindicari.

Deinde cum didicit in Nazareth XIV. (unde fugiendum Angelus iusserat) nullos interfectos fuisse pueros, sed solum in Bethicem & finibus ejus, nunquid poterat iterum dubitare & dicere si è cælo fuisset iste Genius, qui mihi apparuit, nunquid debuisset ire in Nazareth nullum pro Puero aut Matre fuisse periculum. Cum ergo ibi esset domicilium meum, non erat quod ob futuram Herodis alibi periculationem exinde fugerem in Ægyptum: ergo undique deceptus sum, per consequens uxor mea fuit mihi infidelis, ac sic novissimus error fuisset prioris pejor.

Et quidem cum de tantis rebus ageretur, videbatur Deus ad vitandum periculum hujusmodi dubiorum, & incommodorum ex dubiis nasci aptorum, debuisset aliam viam aptiorem eligere. Sed ex his apparet qualis fuerit cæli, de magnitudine & firmitate fidei Divi Josephi sensus, quam illis periculis aut tentationibus exponere non dubitavit? quam erat illustratus D. Josephi interior oculus? quo cælesti lumine præditus, qui in tantis tenebris, in rebus tam perplexis, vidit & credidit? qui nodos illos in quibus illuminatissimi cœcutivissent, dissolvit tam citò, tam clarè, tam certò, & firmiter.

Sicut ergo qui præclaram novit ci-tharæ chordam eam distendit amplius & amplius ut altiorē reddat sonum, Cumque ei dicis, vide quid facis nimum illum distendis, frangeret: Ait ille, sine me, ego novi chordam hanc præclaram esse, posseque distendi. Sic etiam Deus, ut Divus Josephus altiorē redderet sonum, plus ampliusque

ab eo distenditur: novit ille fidem ejus grandem, novit non frangendam distensionem, sed perficiendam, novit etiam insolitis posse probari. Probata est amplius & amplius, & approbata, nobisque in exemplum relicta, ut vestigiis ejus inhaerentes dicamus ex animo cum Propheta Regio psalm. 78. *Proba me Deus, & scito cor meum.*

XVII. Circumstantia temporis in quo hæc credidit, etiam ex hac parte plurimum consideranda est in hoc argumento, quod scilicet ea illi mysteria proposita sint & crediderit: primò tunc quando fides ita evanuerat, ut vix illius quidquam amplius reperiretur, inter homines. Quo enim in statu erant tunc Judæi quãlo Christus venit? propterea ex illis tam pauci eum receperunt. Secundò, quod ea illi proposita sint & crediderit cum Sponsa, sine ullo aliorum exemplo. Tertio, quod etiam illa à nullo eo usque credita eo modo; sunt enim illis proposita, ut peracta. Quarto, quod nullis adhuc eventibus aut miraculis illa confirmata vidisset, quæ omnia cum sint fidei adminicula grandissima, fidem Divi Josephi sine illis firmam mirum in modum exaggerant. Quis enim neget fidem à majoribus traditam, diuturnitate temporis commendatam, à multitudine acceptatam, & approbatam, miraculis ac prodigiis confirmatam & roboratam, magis amicam esse & suasibilem illa quæ novella est, & omnibus istis adminiculis nudata & destituta, qualis fuit fides Divi Josephi.

XVIII. Possumus secundò excellentiam ac præstantiam fidei Divi Josephi ex modo quo rebus tam difficilibus assensum fidelem præbuit admetiri; comparando fidem illius cum fide aliorum Sanctorum etiam maximorum veteris ac novi testamenti. Ac primò quidem quoad Antiquos quàm grandis fuit fides castissimæ Susannæ? Consideremus in illa omnia & singula. Daniel, cap. 13. Dicunt contra eam testes, & hi Senes, & Senes gravissimi, erant enim Judices populi: omnes illis credunt, & damnatur ab omnibus Susanna ut lapidibus obruatur tanquam fœda. Ducitur ad locum supplicii extra Civitatem: Erant omnium manus plenæ la-

pidibus, jamque parati jacere in eam. An non hoc negotium in desperatis? Sed accipe fidem generosam, fortem & firmam Susannæ. Erat, inquit Scriptura, *cor ejus fiduciam habens in Domino.* O mulier! magna est fides tua, fiat tibi sicut credidisti. Credidisti Deum tuam innocentiam cognoscentem, te liberatum, liberaberis. Cum jam omnes alii de ejus causâ desperassent, illa sola sperabat ex magnitudine fidei. *Erat cor ejus fiduciam habens in Domino.* Propterea Deus suscitavit spiritum pueri Danielis, qui causam ejus suscipit, camque apertissimè ostendit innocentem, & liberat hinc, illinc verò eos perdit qui maculaverant famam ejus.

Non minor fuit fides Jonæ Prophete XIX in ventre ceti projectus in mare à navitis, quod propter eum orta esset fœda tempestas: devoratus est à ceto, & in ejus ventre conclusus tribus diebus & tribus noctibus: An non hic desperatus? Audi tamen ejus in hoc horribili specu orationem magnâ fide præditam. Igitur oravit Jonas Dominum Deum suum de ventre ceti, & dixit: *Abjectus sum à conspectu oculorum tuorum, verum tamen rursus videbo Templum sanctum tuum.* Jonæ cap. 12. Sed ô Jona! quid dicis? quid cogitas? quomodo putas te evasurum? quod tibi remedium cum abyssi vellent te? cum ad ima montium descenderis, & costis belluæ marinæ conclusus detinearis vectibus terræ affixus? *Sublevaris, inquit, de corruptione vitæ meæ Domine Deus meus.* Quanta hæc fides.

Major adhuc videtur fuisse fides XX Abrahæ Patriarchæ quandoquidem dictus sit Pater Credentium: Hanc maximè commendat Apostolus ad Romanos cap. 4. ex hoc, quod contra spem in spem credidit, & hoc in duobus. Primò, in eo quod dictum est ei ipsum habiturum filium: *Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum ferè esset centum annorum, & emortuam vulvam Saræ.* Secundò, quod ex isto filio habiturus esset semen sicut stellæ cæli & arena maris, cui tamen adolescenti ex præcepto Dei hanc ex Deo posteritatem promittentis ibat caput amputatum. *In re promissione etiã Dei non hesitavit diffidens*

dens sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quacumque promissit Deus, potens est & facere.

XXI. Sed fides D. Iosephi superavit in utroque fidem Abraham. Nam primò, quãdo Deus promissit Abraham ipsum ex uxore sua vetulã & sterili habiturum filium, videtur tantisper hæsitasse. *Cecidit enim Abraham in faciem suam.* Genel. cap. 17. vers. 17. & 18. *Et risit dicens in corde suo, putas ne centenaria nascetur filius? & Sara nona genaria pariet? Dixitq; ad eum, utinam Ismael vivat coram te, quem habuerat ex Agar ancillã Saræ. Quæ omnia hæsitacionem significant.* At Divus Iosephus Angelo sibi dicenti, *Ioseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in eã natum est, de Spiritu Sancto est: Pariet autem filium, & vocabis nomen eius IESVM &c.* Credidit sine hæsitacione, sine morã. *Exurgens à somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini.* Matth. cap. 1. versu 24. Quanta differentia ex hoc capite inter Abraham & Divum Iosephum, inter utriusque fidem & fiduciam? Deus nihil promittit Abraham quod sit contra naturam, sed solum præter illius cursum ordinarium. At Divo Iosepho significatur uxorem suam illibatã virginitatẽ filium concepisse; quanta differentia est inter vetulam concipere de viro, & virginem sine viro? Abraham promittitur filius homo, Divo Iosepho filius homo simul & Deus. Abraham vidit brevi de post rei eventum omnia confirman-tem. At Divus Iosephus nihil videt nisi omnia in speciem contraria.

XXII. Secundò, Abraham iustus est quidẽ immolare filium suum, sed ibi eum stitit, quia impeditus est immolare, nec immolavit. Vide aliquid amplius in Divo Iosepho nostro in iis quæ diximus supra hac parte 2. Tract. 2. cap. 20. Sect. 2. à num. 64. usque ad finem. Deindẽ Abraham tentatio duravit tantum per aliquot horas aut dies, at Divi Iosephi tentatio totã vitã: nam audierat istum infantem esse Deum, & vidit (nec tamen despexit) omnium hominũ novissimum: Intellexerat eum populũ Salvatorem futurum, & vidit suã operã indigere ut ab hominis mortalis persecutione salvaretur. Vidit, inquam,

illum totã vitã pauperem, nec aspernatus est. Nimirum invicta fides primẽ instructionis à Cælo acceptæ, quod puer ille Filius esset Altissimi, quod futurus esset Salvator populi sui, animum ejus confirmabat, periculisque & ærumnis omnibus majorem efficiebat: Hæc est enim natura fidei ut semper inconcussa maneat tametsi omnia videantur desperata.

Si verò ipsum cum Apostolis novi Testamenti Principibus primariis cõparemus, etiam magna inter ipsius & illorum fidem differentia. Quã infirma fuit fides Apostolorum etiam post tot virtutes & signa in eorum conspectu à Christo facta usque ad missionem Spiritus Sancti? Et si postmodum firmiores extiterunt, quid non viderant? quid non ipsi in ejus nomine faciebant? Sed Divus Iosephus statim ab initio credidit eã firmitate, ut in exilium pro illo pelli nihil ei fuerit, paratus in mortem etiam ire si fors tulisset: & quãnam ab illo signa fieri viderat? nunquid ipse mortuus erat antequam initium signorum faceret Iesus in Canna Galilee?

Illuminata est primò Virgo Sanctissima de divinã Incarnationis executione jam jam in se peragenda à Deo per Angelum ei dicentem: *Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum: Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM. Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideòq; & quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.* Cui illa mox respondit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Post Deiparam verò ut Matrem Verbi carnalem, secundus Divus Iosephus tantquam Pater verus & legitimus de ejusdem mysterii executione peractã ab eodem admonetur Angelo his verbis: *Ioseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in eã natum est de Spiritu sancto est.* Moxque ille ex fidei istius luce & fervore, *Exurgens à somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini.*

Et cum Apostoli omnes postmodum in ejus persecutione scandalizati fuerint, Petrus etiam qui videbatur futurus cæteris ferventior, & fidelior:

M m m 3

Divus

Divus Josephus nec in immani illâ Herodis persecutione, nec in fugâ, seu itinere adedò incommodo, nec in exilio tam diuturno, vel in aliâ quâcumque tentatione, aut pueri infirmitate, unquam scandalizatus est, nullo etsi ab ipso miraculo confirmatus: quis ergo neget fidem D. Josephi ipsammet Apostolorum fidem miraculis suffultam excellenter superasse.

XXVI. Tandem ceteri omnes Fideles tum ex Judæis, tum ex Gentilibus, ipsique etiam Discipuli Domini & Apostoli fidem Christi vel difficiliter, vel tardius, aut imperfectius susceperunt: Quid horum in Deiparâ & Divo Josepho notare est? illa ad Angelicam vocem sine morâ *Ecce*, inquit, *Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*. Simul utique & pleno mentis assensu, & corpore virgineo Christum concipiens. Joseph pariter ad primam celestem monitionem, incunctanter plenâque fide, *Surgens à somno fecit sicut præceperat Angelus Domini*.

XXVII. Ut ergo Virgo Sacratissima juxta verbum Elizabethæ à Spiritu sancto inspiratæ Beata, quia credidit: ita & Spontus ejus Divus Josephus, Beatus, qui idem ipsum Mysterium tantâ fidei promptitudine suscepit, quandoquidem quod illa in seipsâ virginitate suâ illasâ peragendum, id ille quoque prius in conjugē suâ sine ullâ cōjugii aut thori sui injuriâ cœlitus peractum esse credidit: illa incunctanter, ipse sine mora; & sine vel minimâ mentis tergiversatione.

XXVIII. Ceterùm cum notissimum sit talem esse Divinæ Providentiæ dispositionem & agendi modum ut media per superiora, & infima per media collustraret, & illuminet, (sic v. c. Christi servatoris sive temporalis nativitas ex Virgine, sive Resurrectio à morte, sive Ascensio in Cœlum, non statim promiscuè toti populo, sed testibus præordinatis à Deo, & per hos aliis postea manifestata fuit.) Ita quoque hâc divinâ luce Maria & Joseph ut ante alios omnes, ita præ omnibus aliis sub Christi Domini adventum perfusi ac deinde per illos alii omnes.

XXIX. Deinde cum primæ fuerint horum illustrationes, ideò & tam plenæ atque

abundantes. Atque adedò totalissima mysterii in illis fuit Dominicæ Incarnationis, sive quoad modum ejus & substantiam, sive quoad finem (qui gloriam Christi & Redemptionem nostram respicit) illuminatio, & talis qualis nulla alia. Si enim Evangelii sui prædicationem Apostolis suis Christus committere noluit nisi desuper copiosius illuminati virtuteque majori ex alto induri essent, ut legimus Actor, cap. 1. Commisissetne Deus Pater filium suum incarnatum custodibus, nutritiis, parentibusque non plenè ac plenissimè prius in fide ipsius illuminatis, divinâque virtute ad custodia ejus labores, periculaque omnia invincibiliter lubeunda corroboratis?

CAPUT VIII.

De Divi Josephi silentio in quo consistit justitia cultus.

LINGUA modicum quidem membrum est, ignis est tamen, inquit Divus Jacobus Apostolus in suâ Epistolâ cap. 3. *Et universitas iniquitatis: quam multa enim quotidie inquieto illo membro peccamus? Tam multa, ut idem Divus Jacobus ibidem dicat. Si quis in verbo non ostendit, hic perfectus est vir, potest etiam frano circumducere totum corpus: ita concludit mirabili dilatione iste Apostolus.*

Propterea dæmon cùm patientissimum Jobum in omnibus membris ejus sævissimo percussisset vulnere, ut à plantâ pedis usque ad verticem capitis non esset in eo sanitas, linguam tamen & labia intacta reliquit, quemadmodum ipse Job de seipso testatur dicens, cap. 19. vers. 20. *Pelli meæ consumptis carnibus adhasit os meum, & derelicta sunt tantummoda labia circa dentes meos, ut scilicet possit loqui, cur autem hoc? ut posset verba impatientiæ proferre, quod tamen non fecit: In omnibus enim his non peccavit Job labiis suis, nec solum quid contra Deum locutus est: Quare merito Scriptura sacra plurimis in locis instantissimè commendat pervigilem istius membri custodiam.*

Sed

III. Sed quia hæc res una est è difficillimis, adeò ut ferè impossibilis videri possit, ut patet ex eodem D. Jacobo ibidem vers. 7. ideò Prophetæ Regius psalm. 140. vers. 3. ad Deum recurrit, sine quo nihil, his verbis: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiis labiis meis.* Quod tamen explicans Divus Gregorius Magnus lib. 7. Moral. cap. ult. ait: *Qui ori suo nequam ponti obstaculum sed ostium petiit, aperte docuit quod & per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari,* quemadmodum ostium aperitur quando aperiendum, clauditur quando claudendum. Eo denique sensu ejusdem Regiæ Prophetæ Regius filius Proverb. cap. 13. vers. 1. *Quando sederis, inquit, ut comedas cum Principe. Statue cultrum in gutture tuo;* ut scilicet quomodo in cultro dissecas cibos, & comedenda separas à relinquendis, v. e. ossibus, ita prudentiâ sermones dividas, & proferenda à non proferendis fecernas.

IV. Verùm ut cautum linguæ usum sacra Scriptura locis citatis aliisque plurimis commendat, ita quoque silentium adhuc multò pluribus extollit: unum præ omnibus adduco ex Isaiâ c. 32. vers. 17. omnia complectentem, ubi silentium vocat, *justitiæ cultum:* *Erit, inquit, opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium.* In quibus posterioribus verbis vox illa *Cultus* dupliciter accipi potest activè, scilicet & passivè: activè, quo pacto hic erit sensus, *ille qui justus est servabit se, colet silentium,* quod utriusque manifestum est: nam ut inquit Regius Prophetæ psalm. 139. vers. 12. *Vir linguosus non dirigitur in terrâ:* Passivè verò ut significet silentium serere, alere, & ornare justitiam: hæc enim tria significat vox illa *Cultus,* ut observavit noster Matthias à Sancto Joanne tom. 2. Hist. Panegyri. Ord. Carm. part. 3. cap. 27. in initio.

V. Ex quo conjectare licet, quanta fuerit Divi Josephi justitiæ, cujus silentium tantum fuit, ut in totâ Evangelicæ historiæ serie ne unicum quidem verbum ab eo referatur prolatum: quod certè mirabile existimo, quia non defuerunt illi, & multæ, & urgentissimæ loquendi occasiones: tacuit nimirum

benter exterius, quia malebat loqui Deo, illumque audire sibi loquentem interius: uti Moyses servus Dei, qui ex quo cum Deo conversari cœpit, tardioris & impeditioris linguæ fuit.

Ezechielis cap. 1. visionem habuit Prophetæ illam admirabilem quatuor animalium mysticorum, quorum unum quodque habebat quatuor capita (consequenter quatuor ora) & quatuor alas: Nullam tamen ab illis vocem audivit aut sonum, nisi sonum alarum qui similis erant sono aquarum multarum, vel ut sonus sublimis Dei: alis contemplationis & amoris in subline elati ad Deum volabant, ideò nihil dicebant; ita Divus Josephus.

Nos homunculi scioli esse & videri volumus, multaque effundimus in laudem nostram, & si quis vel à naturâ favor, vel à Cælo gratia data sit, eam illicò linguâ loquace prodimus: non ita Sanctus Josephus, non ita humiles animæ: norunt hæc tacere, imò & alios de se tacere ambiunt & amant.

Toti universo spectabilis erat Divus Josephus longâ Patriarcharum, Regum, Ducumque serie progenitus, Patriarchis, inquam à virtute rebusque gestis inclytis quatuordecim: Regibus totidem, totidemque Ducibus ab Imperio, re bellicâ, gloriæque monumentis præclaris, quibus rectâ lineâ, perenni que generationis serie originem genusque ducebat; sponfam duxerat, quæ ei filium dederat; sed qualem? Deum, ipsumque Altissimi filium: de his loqui poterat, de hisque gloriari, ab his sibi nomen facere: at non fecit, ut in oculis mortalium maneret abjectissimus in Cæli calculo erat celsissimus.

Angelorum apparitionibus sapius recreabatur, eorumque revelationes plurimas acceperat, multa que ab iis didicerat: De iis tamen ne verbum quidem unquam jactavit, adeò silentium colebat. E contra Joseph ille antiquus qui hujus figura fuit in plurimis, fratribus suis somnia sua aperuit, Genes. cap. 37. & inde eorum invidiam sibi conciliavit; non conciliaisset si obiectus in somnis futuræ magnitudinis suæ imagines tacuisset, uti fecit noster D. Josephus.

Quantam

Synop

X. Quantam etiam habuit loquendi occasionem dum vidit uxorem suam gravidam? quantam etiam dum iussit ei Angelus fugam salvare puerum, quem paulo ante asseruerat salvaturum populum suum? quantam in laboriosissimo illo itinere? quantam in exilio tam diuturno? quanta poterat hic opponere? quanta causari? Nunquid poterat hic inquirere? nonne nonnihil conqueri? fecissent etiam Sanctissimi; sed in his omnibus D. Iosephus fide sublimi in Deum erectus altissime siluit.

XI. Cum Iesus factus annorum duodecim sese ab Ioseph & Maria datam operam clam subtrahens remansisset in Ierusalem, cumque illi cum dolore huc & illuc queritantes, nonnisi post elapsum triduum in medio Doctorum sedentem, & illos interrogantem reperissent, dixit Mater eius ad illum, *Luc. cap. 2. vers. 48. Fili quid fecisti nobis? Ecce Pater tuus & ego dolentes querebamus te.* Nonne poterat in hac occasione aliquid Ioseph, ut illa dicere? Nonne doluerat, ut Mater, eius iacturam? nonne requisierat eum ut illa? nonne letitiam ex eius inventionione, admirationem ex eius prudentia & responsis hauerat ut illa? Nihil tamen in hac occasione dixit, adeo semper fuit silentii tenax.

XII. Hauerat animo illud altissimum Dominice Incarnationis Mysterium, usurparat oculis & auribus suis multa cœlestis Sapientie arcana, tum ab Angelo tum à Virgine, tum à Iesu dilecto Filio suo: De his poterat melius loqui quam ullus alius: sed tacens conservabat omnia verba hæc conferens illa in corde suo. Quam bene conveniebat illi quod Ennodius Ticinensis in Paren. Festo & Symmacho honoratis Curie luminibus tribuit. *Est in illis & Magistra taciturnitas & eruditi forma silentii.* Ita quoque in Divo Iosepho magno morum & totius Sanctitatis Magistro, fuit magistra illa taciturnitas, per quam plus posteros docuit, quam alii multis etiam voluminibus, nimirum ut silentium illi fuit mater sapientissimorum cogitatum, sic & nobis: Multa quippe eaque excelsa de illo cogitare docuit: docuit & pauca,

immò nihil in nostri commendationem eloquii.

Tandem ex vita Ven. Margarete Bealensis Ordinis nostri & Congregationis Discealceatarum S.M.N. Theresie habemus inter alia ipsam fuisse cœlitus edoctam D. Iosephum cum Sanctissimam suam Coniugem iter ex Nazareth in Bethleem eundo, & ex Bethleem in Nazareth redeundo, tum deinde ex Nazareth in Ægyptum, ac postea ex Ægypto in terram Israel cœfecisse in silentio, quin etiam quamdiu simul vixerunt parcissime valde fuisse collocutos, & cum vicinis rarissime, quia nimirum mens illorum non poterat satis satiari in contemplatione amabilis illius & divini objecti, prædilecti, inquam, Filii sui, quem præ oculis continuo habebant, & à quo abripiantur quodammodo extra se in illius admirationem, amorem & adorationem.

Rarissimo exemplo sapientissimus Gentilis Zeno Atheniensis etiam in convivio taciturnus mansit, & rogatus à Legatis ad illum missis eequid ex illo Principi suo referrent? Eximio posteris documento respondit: *Vidisse vos Athenis Senem, qui inter pocula posset tacere.* Tanta res est hominem posse frænare linguam suam! Quam ergo admirabilis Divus Iosephus, qui non semel ex fastu & supercilio philosophico, ut Zeno, sed totam vitam suam ex humilitate silere potuit? Ideo ita taciturnus quia *custodiebat vias suas, ut non delinqueret in lingua sua.* Utinam nos tali exemplo proficeremus, & diceremus non aliter loqui quam iuxta præceptum illius Philosophi præceptum ad discipulum suum, *Si quid habes melius silentio, loquere.*

Hujus Sanctissimi Patriarchæ exemplo rarum fuit quod Beata Joanna de Cruce servavit silentium, nec minus præclarum quod suis Sororibus de eadem virtute tradidit consilium. Hanc aliquando Sorores rogarunt ut verbum illis ædificationis loqueretur: quam sicut hinc retinebat humilitas, ita illinc ejus Custos Angelus, cui mirabiliter erat familiaris ad loquendum impulit, eamque instruxit quid proloqui deberet. Quid ergo illud? *Dicit, inquit,*

inquit, *Gaudere cum gaudentibus, Flere cum flentibus, sed tacere cum loquentibus.* Overè Angelicum documentum! quo observato innumera volubilis linguæ incommodavitantur, experiemurque certò certius, quàm verum sit quod cecinit nescio quis Poëta hoc versu Heroico.

Non ulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

XVI. Infinita sunt prope modum mala linguæ non domitæ, ut propterea à Sancto Jacobo Apostolo citato dicta sit lingua *Universitas iniquitatis*, ac digno quidem vocabulo, seu quia ut in Universitate omnes scientiæ, ita in linguâ omnes discuntur iniquitates, seu quia per eam committuntur innumeræ: Illas per Alphabetum totum deducunt nonnulli, ut intelligamus, quod sicut ex litteris Alphabeti omnia nomina, ita ex lingua omnia peccata. Est ergo secundum illos lingua. A. Abundans, Acerba, Adulatoria. Est lingua B. Bifida, Blasphema. Est lingua C. Calumniatrix, Capitosa, Contemnens, Contumeliosa. Est lingua D. Deridens, Detrahens, Dissoluta, Dolosa. Est lingua E. Edax, Effrata, Exagitans, Exlex, Expiscans, Est lingua F. Factiosa, Fallax, Fascinans. Est lingua G. Garrula, Gulosa. Est lingua H. Helluans, Hypocritica. Est lingua I. Jactans, Impertinens, Impia, Impostrix, Impudens. Est lingua L. Litigiosa, Ludicra. Est lingua M. Maledica, Mendax, Mordax, Murmurans. Est lingua N. Nugax, Novatrix, Nequam. Est lingua O. Obscoena, Obstrogillans. Est lingua P. Pallians, Pejerans, Perfida, Profana, Prodens. Est lingua Q. Quæcula. Est lingua R. Rabida, Rebellis, Restrictionibus utens. Est lingua S. Sannans, Scurrilis, Secretifraga, Sufurrans. Est lingua T. Temeraria, Tentans, Tergiversans, Tumultuosa. Est denique lingua V. Vaniloqua, Venerea, Versipellis, Vesana. Quàm meritò ergo dicta Universitas iniquitatis.

XVII. Idè etiam nullum in inferno membrum ita cruciatur ut lingua: Attende in hujus rei probationem vel miserum divitem Evangelii epulonem in inferno sepultum, dum pauper Lazarus in

sinu Abrahæ excipitur fovendus. Non petit ibi mittere ille epulo ut suus refrigeretur stomachus, ardebat tamen, & meritò, nam neglecto paupere Lazaro jejuno, epulabatur quotidie splendide. Non petit ut refrigerentur manus, ardebant tamen, cum illæ ad accipiendum porrectæ fuissent ad dandum remissæ. Non petit, ut refrigerentur pedes: ardebant tamen, veloces quippe cucurrerant ad malum. Non petit ut refrigeretur corpus: ardebat tamen, quandoquidem illius cutem ita curaverat, & ut illud ornaret quidquid infra byssum & purpuram erat despexerat: sed hoc solum rogat ut refrigeretur lingua sua. Nimirum plus in illâ cruciabatur quàm in reliquis membris, inquit noster Guido Perpinianus in Evangelia ad istam historiam, quia in illa plus peccaverat quàm in omnibus aliis: per adulationes, blasphemias, calumnias, detractiones, edacitatem, fallacias, gulam, hypocrysim, imposturas, jactantias, lites, mendacia, nugacitates, obscenitates, &c. Hæc tantisper excurrere sicut dicta, ut si ad linguæ refranationem non alliciunt nos Divi Josephi exempla, terreat saltem à vitis atrocissima linguæ supplicia.

CAPUT IX.

De Divi Josephi contemplatione & amore seu totali anime ejus in Deum absorptione.

Res est indubirata quod summus apex perfectionis hominis justus in hac vitâ, in intimâ ipsius cum Deo unione consistat, quia ut docet Apostolus 1. Corinth. cap. 6. vers. 17. *Qui adheret Deo unus Spiritus est cum illo*, qui est ipsissima perfectio per essentiam. Hæc verò unio est formaliter ipsius Dei contemplatio & amor summus. Sed quomodo per has duas operationes fiat unio animæ ad Deum, diversimodè hi & illi explicant: quoad me, non video quomodo possit melius explicari, quàm per unionem quæ fit inter amantes per ample-

N n n

xum

Synopsis

xum mutuum, per quem amans amanti unitur exterius, quantum uniri potest.

II. Amplexus ut fiat, & per ipsum exterior illa unio, tria omnino requiruntur. Primum, presentia illius qui amplectendus est. Secundum, brachia, quibus amplectamur. Tertium, motio seu applicatio brachiorum ad amplexum: presentia quidem requiritur personæ quæ amplectenda est, quia nisi illa presens & prope esset quomodo ille hanc amplectari posse? Brachia etiam, quia sine illis impossibile esset facere amplexum: denique motus seu applicatio brachiorum ad amplectendum, quia nihil prodesset presentia personæ amplectendæ, nec brachia quibus fit amplexus: si hæc vel cancellata vel remissa tenere velles. Oportet omnino ad complendum amplexum, ut brachia ista moveas, ea ad personam amplectendam proferas, circumferas, illis eam stringas, alias nunquam erit amplexus.

III. Pariformiter ad unionem animæ cum Deo tria similia concurrere debent. Primum, est presentia Dei ad animam, non illa generalis solum, quæ omnibus rebus presens est per immensitatem, sed illa quæ presens est iusto per gratiam sanctificantem, tum quia hæc unio spiritualis est, tum quia cum sit apex perfectionis, supponit alias virtutes quas perficit & consummat, tum denique quia licet Deus peccatori propè sit per ubiuitatem, longè tamen est ab eo per aversionem: *Longè enim à peccatoribus salus, & iniquitates vestre*, inquit Isaias cap. 59. v. 2. *diviserunt inter vos & Deum vestrum*. Immo hoc donum est tam excellens, ut non omnibus promiscuè iustis, sed maximis tantum & probatissimis donetur privatissimisque Dei amicis: Secundum, sunt duo antiquæ brachia, idest binæ ipsius facultates præcipuæ, intellectus scilicet & voluntas, quibus anima Deum amplectatur & stringat, qui non nisi spiritualiter amplecti & stringi potest. Tertium, est motus istorum brachiorum, seu operatio utriusque istius facultatis circa Deum, non quæcumque sed illæ quibus amplecti eum anima potest & stringere, con-

templatio scilicet quæ est intellectus, & amor depuratissimus, qui est voluntatis, quidum sibi invicem implectuntur, Deum, ut ita loquar, complectuntur & stringunt arctissimè.

Porrò huic Tractatui de Virtutibus eximiis Divi Iosephi coronidem impositurus duas illas virtutes, contemplationem & amorem, combino, quia sunt inseparabiles, non enim potest esse summa illa operatio quæ fit in apice mentis, scilicet contemplatio, sine amore depuratissimo & fragrantissimo ibidem: quod vel ex definitionibus contemplationis, quam tradunt Doctores, manifestè liquet: est enim contemplatio juxta Gersonem Cancellarium Parisiensem & alios, *Extensio animi in Deum per amoris desiderium*: vel secundum alios, *Est motus Anagogica, idest sursum ductiva anime in Deum per amorem fervidum & purum*: vel denique secundum alios, *Est experimentalis cognitio habitata Deo ex amoris unitivi complexu*, quæ quantò in aliquâ creaturâ rationali major est, tantò illa Dei amantior, sanctior, & perfectior.

Quam ergo Sanctus D. Iosephus! quam perfectus! quam in sanctitate & omni virtute eminens, qui ita Deo fuit unitus, ita in eum mente absorptus! & quis ita ut ille si solam ejus Sponsam Mariam exceperis? cui eum, ut in prædestinatione, ita in meritis, toto hoc opere ex ratione & iustitiâ supparem facio, faciunt & alii Doctores innumeri, facientque semper omnes cordati.

Summam porrò illam Divi Iosephi cum Deo unionem probant penè omnia, quæ de eo per totum hoc opus hæctenus disserui, videturque ad illam totus à Deo compositus & adaptatus nec video quomodo tam sublimes virtutes, & quidem isto tempore, atque in eo gradu haberi potuissent ab homine non sublimissimè illuminato, & Deum sublimissimè amante.

Quid enim ex illa ejus æterna colligemus prædestinatione, quam part. I. tract. I. cap. 5. & seqq. explicavimus, & probavimus intimè conjunctam, vel etiam intertam in prædestinatione Christi Domini cum prædestinatione

Beatz

Beatæ Virginis, per quam ex tunc separatus est ab omnibus omnium aliorum Sanctorum ordinibus, evchendus aliquando ad ordinem unionis hypostaticæ, in quo solæ tres illæ Sacræ Personæ Jesus, Maria, Joseph; Jesus in quo, Maria per quam, Joseph sub quo ista unio facta est? an ullus extra hunc ordinem intimius illo potuit esse Deo unius? cerne deinde illum in tempore, adhuc utero materno illatebratum: cur ibi non solum gratiâ præventus, sed etiam usu rationis donatus? nisi ut ex tunc utroque dono isto utens, inciperet jacere fundamenta illius unionis, futuræ eò perfectioris quò hæc erant altiora & citiora: atque ita ab inde semper pergens iret de virtute in virtutem, donec videretur ab eo Deus in Sion.

VIII. Sed quare in eo fomes extinctus? ac deinde bonis fortunæ tam mirabiliter destitutus? nonne ut mundo, ut carnî, ut concupiscentiis, ut passionibus mortuus, & supra omnia terrena positus, mente Deo excedens introiret in potentias Domini, ibique Deus auditas illi faceret omnes voluntates suas? inde illa ejus apud Sanctam Birgittam adhuc alibi à me allata suspiria ex imo ducta peñtore, *Vivam vivam, & perficiam voluntatem Dei mei!*

IX. Dicebat de seipso Ezechiel Propheta cap. 8. *Emissa similitudo manus apprehendit me in concinno capitis mei, & elevavit me inter terram & Cælum. Hic Sanctus*, ait Divus Gregorius Magnus lib. 37. Moral. in Job, *in carne mortali positus, plenè quidem ad superna non pervenit, sed tamen ima omnia dereliquit.* Plus certè præstitit Divus Josephus, cujus tota conversatio, si ullius, cum Deo: qui sic vixit, quasi præsentis vitæ nulla bona noscet qui sic inter homines versatus est, quasi homo non esset, nisi humanitatis exercendæ gratiâ, cui meritò illud accinere possumus.

*Rebus procul mortalibus
Mens arvolabat fervida,
Divinèq; juncta Cæci
Hærebat inter sidera.*

X. Itaque his clausis compressisq; corporis sensibus, extra carnem mundumq; positus, in se collectus, cum Deo loquens, & Deum in se loquen-

tem audiens, vitam agebat superiorem rebus sub aspectum cadentibus, & Dei rerumq; cœlestium purum speculum effectus, Cœlites & Deum in se repræsentabat, & veracius quàm ullus dicere poterat: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Qui enim ita adhaeret Deo, an non unus spiritus est cum illo? 1. Corinth. cap. 5. vers. 17. Ex his ergo ut ex dispositionibus colligenda ejus cum Deo unio, sed ut illam etiam ab effectibus cognoscas.

Revoca ob oculos totam vitam ejus, stupendas prorsus virtutes ejus, quas in præcedentibus perstrinximus, præcipuè verò illam animi ejus dispositionem quâ tam abjectam conditionem in talibus natalibus, suorum jurium non ignarus, amplexus est, quomodo diximus supra hoc Tractatu cap. 1. numer. 15. Admirabilem illam Obedientiam de quâ cap. 2. Evangelicam ante Evangelium spiritus paupertatem de quâ cap. 3. castimoniam illam eâtenus inauditam, quam primus omnium hominum in Conjugio ipso servare voluit & vovit, eo tempore, quo illa erat ei probro & maledicto vertenda; de quâ cap. 4. Denique celsissimum illud imperium in omnes animi sui motus & passionem, maximè ostensum dum vidit uxorem suam, quam non tetigerat, uterum gestantem: quis unquam talia audivit? An non hæc sunt supra omnem hominem? signum ergo argumentumq; manifestissimum, hunc Sanctissimum Virum triplici in Deum extra si sceliciter raptum: Primâ, intellectus per contemplationem: Secundâ, voluntatis per unitivum amorem: Tertiâ totius sui ipsius per Deificam operationem.

Sed si talis fuit huc usque mentis Divi Josephi in Deum absorptio, tam intima illius cum Deo unio, quantum quæso crevit illa, ad præsepe-cum Deus factus homo, & recenter natus, in illo duobus novis modis mirabiliter operari cœpit in ordine ad istam secundum unionem, effectivè scilicet, & objectivè simul.

Quoad primum docent Philosophi, quod etiam experientiâ patet, Perfecti Agentis esse sine morâ operari, & actum suum exercere statim ac est.

Nun 2

Cum

XI.

XII.

XIII.

Cum ergo Christus Homo Deus, totius Author gratiæ, & Sol justitiæ, esset omnium agentium perfectissimum, statim ac mundo illuxit, debuit incipere agere ac quidem modo perfectissimo: Hinc adhuc ex utero materno Baptistam in utero etiam existentem sanctificat: Elizabethæ Matri ejus ac Zachariæ Patri oculos mentis aperit, & Mysterium sui in carnem adventus agnoscunt: Hinc statim ut natus, Angelos è cælo, Pastores de propinquo, Magos de longinquo, ad cunas suas attrahit, Herodem tyrannum turbat, & omnem Jerosolymam cum illo, Simeonem senem & Annam veteranam lætificat: Neque credendum cas solas ab eo tunc factas in cordibus mortalium operationes, ac mutationes, quarum Evangelium (quod in omnibus brevitati studet) meminit, sed & alias innumeras: Hinc Orosio lib. 6. contra Gentes cap. 22. & aliis attestantibus, Augustus Romæ à Senatu Dominus vocari recusavit, quamvis id sine intentione, eo tamen qui nascetur movente secretò, in cujus præsentia nullus Dominus, omnes servi. Alia vide apud Baronium & alios.

XIV. Et certè si in omnibus retro sæculis tantas Deus gratias prærogavit, quãtas ex scripturâ passim agnoscimus intuitu illius tantum postlòga tempora futuri: quid hodie quando nascitur & incipit tempus gratiæ? & ubi magis quàm in illis à quibus credendum est incœpisse, Matre dico, & Patre, Mariâ & Josepho, tam benè meritis, tam benè dispositis? quo lumine, quâ claritate mentes illorum implevit? quo amore præcordia inflammavit? quis conciperet? quanto minus edicere valeat? ut proinde meritò de ambobus, quod Divus Ambrosius de solâ Matre dixerim. *Non mirum si Dominus redempturus mundum operationem suam incipit à Matre & Patre: ut per quos salus omnibus paratur, iidem primi fructum salutis haurirent ex pignore.*

XV. Non solùm effectivè ut supra Christus recenter natus, & primitias sui in carnem adventus, in Mariâ & Divo Josepho consecrans, mentem Divi Josephi, ut Mariæ, in se totam tunc absorpsit, sed etiam objectivè: & quo-

rum ut hujus sacri Paris Conjugum, quibus primò in carne apparere voluit, & à quibus primò videri, adorari, amplecti, ac cum quibus tam familiariter agere & conversari voluit.

Nemo Mysticorum ignorat eos qui per contemplationem ad Deum frequentius accedunt, abundantius, ac perfectius quotidie illuminari, ut inter alios docet Sanctus Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. cum ait. *Certè sicut Moysi ex justâ operatione, & ex eâ quæ continenter ei intercedebat cum Deo loquente consuetudine, vultui infidebat glorificata quadam corporis species: ita etiam justâ Anima divina quadam vis bonitatis inhaerens per inspectionem propheticam, & administrantem operationem quasi intelligentis illuminationis, perinde atque caloris solaris, imprimi quoddam apertum justitiæ signaculum, luctem anima unitam per charitatem, quæ nullo spatio distinguuntur, quæ Deo afflatur, & Deo afflatur.* Unde non est mirandum Divum Josephum, qui non solùm in obsequio Christi, sed in illius quotidianâ assiduâque præsentia & contemplatione, tot annorum spatio occupatus fuit, specialissima super omnes homines, unicâ Sponsâ præeminente, amoris ac unionis divinæ privilegia fuisse assecutum.

Si Sanctus Franciscus, aliique Sancti tam multi, ex solâ ac nudâ hujus Infantis in præsepi spirituali repræsentatione, quam imaginariam vocant Theologi, quia licet pertingat usque ad intellectum, primariò tamen incipit à sensibili aliquâ imagine, vel imaginariâ repræsentatione; si, inquam, illi ex tali simpliciter visione, vel ad illius amplexum admisione, ita extra se rapti fuere, ita illuminati, ita incensi, ita deinceps affecti, ut eis ab indè omnia quæ mundi erant prorsus desiperint: Quid censendum erit de Divo Josepho ex hac tam amabili apparitione, immo possessione, quæ fuit & realis ex parte objecti, & etiam ocularis ex parte potentia, seu videtur. *Stupebat, inquit Sanctus Bernardinus Senensis tomo 3. ferm. de Sancto Josepho art. 2. cap. 2. ruminando corde & oculis intuenso, quod filius Dei se fecerat filium suum, & elegerat eum ad illum nutriendum, bajulandum.*

dum, regendum, & conservandum in necessitatibus vite sue.

XVIII. Perpende jam quid fecerint in illo ista duo copulativè, idest & talis præsentia, possessio, & familiaritas Dei, quâ nulla unquam talis, & tanta claritatis ardorisque abundantia, quâ mentem & cor ejus tunc cumulavit Christus, utroque isto modo simul & semel in eum vim suam exercens. *Quis deneget, inquit idem Sanctus Bernardinus ibidem, quod ipsi tenenti Christum in brachiis tanquam Pater, & balbutienti aut confabulanti cum ipso ut Pater, Christus sive infans, sive adultus, non ingereret, aut imprimeret ineffabiles sensus atque jucunditates de semetipso, & hoc cooperante interius gratia Christi cum filiali aspectu, afflatu, atque amplexu.* Et certè venerabili nostræ Margareta à Sanctissimo Sacramento revelatum est ut in verbis ejus à nobis supra part. 1. tract. 3. cap. 3. num. 4. relatis quod *JESUS, in utriusque, idest Mariæ & Josephi, corda sanctiores emittere non cessabat igniculos, exterius etiam in eorum oculos divinitatis suæ tot evibrabat radios ut toti exestuarent divini incendiis amoris.*

XIX. Quod si his addideris, quod illa tam privata familiaritas, quod illa tam suavis, tam admirabilis Dei fruitio, non fuerit transiens, aut horaria ut aliorum Sanctorum, sed perpetua & usque ad mortem? quod ex illius ore sacratissimo omnia secreta cœlestia didicerit, quod toto illo tempore simul cum illo, & in ejus consortio, cum Beatissimâ Virgine virtutes omnes, quarum doctrinam illis tradebat, exercuerit, quid ex inde colligendum erit?

XX. Quid quod illud etiam quod ipsum divertere seu distrahere debere videbatur, rapiebat adhuc in Deum: nam si fortè contrigebat ipsum sui opificii causâ aliquando domo abesse, mente tamen apud divinam prolem suam manebat, & ineffabiliter consolabatur ex recordatione hæc, illam in domo suâ esse, se pro illâ laborare, & suos sudores in ipsius alimentum esse convertendos, quos illi medullitissimè secretabat, ut illi aptissimè applicaverim quod de Divo Bernardo dixit Author vitæ ejus lib. 1. cap. 5. & lib. 3. cap. 1.

Interiori quâdam quam secum ipse sibi circumferebat solitudine fruebatur, totus quodammodo exterius laborabat, & totus interius Deo vacabat.

Ad hoc quoque argumentum adducunt nonnulli illas apparitiones Angelorum, quas habuit, & quorum meminit Matthæus cap. 1. & 2. illos enim libenter visitant Angeli, quibus eorum Dominus se reddit familiarem, immò illorum ministerio utitur Deus, ut sua secreta suis amicis & intimis deferant, hinc Albertus Magnus in c. 1. Matthæi. *In Angelorum crebra visitatione, inquit, familiaritas Dei notatur, testis vitæ Angelus ambientem, docet in Ægyptum fugientem, comitatur euntem, dirigit revertentem, erudit in Nazareth mentem.*

Sed hic quæres animi causâ quales fuerint hæ apparitiones Angelorum factæ Divo Josepho? an scilicet in corpore assumpto & visibili ei apparuerint, vocem ex eo emisserint quæ corporis auditu percipi posset? & videtur quod non, quia si in somnis factæ sint, ut asserit Evangelista, sine dubio non fuerunt tales, quia hujusmodi apparitiones sunt vigilantium, non verò dormientium, circa quos similes apparitiones nihil efficerent, cum dormientes, hoc ipso quod sunt dormientes, habeant sensus ligatos, qui nihil percipiunt.

Visus est ergo Angelus & locutus est Divo Josepho per species quas ei impressit, quæ ipsum ei & præsentem & loquentem repræsentabant: certissimè verò per illas species cognovit ejusmodi revelationes esse à Deo, & quid illæ significarent. Et Cardinalis Cajetanus observat revelationum Divo Josepho factarum perfectionem. Hæ enim præstare videntur omnibus Angelorum apparitionibus in veteri Testamento, quoniam quæ Divo Josepho factæ fuerunt cum tanta claritate mentis, ut nulla hæsitatio intervenerit, cum in apparitionibus factis v. c. Abrahamæ Patriarchæ ad ilicem Mambre, Jacob, Iosue & cæteris, immò etiam in apparitione factâ Zachariæ Patri Sancti Ioannis Baptista non defuerit obscuritas aut hæsitatio.

Quæres secundo, cur istæ apparitiones Divo Josepho exhibitæ fuerint in somnis?

Nnn 3

XXIV

fomnis? Xenophon Colophonius & Epicuræi quidam docent Dei majestate indignum obire lectos dormientium, concurrere grabatos, & stertentibus injicere somnia, quæ illi expergiscentes, vel non recordentur, vel non intelligant; vel etiam contemnant: vel si curanda sibi putent stultâ impleti superstitione, die nocteque animo pendeant, aut inani impendentium malorum metu perterriti, aut fallaci futurorum expectatione bonorum elati. Sed præterquã quod in sacris litteris non divina solum, sed divinis etiam plenissima rebus somnia recensentur: Hypocrates ipse lib. de insomniis duo statuit somniorum genera, quæ non vana sunt, sed vera: alterum vocat divinum, alterum naturale: divina dicit à Deo immitti, & semper aliquid magnum ac memorabile portendere: naturalia provenire ex causis ferè intra dormientis corpus latentibus, & his bonas aut malas corporis affectiones indicari: ne verò prioris generis somnia divinã videantur disconvenire Majestati, expedit causas proponere atque explicare, cur qui vigilantibus sua consilia pandere potest, & potuit Deus, sapissimè illa dormientibus, ut Divo Josepho, communiceet?

XXV. Quatuor sunt hujus rei causæ: prima quam tangit Hypocrates initio libri de insomniis, ubi docet in vigilã animam hominis variis distringi occupationibus, & cogitationibus gravibus distrahi: curis, negotiis detineri, per sensus item exteriores avocari ad ea quæ extra ipsum sunt, & per varia eorum sensuum spectacula divagari, multiplicique rerum humanarum strepitu interpellari, & à sui rerumque celestium contemplatione avocari: incertis præterea fluctuare deliberationibus, variisque studiis & affectibus estuare, qui non sinunt eum quod verum est & rectum, ut oportet, advertere: at verò in somno ab ejusmodi vacuus & liber animus, capacior est divinæ lucis.

XXVI. Secunda causa est, quia quæ vigilantibus accipimus ea solemus discutere, examinare, atque ad rationis trutinam expendere: in somnis autem animus

hominis res sibi objectas citra examen excipit promptiorque est ad credendum visis divinitus datis: constat autem ex unanimi doctrinã omnium, qui de rebus divinis scripserunt, ad eas res non tantum intellectum sed etiam affectum, & quodam animi quasi sensu & gustu percipiendas, melius longè esse homini si se agi & regi sinat, quam seipsum agere, auditorem potius esse quam arbitrium & ponderatorem: denique simpliciter credere potius, quam causas credendi disquirere & expendere.

Tertia causa desumitur ex Aristotele lib. de Divinat. quæ fit in somnis, ubi ait: *Quæcumque motum quo animus dormientis extrinsecus pulsatur & cietur quamvis levem & exiguum, magnam tamen habere vim commovendi animum, vehementerq; in ipsum imprimi, atque alitè in eo inherere*, quod intendit Deus dum in somnis apparet & hominem docet.

Quarta denique causa est, ut eã re ostendatur quantum sit Deus potentior quovis homine ad docendum hominem: homo quippe docere nequit hominem nisi vigilantem, audientem, & accusantem, Deus autem etiam altissimè dormientem: quo satis ostendit se in omnes hominis facultates summum habere imperium, summamque efficacitatem.

Quæres ultimò ex quibus signis conjectura accipiatur quod divina sint somnia. Respondeo multa protulisse quæ ad somnia divina requiruntur, sed quæ ipsa produunt admodum pauca, eaque demonstrare difficillimum. Nos quod ingenio atque ratione potest, ex Doctõribus qui eã de re scripserunt, proferimus, unicuique suum jus relinquentes, ut meliora si habeat, proferat.

Oportet primò & ante omnia ut somnia si divina sint, sint certa, composita, ordinata, & inconsula, ut bene percipi possint: quia sæpè numero contingit somniantibus multas, variasque objici formas: & ut in nubibus videmus nunc animantium, nunc aliarum rerum similitudines efformari eademque brevissimo tempore in alias atque in alias commutari, moxque dissolvi.

dissolvi, & evanescere, ita quoque experientia constat in hominis imaginatione res alias atque alias formas accipere, mutari: quæ cum per se commotionem spirituum in quibus rerum sunt imagines sequantur, manifestum est non esse à Deo, nec meliori loco quam merè naturalia debere haberi. Præterquam quod quæ Deus immittit somnia, illa velit esse nota & certa rerum & significandarum signa, qualia hæc esse non possunt, propter nimiam eorum inconstantiam.

XXXI. Secundò, debent continere veritati maximè consentanea: si enim falsa quædam per somnia ingerantur, ut si sint contraria aliis revelationibus receptis & approbatis, non est dubium illa non esse divina, Deus enim non potest esse sibi ipsi contrarius, nec falsi, quia summa sapientia est, nec fallere, quia summa bonitas.

XXXII. Tertiò, admoneant etiam mortales non de levibus, sed de gravibus rebus: quamvis enim in manu Dei sint omnia, & nec folium quidem de arbore cadat sine ejus voluntate, capillos quæ etiam capitis nostri ille omnes numerarit. Ut tamen de minimis, & ad rem nihil pertinentibus nos novo insolitoque modo per somnium instruat, quæ necessitas? cum præcipuè ille omnia magno maturoque judicio faciat.

XXXIII. Quartò, non debent invitare ad malum, sed ad bonum, mala enim à Deo suggeri nemo dixerit, qui quid sit Deus noverit: summum est bonum: à summo perfectoque bono malum quomodo suggeri possit? *Non Deus volens iniquitatem tuas*, psalm. 5. v. 4.

XXXIV. Quintò, debent esse utilia vel illis qui somniant, vel aliis pro quibus somnia immittuntur: ut enim ipse Deus ait Isaia cap. 4. *Ego sum Dominus Deus tuus docens te utilia*, atque hinc est quod à Deo aliena semper existimata sint earum rerum somnia, quarum cognitio facit tantum ad inanem curiosæ scientiæ ostentationem.

XXXV. Sextò, ut somnia sint divina, oportet, ut non sint de rebus per se claris & notis de quibus nullum habetur dubium: Quemadmodum enim Deus miracula non temerè facit, sed vel urgente tuâ gloriâ, vel hominum salute:

ita nisi necessitas nostra aliqua, vel ipsius honor postulet, dare Deum revelationes per somnia, aliove modo, non est crebibile.

Verumtamen non est necesse ut si XXXVI hæc omnia adsint, mox definiamus, somnia esse divina: Primò, quia utrum verè adsint, licet dubitare: Secundò, quia etsi adsent, alias tamen aliquando causas habere possunt quam Deum; ut constat ex multis somniis apud Historicos: quale fuit Cyri majoris, qui Persarum Monarchiæ fundamenta jecit, ad cujus pedes dormientis Sol visus est, terque ab illo appetitus manibus, ter se convolvens, elapsus est: quo somnio Magi Persarum sapientes interpretati sunt significari cum triginta annis Imperio potiturum, quod & ita contigit: tale etiam fuit Alexandri Magni, de quo refertur, quod dum in quodam prælio, Ptolemæus, qui ei successit Regno Ægypti, venenato telo ictus, summo cum dolore ex eo vulnere moreretur, assidens ei Alexander, somnoque correptus, vidit in quiete Draconem radiculam ore ferentem, simulque commonstantem ubi illa nasceretur, quæ scilicet præsentissimam vim haberet Ptolemæum aliosque milites eodem teli genere vulneratos, protinus sanandi, quod & fecit. Tale quoque Hannibalis; qui ardebat insatiabili cupidine funditus perendi Romanum Imperium: Cum enim variis eâ super re cogitationibus ac deliberationibus æstuarer, visum habuit in somno juvenis specie supra humanam, qui se dicebat ab Jove missum Ducem ad invadendam Italiam, jussitque ne respiceret quod retro & à tergo fieret. Sed, ut est humanum ingenium ad verita pronum, diu temperare oculos nequivit, respiciensque retrò, vidit horrendum, non visu modò, sed etiam dictu monstrum, belluam vastam & immanem, multis complicatam serpentibus, quâcumque incidebat omnia proterentem, atque pervertentem: Cælum item, nigerimis undequaque obductum nubibus, præcipitare nimbos fulgoribus mixtos, qui ætonitus percunctatus est ex illo suo Duce quid illud monstri & portentis esset?

esset? Responditque ille vastitatem Italiae, pergeret ille ire quod parabat, nec praeter ea quidquam inquireret, sine retque fata esse in occulto: cuius somnii veritatem eventus probavit, plus enim mali Italiae Hannibal attulit quam illo fuit viso demonstratum.

XXXVII. Ex duobus vero ut mihi videretur apprehendi potest quam somnia sint divina: scilicet ex conditione rerum quae suggeruntur, & motione hominis cui suggeruntur: nam quoad primum, si res quae in somno revelantur tales sint, quarum certa cognitio solius Dei concessu, atque munere hominibus potest contingere, & talis sit mentis motio qualem solus Deus potest efficere, somnia haec omnino divina erunt.

XXXVIII. Et esse tales res nemo dubitat, si quidem haud paucae sunt quas solus Deus novit. Quod vero haec mortalibus quandoque divinitus revelentur mox intelliget, qui, quae harum rerum conditio attendere voluerit. Ad tria vero res haec revocantur. Primum, ad futura contingentia. Secundum, ad cogitationes seu arcana cordium. Tertium, ad fidei nostrae mysteria, de quibus extant exempla in Scripturis & Historiis Ecclesiasticis.

XXXIX. Altera ratio unde ea cognoscuntur esse divina sumitur ex interiori motione hominis, cui eadem revelationes fiunt: singulari enim mentis illustratione & commotione Deus sese apud mortales insinuat, tali scilicet, qui se mentem illustrat, sic voluntatem afficit, sic hominem de fide & auctoritate somnii certum facit, ut Deum esse ipsius Authorem ipse perspicat, agnoscat, & liquidò iudicet. Hucque spectat memorabilis illa sententia Divi Gregorii Magni libr. 4. Dialog. cap. 48. *Sancti Viri, inquit, inter illusiones atque revelationes: ipsas visionum voces & imagines quodam intimo sapore discernunt, ut sciant quid à bono spiritu percipiant, & quid ab illusione patiantur. Nam si erga haec mens hominis cauta non esset, per deceptorem spiritum, multis se vanitatis immergeret, qui solet multa vera praedicere, ut ad extremum valeat animum ex una aliqua falsitate laqueare.*

CAPUT DECIMUM ET ULTIMUM.

Prosequimur materiam praecedentis Capitis, de Divi Josephi Contemplatione & summo Amore.

RICHARDUS de Sancto Victore lib. 1. de Contemplat. cap. 3. distinguit inter cogitationem, Meditationem & contemplationem in una eademque materia, seu respectu unius ejusdemque objecti, Dei nempe & attributorum ac perfectionum ejus, in eo quod cogitatio sit ex imaginatione, meditatio ex ratione, contemplatio ex intelligentia & amore: quod cogitatio per devia quaeque sine respectu pervenit ad Deum, huc illucque vagetur; meditatio ad eum cum magna industria & animi contentione nitatur, contemplatio autem perveniat, & volatu libero, miraque agilitate in summis Dei mirabilibus se librat: quod denique in cogitatione sit evagatio, in meditatione investigatio, in contemplatione vero admiratio. Ita Richardus loco citato.

Et optimè quidem, maximè vero quod in verbis postremis: Nam Divus quoque Augustinus lib. de Spiritu & Anima: Contemplationem definit. *Perspicua veritatis jucundam admirationem.* Et ejus Discipulus Divus Thomas 2. 2. quaest. 180. artic. 3. ad 3. docet *Admirationem esse actum consequentem contemplationem sublimis veritatis.* Nec enim qualibet Dei agnitio, est aut censerit potest contemplatio, sed ea sola quam sequitur admiratio & vehementis amor, ut enim ait Hugo de Sancto Victore lib. 7. de Coelest. Hierarch. *In contemplatione plus diligitur quam intelligitur, intrat dilectio & appropinquat, ubi scientia foris stat.* Cum enim objectum contemplationis sit infinitum & infinitè supra omnis intellectus creati capacitatem, hic in contemplatione sua non valens ipsum comprehendere, nec profundius in illud intrare, quam quo

quò eum divina claritas producit, cogitur ibi sistere, & admirari boni sibi incomprehensibilis immensitatem, & quasi in ignorantia ejus quod ex eà restat cognoscendum & admirandam herere, voluntatiq; facere locum, & relinquere prosecutionem, amplexum, gustum & fruitionem tanti boni.

III. Illæ itaque duæ facultates simul pergunt quantum possunt in contemplatione, quo usque intellectus non valens ulterius progredi, quia lux ejus & radii supernaturales non ei amplius concedunt, cogitur sistere in admiratione tantæ rei, quam capere nequit: tunc enim voluntas quæ sequitur impetum amoris ulterius se ingerit, illique suavitatis ac bonitatis oceano se immergens, ita afficitur, ut vellet si fieri posset non solum illi uniri, sed etiam unificari: His positis quæ explicant extasim quam secundum Dionysium Areopagitam, facit Divinus amor in contemplatione: Hanc in Divo Josepho amplius videamus ex utroque illo actu admirationis & amoris.

IV. Quoad admirationem audiendus super unâ, quæ omnes comprehendit, Divus Lucas Evangelista: sic ergo ille cap. 2. vers. 23. *Erat Pater IESU & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.* Ut Maria Mater, JESU, ita Joseph Pater ejus mirabatur. Quod si D. Joseph ut Maria mirabatur super his quæ audiebat ab aliis de filio suo: quanto magis super his, quæ ipse ex ipso filii sui ore, de seipso, de virtutibus, de rebus æternis, de divinis Arcanis, de Regno cœlesti audiebat quotidie? Sed quanto magis, factò in hâc scientiâ divinâ, novâ atque inauditâ, ab hoc cœlesti Magistro exceptâ, progressu, miratus est & obstupuit? Quàm obstupescerebat ille videre Deum ob hominis amorem carne velatum, sibi tam familiarem? se licet tam vilem & abjectum in Patrem tamen illius esse electum? ipsum sibi subditum, & à nutu ab ore suo pendentem? Si etiam stupidi, ut ita loquar, velut Pastores, ad aliqua tantum mysteria, & solum transeunter admitti, obstupescabant, exarscebant, quanto magis ipse ita illuminatus, ita dispositus, qui

tam frequentibus per totos triginta annos interfuit?

Sed dices fortè, idem Lucas ibidem paulò inferius dicit ipsum fuisse miratum, cum vidit JESUM Filium suum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos, non secus ac dicit de reliquis quod *Stupebant omnes qui eum audiebant super prudentia & responsis ejus.* Ergo tunc non erat valde illuminatus in rebus divinis, si enim valde illuminatus fuisset, scivisset utique JESUM in ea ætate fuisse æquè sapientem, ac in virili, immodò, ut Deum fuisse infinitæ super omnes homines sapientiæ: atque adeò non fuisset miratus quod tam prudenter Doctores legis interrogaret, eisque responderet.

VI. Respondeo primò, Lucam in objectione non dicere de solo Divo Josepho JESUM filium suum admiratum sit, sed idem etiam dicit de Beata Virgine, dicit enim ibi vers. 45. *Et factum est post triduum invenerunt (id est Joseph Maria) illum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia & responsis ejus. Et videntes admirati sunt, & dixit Mater ejus ad illum &c.* Ubi vides quomodo ambo admirati sint. Quod si ita est, dic ergo (istud argumentum valere putas) nec Beatam Virginem fuisse tunc valde illuminatam; si enim fuisset, non fuisset mirata.

VII. Respondeo secundo, separat expressè facit Evangelista in hoc textu Joseph & Mariam à cæteris quoad admirationem: ait enim de cæteris. *Stupebant autem omnes qui cum audiebant super prudentia & responsis ejus:* tum de Josepho & Mariâ, de quibus ante erat sermo, subjungit. *Et videntes admirati sunt, & dixit Mater ejus ad illum, &c.* Igitur Evangelista manifestè innuit aliam fuisse horum, & aliam cæterorum admirationem: Joseph & Mariæ fuit admiratio, cæterorum fuit stupor, stupebant cæteri ex ignorantia, Joseph & Mariâ mirabantur ex cognitione & perspicacitate. Cæteri nesciebant ipsum esse Deum, & ideo mirabantur in puero duodenni sapientiam supra ætatem in suis interrogatio-

nibus & responsis : At Ioseph & Maria mirabantur ejus doctrinam , & mysteria illa quæ tunc pandebat , prout solebant mirari cætera quæ ex ejus ore hauriebant : quæ admiratio proveniebat ex summâ illorum mysteriorum cognitione per contemplationem , quæ eo plus mirabitur aliquis , quo plus in eorum agnitione profecerit . Est enim contemplatio ex Divo Augustino supra , *Per spicua veritatis jucunda contemplatio* Respondeo tertio , significant verba Evangelistæ ad litteram Patrem JE SU & Matrem miratos quod isto modo se subtraxisset ab illis , ut se manifestare inciperet ipsis incisiis.

VIII. Hærebatur ergo attonitus ad ea quæ supra diximus Divi Iosephi , ut & Mariæ animus : rapiebat mens ejus extra se in Deum , ad fontem divini luminis & bonitatis , stupebat , mirabatur ea quæ ipse supra omnes mortales vidit , quæ audivit , quæ manus ejus contrectaverant de verbo vitæ ; & cui unquam vita manifestata est ut illi ? cui Deus unquam ita familiariter , ita efficaciter locutus est ut illi per triginta annos ? unde Sanctus Thomas de Villanova exclamat : *Felix Ioseph cui donatum est talibus inter esse mysteriis , horum gaudiorum fieri consortem , qui dulcissimos audire concentus , cælestium spirituum sentire trippadia , videre obsequia , orantes Angelos , adorantes Reges , letantes Pastores , beatis oculis inspicere meruisti.*

IX. Sed quomodo ad tantum lumen , ad tantam Dei communicationem & familiaritatem exarsit in amorem ?

X. Distinximus supra hæc parte 2. Tract. 2. cap. 21. in Divo Iosepho duplicem amorem respectu Christi Domini : unum quo diligebat eum ut Pater suum filium : alterum quo eum diligebat ut creatura Deum suum , & verè distingui debent isti duo amores : sed tamen separari nequeunt in illo , quin è contra hic ex illius consortio mirum in modum crescebat : & quis explicet quomodo cor illius charitate divinâ jam imbutum eliquabatur , quando reflectebat istum quem cernebat oculis filium suum , esse Deum ipsum ? se illius esse Patrem super terram ? cum

illum pectori suo admotum , brachiis suis insertum complectebatur , stringebat , osculabatur ? Virgilius primo Æneidos volens exprimere ardentissimum Didonis in Æneam amorem , non putavit se id posse præstare melius , quam repræsentando eundem Didonem in sinu suo tenentem Cupidinem , tunc à cæcis mortalibus amoris Deum existimatum & nuncupatum , & ex ejusmodi complexu totum in amorem conversum : Fabula fuit hoc : ecce tibi rem ipsam ipsissimam , Iosephum dico sanctum , sancti amoris Deum verum toties & tam frequenter in gremio suo foventem : quid ad hæc adjicere possem ad genuinam superintensissimam amoris illius in Deum expressionem ?

Sunt ergo præter summam Dei cognitionem , quam primò & essentialiter importat contemplatio , alii fontes uberrimi hujus Divi Iosephi in Deum amoris , ex quibus quantus & quam redundans fuerit fluvius , qui ex fontibus tam copiosis promanat , colligere licebit : Primus est affectus Patris ad filium , & filium talem ac tantum : Secundus est gratia & charitas infusa , quæ ei plenissimè , collata fuit : Tertius est tam longa cum Christo conversatio , & tam familiaris convictus , ex quo oriri solet amor amicorum : ex quolibet autem istorum , tantus potest amor oriri , ut vix explicari possit , quid ergo erit amoris fluvius ex his omnibus in summo collectus ?

De primo fonte Patris , scilicet in filium affectu & amore : Cum Deus vult amorem suum in homines comparare , & exaggerare , comparat illum amori Patris in filium : *Nunquid ego sum Pater tuus qui feci te & creavi te ?* Maximus ergo est amor Patris in filium , quandoquidem divinus , qui infinitus est , ei comparatur . Hinc summa fuit Abrahamæ probatio cum ei dixit : *Tolle filium tuum quem diligis Isaac , & offer mibi illum* , Genes. cap. 22. Jacob qui non legitur plorasse in omni labore suo , ploravit quando duodecimus filius suus Iosephus amissus est : Et Job licet plures ei clades nunciatae fuissent , nihil visus est commoveri , sed audita filiorum suorum morte , scidit vestes , & tondit

totondit caput, & in terram se projecit: qualis ergo fuit Divi Josephi in filium suum amor? Vide à nobis dicta superius hâc part. 2. tract. 2. cap. 21.

XIII. Quibus adde, quod quando filius est unicus, quando est sapientissimus, quando optimus, mirum in mundum crescit & exuberat amor Patris in illum: Præterea singulare fuit Divi Josephi inter Patres omnes privilegium, quo mirum in modum hic ejus affectus excreverit potuit; certa scilicet securitas quod hic naturalis amor eum à Deo suo non dividebat, aut distrahebat, quin potius è contra adglutinabat & conjungebat: unde & omninò habenas ei laxare poterat. Amor naturalis aliorum parentum sæpè periculosus est illis: moderari debet & cohiberi ne nimium crescat, & amori Dei contrarius sit. Hoc verò in D. Josepho locum habere non potuit, qui cum filium diligebat, Deum suum diligebat, quem non potuit tantùm diligere, ut non esset amplius & amplius diligibilis & diligendus, & ideò sine timore diligens & amori habenas laxans crevit, ut fornax septuplum succensa.

XIV. His iterùm accedit quod Pater est quem filius devinxit fumis beneficiis ut eum diligeret cui esse dedit, & cor quo amatur, & quod proinde naturaliter in authorem suum refectitur. Quo ergò hic amor pervenit tot titulis exaggeratus? quò ultra procedamus nihil restare videtur, & tamen minus est quod huc usque diximus. Igitur.

XV. Procedebat secundò Amor Divi Josephi in Christum à gratiâ & charitate infusâ quæ comparatur igni. *Ego veni ignem in terram mittere, & quid volo nisi ut ardeat?* Luca cap. 12. ut intelligamus quod quemadmodum ignis est omnium agentium naturalium activissimus, ita charitas infusâ adeo fortis est, ut excedat omnem naturalem amorem, illumque facilè vincat, ut patuit in Abrahamo, in Martyribus, & aliis: Nullus enim amor naturalis efficit ut ea homines pro filiis, parentibus, uxoribus, viris, seipsis efficerent, quæ Apostoli, quæ Martyres pro Christo. Et ut honestus amor apud Alciatum Emblematis. 199. depingitur ligans Cu-

pidinem, ita amor supernaturalis quando cum naturali congressurus descendit in arenam, semper vincit supernaturalis naturalem. Quod manifestum est in Abrahamo Genes. c. 23. in quo duo isti amores pugnaverunt, & in Matre Machabæorum 1. Machab. cap. 7. in Sanctâ Felicitate, & in Sanctâ Symphorâ cum septem filiis, in quibus Dei amor amorem naturalem filiorum facile superavit: Hic verò amor supernaturalis in Divo Josepho fuit summus, quæ ei gratia data est ut Patri Christi: Simul ergò pone in illo camino cordis Divi Josephi, pone, inquam, amorem naturalem maximum, & superadde infusum, quo perveniet flamma illa?

Augebat tertio hunc amorem miro & inexplicabili modo conversatio & perpetuus convictus cum Christo. Est enim convictus oleum quo amor incenditur & intenditur. De Philosopho scribebat Seneca epist. 6. *Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audisset: vita ejus interfuit: secreta perspexit, observavit illum an ex formula sua viveret.* Hinc Sancti meate (non aliud valentes) cum Deo conversari quantum possunt, eumque sibi præsentem facere conantur, fugiuntque quàm maximè creaturarum commercium, ut nihil obstat quominus ille ignis in eorum cordibus accedatur, & ardeat: Atqui D. Josephus usque ad finem vite Christi Dei sui præsentiam perfruitus est: Si ergo Christus exteros, ut Magdalenam, ut Petrum, & alios qui ejus præsentiam aliquando fruiti sunt, ita sibi devinxit, quid quæso effecit in Divo Josepho Patre suo per tot annos secum tam familiariter agente? quomodo illum accendebant verba illa vite quæ velut jacula ignita ex ejus ore procedebant? sed quomodo exempla per quæ illum ad eorum quæ verbo tradebat præxim manu ducebat. Poterant ergò sine dubio è caelo Seraphini discernere amorem ex corde Divi Josephi, ascendit quippè hic *super Cherubim & volavit, volavit super pennas ventorum.*

Ex quo quid sequitur nisi quod cum iste ejus amor per singulos dies & horas majora semper, & majora faceret incrementa, tandem talia evaserint
O o o 2
ejus

eius opera ut fuerint summi apud Deum meriti: nam præcipua ratio meriti sumitur à gratiâ & charitate, per quam, ex quâ, & ob quam fiunt: Quare plus meritis est Joseph unico actu, & in minimis, quàm alii magni Sancti pluribus actibus & in rebus arduis.

XVII. Et ex his omnibus patet quod diximus in initio & in progressu hujus operis, omnia ut oportet miro modo coherere, Paternitatem cum donis, dignitatem cum virtutibus, ut quemadmodum summam adeptus est dignitatem, ita quoque virtutes possederit omnes in summo.

XIX. Sed interim quis hæc pro dignitate hætenus agnovit? sed unde hoc? Accipe ex hac similitudine. Nonne Sol inter Astra omnia est clarissimus? An aliquid eo in rerum naturâ aut clarius, aut visibilis? Interim habeat licet aliquis oculum sanissimū ac perspicacissimum, si tamen pulvere aspergatur, quid ex illo percipiet? nihil aut ferè

nihil. Ad eum planè modum quamvis Divus Josephus, ut Pater JESU, qualem absolutè pronunciant Evangelistæ, sit inter omnes Sanctos sicut Sol inter stellas splendidissimus, tot radiis, quot virtutibus redimitus, & satis aciei habeamus, ut quid de summâ istâ in eo Patris JESU qualitate nos docuerunt tot magni, qui nos præcesserunt homines, percipiamus, eam tamen delibare tantum, nunquam penetrare poterimus: Solæ mentes excellæ, & à terrenis abstractæ, ut Evangelistæ, ut Augustini, ut Bernardini, ut Theresiæ, & similes; quid illa importet, quidve secum advehat, aliquantulum perceperunt, quæ nos ex illis huc usque in duabus hujus Operis Partibus expressimus. Cùm ergo propter magnitudinem objecti & imbecillitatem nostræ aciei aliis quàm terrenis parùm assuetæ plura non possimus, in his esto finis Secundæ Partis.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.



SYNOPSIS